DISSERTATIONES

PHILOLOGAE

VINDOBONENSES.

VOLUMEN PRIMUM.

LIPSIAE
SUMPTUS FECIT G. FREYTAG.

PRAGAE
SUMPTUS FECIT F. TEMPSKY.

MDCCCLXXXVII.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

DE THEOCRITI VERSU HEROICO

SCRIPSIT

CAROLUS KUNST.

Per longum temporis spatium viros eruditos, qui in antiquitatis incumbebant studia, et Homeri et aliorum poetarum Graecorum, qui in condendis carminibus huius secuti sunt exemplum et auctoritatem, opera lectitasse amplissimisque instruxisse commentariis neque tamen in rationes metricas ab eius generis poetis observatas accuratius inquisivisse quod miremur vix habebimus, ubi, quanta sit disciplinarum ad scriptores veteres penitus pernoscendos spectantium ubertas, quot quaestiones in unoquoque scriptore tractando sint expediendae, nobiscum reputaverimus. prima vero versus heroici historiae lineamenta G. Hermann demum praeclarissima illa disputatione duxit, quam conscripsit de Argonauticorum scriptoris aetate [1]. quo loco diligentissime discrimen, quod intercedit inter rationes versuum epicorum, qui apud diversos leguntur poetas, exposuit „illorum", ut ipse dicit, „causa, qui ovum non putant ovo similius esse quam, si modo sex pedes habeat, hexametrum hexametro." sed de hac dissertatione valuisse verba alio loco [2]) ab Hermanno ipso prolata, ubi „magnorum virorum esse" ait „reserare claustra et monstrare viam, non quo pone quis sequatur magna impari passu vestigia legens aut ad summum ibidem, ubi ipsi, consistat, sed ut longius alii procedant", satis superque eventu comprobatum est. facto enim inquirendi in versus heroici rationes initio non defuerunt, qui via ab Hermanno monstrata progrederentur. quo in numero in primis nominandi sunt F. Spitzner, C. Lehrs, C. A. Hoffmann. postea vero inter viros doctos, qui in Homeri carminibus explanandis versati sunt, ut alios omittam, I. Bekker, B. Giseke, I. La Roche haud pauca ad versus epici naturam cognoscendam adtulerunt.

Quibus disputationibus sat magnos progressus in versu Homerico inlustrando factos ac multa, quae antea nisi eo modo, ut poeta numerorum necessitate adductus concessisse sibi ea putaretur, explicari nequiverant, probabiliter esse explanata haud quisquam negabit. attamen permulta restabant nondum recte perspecta, veluti hiatus usus aut brevium syllabarum

---

[1]) In Orphicorum editione Lips. 1805, p. 673—826.

[2]) Elem. doctrinae metr., Lips. 1816, p. XV.

ante consonas liquidas productiones, quas quo iure admisisset Homerus, ut definirent, Hoffmann et qui eum secuti sunt mirum quantum etymologia, quae dicitur, abusi falsas mentibus sibi finxerunt opiniones. tenebras vero his rebus offusas egregie discussit G. Hartel[1]), qui ipsa singularum consonarum natura in auxilium vocata rem difficillimam ita expedivit, ut cantilena illa, Homerum brevium syllabarum productiones aut hiatum sine certa lege, modo ut sermonem metri vinculo ligaret, admisisse, desinere tandem debeat decantari. sub idem fere tempus etiam Knoesium[2]) in has res diligentissime inquisivisse memorandum est.

Demonstrata hoc modo vera quaerendi ratione factum est, ut virorum doctorum animi etiam ad alios poetas Graecos, qui eodem versu atque Homerus usi sunt, converterentur. itaque haud multo post quaestiones prodierunt a Rzachio, Scheindlero, Hilbergio, Benekio, aliis conscriptae, quibus versus heroici natura, quo poetae, qui inferioribus fuerunt temporibus, usi sunt, accuratius inlustratur.

Cum autem satis constet poesis epicae disciplinam, quae paulatim exorta temporum successu varias experta erat mutationes, a Nonno illo Panopolitano severissimis adstrictam esse legibus ac tantum huius poetae valuisse auctoritatem, ut omnes, qui postea versu heroico pangebant carmina, hunc sibi imitandum proponerent, facile intellegitur, cur factum sit, ut plerique viri eruditi in hexametri Graeci rationes inquirentes illius potissimum (si discesseris ab Homero) artem metricam describendam sibi esse putarent. sic Hermanno praeeunte[3]) iam Lehrs[4]) accuratiorem de versu Nonniano instituit quaestionem, recentiore autem aetate eandem rem tractaverunt in primis Ludwich, Scheindler, Tiedke, Hilberg.

Sed haud pari studio adhuc in leges inquisitum est, quae apud doctos illos poetas Alexandrinos in versibus condendis valebant[5]); nam si discedimus a quaestionibus, quae ad omnes Graecorum poetas epicos spectant, unius Callimachi ars metrica subtilius descripta est[6]). ad Theocriti vero

---

[1]) 'Homerische Studien', III partt. (Sitzungsber. der k. Akad. der Wiss., phil.-hist. Classe, vol. LXVIII, fasc. 3; vol. LXXVI, fasc. 3, vol. LXXVIII, fasc. 1), Vindob. 1871 et 1874.

[2]) 'De digammo Homerico', Universitets-Årsskrift, Ups. 1872, 1873, 1878.

[3]) Cf. disputationem supra adlatam 'De aetate scriptoris Argonauticorum'.

[4]) Quaestt. ep., Regim. Pruss. 1837, diss. IV, p. 253 sqq.

[5]) Nonnulla in universum de Alexandrinorum poetarum hexametro G. Meyer exposuit 'Zur Geschichte des griech. und lat. Hexam.' Sitzungsber. der philos.-philol. Cl. der k. bayer. Akad. der Wiss. a. 1884, p. 979 sqq.

[6]) Cf. in primis C. Prahl, 'Quaestiones metricae de Callimacho', Halis Sax. 1878; F. Beneke, 'De arte metrica Callimachi', Argentorati 1880, 'Beiträge zur Metrik der Alexandriner', Berolini 1883; G. Heep, 'Quaestiones Callimacheae metricae', Bonnae 1884. ceteras quaestiones de rationibus hexametri Callimachei institutas adfert Fr. Beneke 'Beitr. etc.' p. 7.

rationes metricas praeter eos, qui commentariis huius poetae carmina instruxerunt, solus M. Kruegermann[1]), quod sciam, animum intendit. sed in libello eius de hiatu tantum agitur et brevium syllabarum finalium ante consonas liquidas productionibus, altera libelli parte in res grammaticas inquiritur; neque vero quaestiones illae ita expediuntur, ut nil iam desideretur; ceterum infra ad Kruegermanni dissertationem nobis redeundum erit. quam rem cum ita se habere viderem ac persuasissem mihi metricis rationibus magis explanatis ad ipsa verba poetae emendanda aliquid conferri posse, in versum Theocriti heroicum subtilius inquirere animum induxi. atque in his quaestionibus si omnino aliquid profecero, referas velim ad viros clarissimos G. ab Hartel et C. Schenkl, qui cum iam antea optime de me meriti erant tum in hoc opusculo conficiendo et consilio et re me semper benignissime adiuverunt. quibus pro beneficiis debitas me semper viris illis doctissimis habiturum esse polliceor gratias.

Priusquam autem ad ipsam rem propositam expediendam accedamus, pauca quidem de materia distribuenda proferamus necesse est. omnia enim Theocriti carmina quominus sub uno aspectu tractemus, natura eorum ipsa impedimur. ac primum quidem discrimen servandum est inter carmina bucolica et epica. inter bucolica autem referenda esse decem edyllia I. et III.—XI. omnes consentiunt; neque quin carmina XIII., XVI., XVII., XXII., XXIV., XXV., XXVI. generis sint epici, potest dubitari. si praeter haec edyllia etiam ea seiungimus, quae num genuina sint, viri docti gravioribus argumentis adlatis dubitant, edyllia dico XIX., XX., XXI., XXIII., XXVII., restant carmina quinque: II., XII., XIV., XV., XVIII., de quibus quid statuendum sit, iam videamus. pleraque vero carmina bucolica ita esse comparata, ut duae personae conloquentes a poeta fingantur, notum est. quam rem si respicimus, similitudinem manifestam intercedere inter carmina generis bucolici et edyllia XIV. et XV., quae recte dicuntur mimica, fugere nos nequit. nolim tamen equidem haec carmina confundere cum bucolicis. propius haud dubie ad ea accedit carmen II., quamquam una tantummodo persona loquens inducitur, cum altera muta sit. quod si duobus illis mimicis adiungimus, iam non plus duo carmina reliqua sunt, XII. et XVIII., utrumque lyricum, quae, cum ambo non plus nonaginta quinque versus exhibeant, separatim tractare nil fere habere videtur commendationis. quam ob causam etiam his carminibus locum adsignandum esse puto in generibus carminum supra constitutis. atque hac in re sermo, quo edyllia illa conscripta sunt, indicare nobis videtur, cui classi utrumque eorum adscribere debeamus. carmen vero XII., cum conscriptum sit sermone Ionico, poematis

[1]) Quaestiones Theocriteae, Vratislaviae 1875.

addere mere epicis in quaestione proposita praestare videtur; alterum autem carmen, quod conditum est dialecto Dorica, ad carmina mimica, quorum sermo idem est, satius erit adicere.

Quae cum ita sint, hunc ordinem in singulis carminibus tractandis servare nos oportebit: primum in unaquaque disputationis parte agendum erit de carminibus decem bucolicis, deinde de carminibus II., XIV., XV., XVIII., quae, ut brevitati consulamus, communiter mimica adpellabimus; tum inquiramus necesse erit in carmina epica, quibus adiciemus c. XII., fragmentum *τῆς Βερενίκης,* epigrammata I., VIII. (VII.)[1]), X., XII., XIII., quae quin genuina sint, non est quod dubitemus; loco denique quarto etiam in carmina et epigrammata, quae dubiae sunt originis, nobis inquirendum erit.

Carmina autem illa tria Aeolica XXVIII., XXIX., XXX., ut quae non heroicis versibus sint conscripta, hac in quaestione in censum venire non posse e re ipsa satis elucet. idem valet de epigrammatis, quae alio atque elegiaco metro sunt condita.

Editionem Theocriti carminum his in quaestionibus sequar Zieglerianam tertiam (Tubingae 1879), ita tamen, ut, quoad fieri poterit, etiam ceterarum rationem habeam.

---

1) Priore numero significatur hoc epigramma in edit. Ziegleriana III., altero in aliorum editionibus.

CAPUT PRIMUM.

Quo modo dactyli et spondei per singulos versuum pedes distribuantur?

Cum magni in unoquoque carmine sit momenti, ut cum rebus, quae tractantur, ipsa numerorum conveniat ratio, etiam qui versu heroico condebant carmina poetae operam dederunt, ut modo accelerarentur, modo retardarentur versuum singulorum numeri. quae res nisi observatur a poetis, versus eorum, etsi rotundi sunt et elegantes veluti Nonni, tamen omni varietate carentes mox legentibus taedium adferunt. praeclaram autem illam versuum Homericorum vim gratamque eorum varietatem duabus potissimum rebus effici, caesuris dico apte adhibitis atque dactylis et spondeis bene dispositis, qui accuratius hanc rem inspexerit, facile intelleget; nam et caesuris et spondeis numeri retardari possunt quam maxime. sed quoniam de caesuris capite huius quaestionis altero accuratius disserere mihi in animo est, hoc capite rationem tantum, qua Theocritus usus est in dactylis et spondeis disponendis, describere conabor. ac priore quidem huius capitis parte (I), quas in universum hexametri formas quotiensque adhibuerit Theocritus et quod hac in re inter eum ceterosque poetas intercedat discrimen, expositurus sum; parte deinde altera (II) de spondeorum in singulis versus sedibus usu proprio disputabo.

I.

Cum ea in versu heroico lex valeat, ut in unaquaque sede dactyli thesis in unam longam cogi possit syllabam, triginta duae hexametri formae variae efficiuntur. quarum frequentiam apud singulos poetas non eandem esse prorsus consentaneum est. in eligendis enim his formis poetae variis ducebantur causis. quarum prima in ipsa singularum formarum natura inest, cum non omnes parem prae se ferant suavitatem et elegantiam; deinde multum hac in re sermonis, quo versus panguntur, valet indoles, id quod

luculenter demonstratur, si hexametri Graeci componuntur cum Latinis[1]; magni denique momenti etiam poetae est ingenium et carminum ipsorum natura. apud Homerum quidem cum omnes hexametri formae reperiantur, Nonnus novem tantummodo admisit, Paulus Silentiarius non plus sex[2]).

Iam tabulam proponam, qua, quotiens singulae formae in Theocriti carminibus inveniantur, indicabitur. in significandis autem formis variis Drobischium[3]) sequar dactyli loco litteram d, spondei litteram s substituens; sed quinti quoque pedis formam ubique indicabo, qua re Drobisch, ut qui eos tantum tractaret versus, qui in sede quinta exhibent dactylum, supersedere potuit. brevitatis causa etiam signo illo notissimo $^0/_0$ uti mihi liceat, ubi indicandum erit, quotiens quaeque forma in centenis versibus reperiatur.

formae versuum	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. ep.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in. cc. dub.[7])
	%	%	%	%	%
1 ddddd	122 vel 13·9	79[5]) vel 17·8	203 vel 19·2	404 vel 17·0	64 vel 22·5
2 sdddd	147 „ 16·9	82[6]) „ 18·5	184 „ 17·4	413 „ 17·3	52 „ 18·3
3 dsddd	152 „ 17·4	56 „ 12·8	187 „ 17·7	395 „ 16.6	50 „ 17·7
4 ddsdd	59[4]) „ 6·6	21 „ 4·8	29 „ 2·7	109 „ 4·6	11 „ 3·9
5 dddsd	24 „ 2·7	27 „ 6·0	73 „ 6·9	124 „ 5·2	17 „ 6·0
6 ssddd	115 „ 13·2	46 „ 10·3	74 „ 7·0	235 „ 9·9	22 „ 7·8
7 dssdd	61 „ 7·0	16 „ 3·6	19 „ 1·8	96 „ 4·1	18 „ 6·3
8 ddssd	5 „ 0·6	1 „ 0·2	6 „ 0·6	12 „ 0·5	2 „ 0·7
9 sdsdd	41 „ 4·8	32 „ 7·2	31 „ 2·9	104 „ 4·4	11 „ 3·9
10 dsdsd	33 „ 3·7	23 „ 5·2	77 „ 7·3	133 „ 5·6	18 „ 4·6
11 sddsd	32 „ 3·6	15 „ 3·5	62 „ 5·9	109 „ 4·6	9 „ 3·2
12 sssdd	31 „ 3·5	6 „ 1·3	2 „ 0·2	39 „ 1·6	3 „ 1·0
13 dsssd	4 „ 0·46	7 „ 1·6	4 „ 0·4	15 „ 0·7	1 „ 0·3
14 sdssd	3 „ 0·35	5 „ 1·1	3 „ 0·3	11 „ 0·5	3 „ 1·0
15 ssdsd	35 „ 4·0	10 „ 2·3	29 „ 2·7	74 „ 3·1	4 „ 1·4
16 ssssd	1 „ 0·1	3 „ 0·7	3 „ 0·2	7 „ 0·3	1 „ 0·3
	865 vel 98·8	429 vel 96·9	986 „ 93·2	2280 vel 96·0	281 vel 98·9

[1]) Cf. Ludwichii 'Beiträge zur Kritik des Nonnos' Regim. Pruss. 1873, p. 46 sq.

[2]) Cf. Ludwichium l. c.

[3]) 'Ein statistischer Versuch über die Formen des lateinischen Hexam.' Ber. der k. sächs. Gesellsch. d. Wiss., philol.-hist. Cl., vol. XVIII., Lips. 1866, p. 75—139. cf. etiam vol. XX. (1868), p. 17—65.

[4]) Hanc formam exhibet versus intercalaris I 64 duodeviciens iteratus.

[5]) Unus huius formae versus (II 69) intercalaris est ac repetitur undeciens.

[6]) Versus huius formae II 17, qui intercalaris est, noviens iteratur.

[7]) Omisi versus XXI 38, 58, 65; extant enim his locis in libris manu scriptis lectiones metri rationibus repugnantes, quas Ziegler quamquam haud dubie depravatas, cum nondum probabiles prolatae essent emendationes, retinuit.

formae versuum	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. ep.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in cc. dub.
	%	%	%	%	%
17 dddds	3 vel 0·33	2 vel 0·44	17 vel 1·6	22 vel 0·9	—
18 sddds	1 „ 0·11	2 „ 0·44	19 „ 1·8	22 „ 0·9	2 vel 0·7
19 dsdds	2 „ 0·22	4 „ 0·9	14 „ 1·3	20 „ 0·84	—
20 ddsds	—	1 „ 0·22	2 „ 0·2	3 „ 0·12	—
21 dddss	—	1 „ 0·22	3 „ 0·3	4 „ 0·17	—
22 ssdds	2 vel 0·22	2 „ 0·44	9 „ 0·8	13 „ 0·55	—
23 dssds	—	—	3 „ 0·3	3 „ 0·12	1 vel 0·35
24 sdsds	1 vel 0·11	—	1 „ 0·1	2	—
25 dsdss	—	—	2 „ 0·2	2	—
26 sddss	—	2 vel 0·44	—	2 } 10 „ 0·4	—
27 sssds	1 vel 0·11	—	1 vel 0·1	2	—
28 ssdss	1 „ 0·11	—	1 „ 0·1	2	—
	11 vel 1·2	14 vel 3·1	72 vel 6·8	97 vel 4·0	3 vel 1·1

Varietati igitur numerorum Theocritum satis consuluisse videmus, quippe quem XXVIII varias versus heroici formas adhibuisse ex tabula proposita eluceat. formae autem quattuor, quibus omnino abstinuit Theocritus, omnes ita sunt comparatae, ut pedem quintum, qui efficitur spondeo, duo vel plures spondei praecedant continui; sunt enim haec schemata: ddsss (cf. Hom. *Α* 339 *πρός τε θεῶν μακάρων πρός τε θνητῶν ἀνθρώπων*), dssss (cf. Hom. Ι 137 *νῆα ἅλις χρυσοῦ καὶ χαλκοῦ νηησάσθω*), sdsss (cf. Hom. Ξ 199 *δαμνᾷ ἀθανάτους ἠδὲ θνητοὺς ἀνθρώπους*), sssss (cf. Hom. Ψ 221 *ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο*).

Nimis durus atque tardus rhythmus spondeis hunc in modum praevalentibus existere haud dubie videbatur Theocrito, ut qui etiam eos versus sat parce admitteret, in quibus dactylum sedem quintam tenentem duo vel plures spondei continui praecedunt. sunt autem huius modi formae quattuor: ddssd, dsssd, sdssd, ssssd, quarum nullius frequentem esse in Theocriti carminibus usum ex tabula, quam proposui, facile potest cognosci. artissimis vero cancellis circumscripsit Theocritus usum eorum versuum, quorum schema est ssssd; in carminibus enim bucolicis et mimicis ubique huius formae versus excusantur anaphora. sunt quidem hi: *a)* in carmin. bucol.: V 58 *στασῶ δ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος,* | *ὀκτὼ δὲ σκαφίδας* e. q. s. *b)* in carmin. mim.: XV 62 . . . . *ἐς Τροίαν πειρώμενοι ἦνθον Ἀχαιοί,* | *κάλλισται παίδων· πείρᾳ θην πάντα τελεῖται,* XVIII 49 sq. *χαίροις ὦ νύμφα, χαίροις εὐπένθερε γαμβρέ.* | *Λατὼ μὲν δοίη, Λατὼ κουροτρόφος ὔμμιν.* idem valet de duobus hexametris huc pertinentibus, qui insunt in carminibus epicis: XVI 25 *πολλοὺς δ' εὖ ἔρξαι πάων, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλων,* XXII 156 *πολλή τοι Σπάρτη, πολλὴ δ' ἱππήλατος Ἦλις.* itaque duo

restant versus, qui hac excusatione carent, alter in carminibus generis epici: XXV 189 *ὡς εἰπὼν μεσσῆς ἐξηρώησε κελεύθου,* alter in edyliis incertae originis: XXI 66 *ἐλπὶς τῶν ὕπνων. ζάτει τὸν σάρκινον ἰχθύν.*

Proximi huius modi versibus, si frequentiam spectamus, sunt hexametri ad schemata ddssd et sdssd conformati, paulo frequentiores sunt versus formam dsssd exhibentes. quae versuum formae, quamquam in unoquoque genere carminum Theocriteorum reperiuntur, tamen per singula carmina nequaquam aequaliter distributae sunt, id quod praecipue valet de edylliis bucolicis et mimicis. in his quidem longe maximum numerum formarum, de quibus agitur, exhibet c. XV., in illis cc. VIII. et XI. ubi vero in aliis generis bucolici vel mimici carminibus una alterave ex formis illis reperitur, plerumque anaphorae vel nominis proprii habet excusationem. iam locos adferam, quibus formae illae inveniuntur, initium capiens a forma ddssd, quam hi exhibent versus: *a)* VIII 61, 79; IX 13; XI 52, 54; *b)* XV 43; *c)* XXII 88, 146; XXV 57, 63, 91, 203; *d)* ex cc. dubiis huc pertinent versus duo: XXI 56, 60.

Forma dsssd extat his locis: *a)* I 101, in quo versu nomen proprium anaphorae figura repetitur: .... *Κύπρι βαρεῖα, | Κύπρι νεμεσσατά. Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής,* VIII 62; XI 4, 79; *b)* II 16, 38, 39, qui versus omnes anaphora sunt insignes; in primo etiam nomina propria leguntur: .... *μήτε τι Κίρκης | μήτε τι Μηδείας μήτε ξανθᾶς Περιμήδας,* versus alter et tertius sunt hi: *ἠνίδε σιγῇ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται· | ἁ δ' ἐμὰ οὐ σιγῇ στέρνων ἔντοσθεν ἀνία,* XIV 46; XV 37, 75, 116; *c)* XXV 36, 244; XII 13; epigr. I 3; *d)* XXI 67.

Ad formam denique sdssd sunt effecti versus: *a)* V 7; VIII 53 (anaph.: *μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι Κροίσεια τάλαντα*); XI 41; *b)* II 8, 97; hi versus, inter quos summa intercedit similitudo, excusationem habent nominis proprii, prior enim est: *βασεῦμαι ποτὶ τὰν Τιμαγήτοιο παλαίστραν,* alter: *τήρησον ποτὶ τὰν Τιμαγήτοιο παλαίστραν*; XV 41, 42, 101; *c)* XVI 5; XVII 76 (anaph.: *πολλᾶς δὲ κρατέει γαίας, πολλᾶς δὲ θαλάσσας*); XXV 217; *d)* XXVII 36 (anaph.: *τεύχεις μοι θαλάμους, τεύχεις καὶ δῶμα καὶ αὐλάς;*), 59, 61.

Ut autem breviter, quae modo exposui, complectar, exhibent quattuor, quas tractamus, hexametri formas in carminibus Theocriteis versus XLV, quorum duae fere partes (XXIX) reperiuntur in cc. buc. et mim., in epicis autem non plus XVI. atque ex versibus XXIX illis extant XVII in cc. VIII, XI., XV., XII (quorum IX anaphorae figura vel nominibus propriis excusantur) in cc. I., V., IX., II., XIV., XVIII.; reliqua carmina bucolica III., IV., VI., VII., X. huius modi versibus prorsus carent. ex

cc. autem dubiis VII versus huc pertinent, quorum quattuor in c. XXI., tres in c. XXVII. inveniuntur.

Sed ut versus ad haec, de quibus verba fecimus, schemata conformati aliquanto rarius leguntur in cc. epicis quam in bucolicis et mimicis, ita etiam ceterarum formarum[1]) duos vel tres spondeos exhibentium in illo carminum Theocriteorum genere in universum minorem esse frequentiam tabula nostra ostenditur. quod in primis valet de forma sssdd, quae cum in edylliis bucol. sat frequens sit, iam in cc. mim. rarius invenitur, sex tantum locis, quorum quattuor oratoria sermonis excusantur condicione: II 98 *τηνεῖ γὰρ φοιτῇ, τηνεῖ δέ οἱ ἁδὺ καθῆσθαι,* 118 *ἦνθον γὰρ κἠγώ, ναὶ τὸν γλυκὺν ἦνθον Ἔρωτα,* 155 *ἦ γάρ μοι καὶ τρὶς καὶ τετράκις ἄλλοκ' ἐφοίτη.* XV 6 *παντᾷ κρηπῖδες, παντᾷ χλαμυδηφόροι ἄνδρες.*

Duo loci II 24 et XV 70 tali excusatione carent. in edylliis autem epicis non plus duo versus carminis XVII. ad eam formam sunt expressi, vv. 93 et 114, quorum prior anaphora est praeditus: *πολλοὶ δ' ἱππῆες, πολλοὶ δέ μιν ἀσπιδιῶται.* versus denique tres in cc. dubiis ad hoc schema conformati sunt hi: XXI 17, 31; epigr. IV 1.

Ii autem soli ex versibus plus unum spondeum exhibentibus in cc. epicis frequentiores sunt, quorum pes quartus spondeo efficitur. quae res cum bucolicae, quae dicitur, caesurae usu artissime cohaeret. cum enim Theocritus spondeum ante hanc incisionem non minus quam alii poetae Graeci, immo vero in edylliis bucolicis etiam diligentius vitaret[2]), non potuit fieri, quin in huius generis carminibus, ubi caesura illa in tanto versatur usu, ut versus septuageni quaterni in centenis ea sint praediti, multo rarius in quarta hexametri sede spondeus admitteretur quam in eo edylliorum genere, ubi incisione, de qua sermo est, dimidium omnium versuum caret[3]).

Cum ratione, qua Theocritus in variis carminum generibus singulas versuum formas usurpavit, id haud dubie coniunctum est, quod in edylliis generis bucolici omnium spondeorum numerus reperitur pro rata parte maximus, minimus in carminibus epicis; medium hac in re tenent locum edyllia mimica. constant enim, si quinque priorum tantum modo pedum rationem habemus,

876	versus carminum	buc.	ex 3175	dactylis,	1205 spondeis;
443	" "	mim.	" 1637	"	578 "
1058	" "	epic.	" 4007	"	1283 "
2377	versus omnium cc. Theocrit.		ex 8819	dactylis,	3066 spondeis.

[1]) Agitur h. l. de solis versibus, quorum in sede quinta extat dactylus; de versibus spondiacis infra accuratius exponetur.

[2]) Cf. p. 55 sqq.

[3]) Cf. p. 53.

Unde adparet spondeorum numerum

in	cc. buc.	eandem rationem habere cum dactylor., quam	1 cum 2·6,
„	„ mim.	„ „ „ „ „ „	1 cum 2·8,
„	„ epic.	„ „ „ „ „ „	1 cum 3·1,
in univers. cc. Theocr.		eandem rationem habere cum dactylor., quam	1 cum 2·9.

Quae discrimina respiciens facile quispiam possit suspicari hac in re etiam eas cc. bucol. partes, quae canticis explentur pastoralibus, differre a versibus ceteris, quibus continentur narrationes. quam ob causam videamus, num id re vera ita se habeat. insunt quidem cantica illa in his cc. bucol. partibus: I 64—145; III 6—54; V 80—137; VI 6—19, 21—41; VII 52—89, 96—127; VIII 33—60, 63—70, 72—80; IX 7—13, 15—21, 28—36; X 24—37, 42—55; XI 19—79. unde elucet dimidium fere omnium versuum in cc. bucol. canticis, de quibus agitur, effici; versibus enim adlatis expletur numerus CCCCXXXVII, restant versus CCCCXXXIX. variae autem versuum formae hunc in modum inter utriusque generis versus distribuuntur:

formae versuum	in cantic. pastoral.	in narratione	in universis carmin. buc. vv.
ddddd	63	59	122
sdddd	75	72	147
dsddd	71	81	152
ddsdd	41	18	59
dddsd	12	12	24
ssddd	43	72	115
dssdd	31	30	61
ddssd	4	1	5
sdsdd	24	17	41
dsdsd	15	18	33
sddsd	16	16	32
sssdd	16	15	31
dsssd	2	2	4
sdssd	2	1	3
ssdsd	16	19	35
ssssd	—	1	1
	431	434	865
dddds	1	2	3
sddds	1	—	1
dsdds	1	1	2
ssdds	1	1	2
sdsds	1	—	1
sssds	1	—	1
ssdss	—	1	1
	6	5	11

Rationem igitur, qua dactyli temperantur spondeis, si spectamus, nil differre cantica in edylliis bucolicis a versibus ceteris his tabellis docemur. quod autem versuum, qui habent formam ddsdd, numerus in canticis iusto magis superare videtur eorundem versuum numerum in ceteris carminum partibus, memorandum est versum carminis primi intercalarem, qui duodeviciens iteratur, eiusdem esse formae. quem si semel numeramus, non plus XXIII versus in canticis formam illam exhibent.

Quae cum ita sint, Theocritum in edylliis bucol. graviores vel leviores formas in alterutro versuum genere consilio adhibuisse adfirmari nequit, id quod etiam magis erit perspicuum, ubi omnium dactylorum et spondeorum numeros in utriusque generis versibus expenderimus. extant enim in 437 vv. canticorum 1597 dactyli, 588 spondei, in 439 versibus ceteris 1578 dactyli, 617 spondei. in centenis autem pedibus versuum prioris generis 73 dactyli reperiuntur et 27 spondei, in totidem pedibus versuum alterius generis 72 dactyli et 28 spondei, quod discrimen esse minimum ac paene nullum non est quod doceam. de ratione autem, quae inter cantica et ceteros intercedit versus, plura nobis, ubi caesuras tractabimus, proferenda erunt.

Accuratius vero cognoscere atque rectius aestimare artem, qua Theocritus spondeis dactylos temperavit numerorumque varietati consulere studuit, tum demum poterimus, ubi rationem ac viam, quam alii poetae hac in re secuti sunt, paucis quidem exposuerimus contulerimusque cum more Theocriteo. atque in primis Callimachus, qui inter poetas Alexandrinos plurimum apud posteros valuit exemplo, in censum venit. in hymnis autem Callimacheis I.—IV., VI. reperiuntur in 930 versibus hae formae[1]):

1.	formam	ddddd	exhibent	211	versus	vel	22·5%
2.	„	sdddd	„	91	„	„	9·7 „
3.	„	dsddd	„	253	„	„	28·0 „
4.	„	ddsdd	„	24	„	„	2·5 „
5.	„	dddsd	„	67	„	„	7·1 „
6.	„	ssddd	„	63	„	„	6·7 „
7.	„	dssdd	„	25	„	„	2·7 „
8.	„	sdsdd	„	1	„	„	0·1 „
9.	„	ddssd	„	12	„	„	1·3 „
10.	„	dsdsd	„	63	„	„	6·7 „
11.	„	sddsd	„	38	„	„	4·0 „
12.	„	sssdd	„	3	„	„	0·3 „
13.	„	ssdsd	„	16	„	„	1·7 „
				867	versus	vel	93·3%

[1]) Secutus sum hac in re Benekium 'De arte metr. Call.' p. 14 sqq. omissi sunt versus mutilati; cf. Benek. ibid. p. 7.

14.	formam	dddds	exhibent	20	versus	vel	2·1%
15.	"	sddds	"	9	"	"	1·0 "
16.	"	dsdds	"	16	"	"	1·7 "
17.	"	ddsds	"	6	"	"	0·6 "
18.	"	ssdds	"	8	"	"	0·9 "
19.	"	dssds	"	3	"	"	0·3 "
20.	"	sdsds	"	1	"	"	0·1 "
				63	versus	vel	6·7%

Qua ex tabula Callimachum iam in eorum numerum esse referendum cognoscimus, qui in eligendis hexametri formis severiores sese praestiterunt; videmus enim XX tantum formas ab eo esse admissas, quarum XIII in sede quinta dactylum, VII spondeum praebent[1]). si autem illam versuum partem accuratius inspexeris, fugere te non poterit easdem illas quattuor formas, quae apud Theocritum sunt rarissimae, in his hymnorum Callimacheorum versibus omnino non reperiri praeter formam ddssd, quae semel invenitur eaque in versu anaphorae figura insigni: h. VI 73 *οὔτε νιν εἰς ἐράνως οὔτε ξυνδείπνια πέμπων.* in Argonauticis vero Apollonii Rhodii eaedem versuum formae, quae apud Theocritum invenimus, reperiuntur duabus exceptis: dsdss et ssdss: exhibet igitur Apollonius XXVI varias hexametri formas.

Simili ratione atque Callimachus usi sunt in hexametris componendis Bion et Moschus, quorum in carmina, cum eiusdem sint generis atque Theocritea, hoc loco inquirere haud e re esse arbitror. insunt quidem in carminibus, quae poetis illis vulgo adscribuntur, versus ad haec schemata conformati[2]):

formae versuum	Bionis		Moschi			
	cc. I, III-XVIII	c. II[3])	cc. I, V-VIII	c. II	c. III	c. IV
1 ddddd	56	10	18	39	29	28
2 sdddd	43	7	14	18	16	19
3 dsddd	45	4	11	27	32	25

[1]) Beneke libelli adl. p. 16. formas 21 quidem adfert (etiam formam dsssd), sed memorandum est h. l. de solis quinque hymnis, qui versu heroico sunt conscripti, verba fieri; ceterum forma dsssd ab hymnis illis aliena semel tantum modo reperitur in fr. dub. 378.

[2]) Secutus sum edit. a Zieglero curatam, Tubingae 1868.

[3]) Hoc carmen (*Ἐπιθαλάμιος Ἀχιλλέως καὶ Δηιδαμείας*) separavi a ceteris, quia sunt, a quibus Bioni abiudicetur; idem valet de Moschi cc. III. (*Ἐπιτάφιος Βίωνος*) et IV. (*Μεγάρα*).

formae versuum	Bionis cc. I, III-XVIII	Bionis c. II	Moschi cc. I, V-VIII	Moschi c. II	Moschi c. III	Moschi c. IV
4 ddsdd	8	1	3	11	19 [1])	—
5 dddsd	18	2	4	10	6	13
6 ssddd	7	2	3	13	3	10
7 dssdd	9	3	6	10	9	—
8 ddssd	—	—	—	1 (v. 73)	—	—
9 sdsdd	1	—	1	4	3	—
10 dsdsd	4	—	—	7	3	3
11 sddsd	12	—	1	3	6	4
12 sssdd	—	1 (v. 4)	—	1 (v. 10)	3	—
13 dsssd	—	—	—	1 (v. 81)	—	—
14 sdssd	—	—	—	1 (v. 85)	—	—
15 ssdsd	2	1	—	1	—	6
	205	31	61	147	128	108
16 dddds	3	—	—	6	—	7
17 sddds	4	—	—	6	—	5
18 dsdds	—	—	—	4	—	1
19 ddsds	—	—	—	—	—	1 (v. 41)
20 dddss	—	—	—	1 (v. 41)	—	1 (v. 95)
21 ssdds	—	—	—	1 (v. 123)	—	1 (v. 75)
22 ssdss	—	—	—	1 (v. 24)	—	1 (v. 36)
	7	—	—	19	—	17

Adparet poetas bucolicos, qui post Theocritum fuerunt, aeque atque Callimachum maiorem adfectavisse numerorum volubilitatem. nam quod ad versus in sede quinta dactylum exhibentes attinet, si omittimus Moschi c. II. (Europam), nusquam in his edylliis formae, quibus Callimachum abstinere vidimus, leguntur; ac ne forma quidem ddssd, quam semel apud Callimachum repperimus, invenitur. carmen vero Moschi, quod inscribitur *Εὐρώπη*, hac in re a ceteris differt; excepta enim forma gravissima ssssd nullam earum, quae habent pedem quintum dactylicum, ibi desiderabis. versus etiam *σπονδειάζοντες* quamquam paucissimi ita conformati in eodem carmine insunt, quales apud Callimachum frustra quaesiveris. magna autem, si usum versuum spondiacorum spectas, huic carmini est similitudo cum edyllio IV.,

[1]) Hanc formam exhibet versus intercalaris 8, 13 cett. quindeciens repetitus. qua in re poeta huius carminis haud dubie Theocritum imitatus est, cuius in carmine primo versum intercalarem eiusdem formae esse supra vidimus.

quod Moscho abiudicatur. videmus vero haec duo edyllia sola in carminibus, quae sub Moschi nomine feruntur, versus spondiacos exhibere. apud Bionem autem inveni eius generis versus VII, quorum V extant in carmine I., cui inscribitur *'Επιτάφιος Ἀδώνιδος* (vv.: 18, 25, 27, 34, 93), duo tantum in ceteris carminibus: IV 1 et X 3[1].

Cum maiore volubilitate, qua horum poetarum versus sunt insignes, artissime quoque cohaeret ratio, quae inter dactylorum et spondeorum frequentiam in his versibus intercedit. qua in re proxime ad Theocritum accedit Callimachus, a quo haud multum differt Moschus; maxime autem dactyli superant spondeos apud Bionem. extant enim

apud	Callimach.	in	930	vv.	3652	dactyli,	998	spondei,
„	Mosch.[2])	„	227	„	892	„	243	„
„	Bion.	„	212	„	863	„	197	„

Unde sequitur spondeorum numerum cum dactylorum numero

ap.	Callim.	eandem	habere	rationem,	quam	1 cum 3·6,
„	Mosch.	„	„	„	„	1 cum 3·7,
„	Bion.	„	„	„	„	1 cum 4·4.

Potest profecto conlatis, quas singuli poetae secuti sunt, rationibus facile intellegi dactylorum frequentiam temporum decursu magis magisque auctam easque versuum formas, in quibus duo vel plures spondei inter se excipiunt, rariores factas esse. certos autem fines terminosque usui variarum hexametri formarum constituit Nonnus, qui in viginti quinque fere milibus versuum novem tantummodo formas admisit, quae sunt hae: ddddd, sdddd, dsddd, ddsdd, dddsd, sdsdd, dsdsd, sddsd, dssdd.

Primum quidem nusquam a Nonno in sede versus quinta spondeum esse admissum videmus; deinde nusquam binos spondeos continuos sibi concessit nisi in pede altero et tertio. de frequentia singularum formarum accuratius egit Ludwich 'Beiträge e. q. s.' p. 48. longe frequentissimi vero sunt versus, qui meris constant dactylis (in Dionys. libro I. reperiuntur CLXXXVIII vel 35·2%); ad quos proxime accedunt ii, qui in sede

---

[1]) De hoc autem versu num verum viderit Ziegler, qui ita eum conformavit, ut in sede quinta exhibeatur spondeus (*τυτθὸν ἔφαν· τί νυ τόσσον ἀπήχθεο καὶ τὶν αὐτᾷ*) propter exitum in vocabulum bisyllabum dubitare licet; G. Hermann scribendum esse coniecit *καὶ τεΐν αὐτᾷ*, id quod Meinekio quoque probatur.

[2]) Carmina III. et IV. nolui confundere cum ceteris, quam ob rem ea h. l. aeque ac Bionis c. II. omisi.

altera spondeum, in ceteris autem pedibus exhibent dactylos (in libro I. CXXX vel 24·3%); rarissimi denique sunt versus formarum sdsdd et dssdd (utraque in libro I. bis invenitur). in universum autem si spectamus dactylorum et spondeorum frequentiam, insunt in vv. DXXXIV libri I. MMCCLI dactyli, CCCCXIX spondei, unde spondeorum numerorum eandem rationem habere patet cum dactylorum numero, quam 1 cum 5·4.

Formas vero hexametri a Nonno reiectas si spectas, neglegendum non est easdem, si exceperis versus spondiacos, iam apud poetas Alexandrinae, quae dicitur, aetatis aut omnino non legi aut rarissime reperiri. atque in ipsis Homeri carminibus, id quod statim videbimus, eaedem formae rariores sunt quam novem illae Nonno probatae. sola forma ssddd excipienda est, quae apud Homerum, Callimachum, Theocritum, Moschum frequentior est quam forma dssdd a Nonno admissa. sed iam apud Bionem formae illius versus rariores sunt quam huius. et memoratu dignum est poetam carminis illius in mortem Bionis scripti, quod Buecheler[1]) Sullae temporibus ortum esse suspicatur, non solum nullum versum spondiacum, sed ne ex ceteris quidem formis plures quam XI admisisse. sunt quidem novem illae formae, quae inveniuntur apud Nonnum, auctae formis ssddd et sssdd, quarum utraque ter tantum reperitur. qua in re memorabile est easdem duas formas aeque ac formam ssdsd, quae apud Homerum, Callimachum, Theocritum etiam frequentior est quam forma sssdd, ab ipsis Nonni sectatoribus mox denuo esse admissas. sic iam Musaeus[2]), qui sat religiose Nonni vestigia sequitur, formam ssddd recepit, Ioannes Gazaeus autem tres omnes usurpavit[3]).

Ut vero ad Theocritum redeamus, discrimen inter singula carminum genera intercedere videmus ac maxime inter se differre carmina bucolica et epica. in his quidem versus meris dactylis constantes, si frequentiam respicimus, primum tenent locum, in illis tertium; formae autem versuum, in quibus plures insunt spondei, in carminibus bucol., id quod iam supra ostendimus, in universum saepius leguntur. quae cum ita sint, iure adfirmare posse mihi videor Theocritum in carminibus generis epici non solum in materia eligenda, sed etiam in versibus componendis magis ad aequalium veluti Callimachi morem sese adplicasse magisque versuum adfectasse volubilitatem, contra in edylliis bucol. Homerum potius atque suum ipsius ingenium secutum liberiore usum esse ratione. quae sententia non solum maiore versuum spondiacorum in carminibus epicis frequentia, sed etiam caesurarum usu, id quod infra videbimus, comprobatur. quod si Theocritum

---

[1]) Cf. Mus. Rhen. XXX (1875) 33 sqq.

[2]) Cf. quae exposuit Scheindler Annal. gymnas. Austr. XXVIII 162 sq.

[3]) Cf. Ludwichii 'Beiträge e. q. s.' p. 46.

in carminibus bucol. versuum plures spondeos exhibentium usu propius a Homerum accedere dixi, neglegendum non est apud hunc poetam ipsur in aliis carminum partibus aliter rem se habere. inquisivi in primum Iliadi et primum Odyssiae librum, quae carminum Homericorum partes, si singu larum hexametri formarum spectamus usum numerumque dactylorum e spondeorum e- eo pendentem, sat multum inter se differunt. id vero u accuratius possit perspici atque usus Homericus comparari cum Theocriteo indicem formarum hexametri, quae in libris illis inveniuntur, proponat necesse est[1]):

formae versuum	in Iliadis A	in Odyssiae α
1 ddddd	132 vel 21·6 %	77 vel 17·7 %
3 dsddd	96 „ 15·8 „	53 „ 12·2 „
2 sdddd	96 „ 15·8 „	72 „ 16·6 „
4 ddsdd	28 „ 4·6 „	19 „ 4·4 „
5 dddsd	61 „ 10·0 „	28 „ 6·4 „
6 ssddd	48 „ 7·9 „	42 „ 9·7 „
7 dssdd	15 „ 2·5 „	6 „ 1·4 „
8 ddssd	4 „ 0·6 „	8 „ 1·9 „
9 sdsdd	9 „ 1·4 „	18 „ 4·2 „
10 dsdsd	33 „ 5·4 „	27 „ 7·2 „
11 sddsd	28 „ 4·6 „	41 „ 9·6 „
12 sssdd	4 „ 0·6 „	7 „ 1·6 „
13 dsssd	3 „ 0·4 „	2 „ 0·5 „
14 sdssd	10 „ 1·6 „	2 „ 0·5 „
15 ssdsd	16 „ 2·6 „	19 „ 4·4 „
16 ssssd	2 „ 0·3 „	1 „ 0·2 „
	585 vel 95·7 %	422 vel 95·0 %

[1]) Iliadis editionem secutus sum a Christio curatam Lips. 1884, Odyssiae ec Bekker. alteram, Bonnae 1858. Etiam Drobisch in formas eorundem librorum carm. Ho l. c. inquisivit; et cum iam in eo esset, ut hic libellus prelo subiceretur, Ludwic „Aristarch's Homerische Textkritik vol. II. Lips. 1885" in manus mihi venit, cui libri p. 301 sqq. de variis hexametri formis omnium Homeri librorum atque eti: poetarum inferioris aetatis fusius exponitur. quod autem numeri versuum a viris il doctis propositi neque inter se neque cum numeris a me propositis ubique consentiu maximam partem ea res ex variarum editionum usu et varia vocabulorum ve *'Ατρεΐδης* (*'Ατρείδης*), *κόιλος* (*κοῖλος*) cett. pronuntiatione explicanda esse videtur. s discrepantiae illae in universum minoris sunt momenti neque quicquam ad tot iudicium immutandum valent. ceterum nescio an Ludwich l. c. iusto acrius spond in Homeri carminibus defendat.

formae versuum	in Iliadis A	in Odyssiae α
17 dddds	7 vel 1·16%	7 vel 1·6%
18 sddds	6 „ 1·00 „	2 „ 0·5 „
19 dsdds	7 „ 1·16 „	5 „ 1·1 „
20 ddsds	3 „ 0·50 „	—
21 dddss	1 „ 0·16 „	—
22 ssdds	—	1 vel 0·2%
23 dssds	1 vel 0·16%	4 „ 0·9 „
24 ddsss	1 „ 0·16 „	—
25 sdsds	—	1 vel 0·2%
26 dsdss	—	2 „ 0·5 „
	26 vel 4·30%	22 vel 5·0%

His ex tabellis primo aspectu cognoscere licet leviorum formarum usum latius in primo Iliadis quam in primo Odyssiae libro patere. quae res vel magis confirmatur, si, quanto opere in utroque carmine dactyli superent spondeos, respicimus. insunt quidem

in 611 vv. libri A 2346 dactyli, 709 spondei,
„ 444 „ „ α 1625 „ 595 „

frequentia igitur spondeorum cum dactylorum frequentia

in libro A eandem habet rationem, quam 1 cum 3·3,
„ „ α „ „ „ „ 1 „ 2·7.

varietati autem numerorum quem ad modum consulatur in Homero, iam inde potest cognosci, quod priores XLV versus primi Iliadis libri XVIII varias hexametri formas exhibent.

Constat vero, id quod iam supra commemoravi, spondei in hexametro usum a poetis Graecis temporum successu magis magisque esse restrictum. et quo inferiore quaeque carmina extiterunt aetate, eo minus in universum quidem dactylus in eis cedit spondeo, eo frequentiores sunt versus spondeis omnino carentes. Ludwich autem, qui de hac re disputavit Annal. philol. CIX, p. 236 sq. causam crescentis paulatim dactylorum frequentiae in sola immutata natura linguae ipsius, quae volubilior facta sit, inesse arbitratur[1]). sed etsi haud quisquam infitias ibit pariter atque alias linguas etiam Graecam temporum decursu mutatam esse, tamen, ubi respexeris iam in primo Iliadis libro eandem fere atque in Callimachi, Apollonii Rhodii, Nicandri carminibus vel apud Tryphiodorum et Colluthum ac maiorem quam apud Pseudophocylidem, Maximum, Dionysium Perieg., Oppianum (cf. Ludwich. 'Arist. Hom.

[1]) Cf. etiam 'Aristarch's Hom. Textkr.' II 305.

Textkr.' II 303 sq.) dactylorum esse frequentiam, in Theocriti autem edylliis bucol. minorem pro rata parte quam in Odyssiae libro primo, facile vel inde cognosces (ut omittam discrimina, quae inter carmina singulorum eiusdem aetatis poetarum, velut inter Theocriti cc. bucol. et hymnos Callimachi intercedunt) plurimum etiam hac in re poetarum valere ingenia, prout quisque magis minusve adfectet numeros rotundiores. ac re vera inferiorum temporum poetas Graecos mirum quantum volubilitati versuum studuisse, ita quidem, ut vel ipsam numerorum varietatem neglegerent, nemo prudens negabit. eodem praeter alia id quoque spectat, quod poetae posteriores leviorem tertii pedis caesuram, trochaicam dico, adeo fere praeferebant semiquinariae, quasi illa sola legitima versus heroici esset caesura primaria. atque apud ipsum Theocritum in isdem carminibus, in quibus spondeus est frequentior, caesura quoque semiquinaria multo saepius invenitur (in edyll. bucol. 49·9 versus in centenis ea sunt instructi, in mim. 47·8, in epicis non plus 28·3). nec minus, quod usus syllabarum ante mutam cum liquida correptarum multo latius patet in edylliis epicis quam in bucol., huc pertinet; qua de re cf. infra.

Prorsus aliter res se habet, si comparatur cum hexametro Graeco poetarum Latinorum versus heroicus. huius naturam diversam a versus Graeci condicione si Ludwich[1]) ad diversas linguae Graecae et Latinae rationes refert, nemo haud dubie ab eo dissentiet. hanc enim discrepantiam non ad unius vel aliquot, sed ad omnium poetarum hexametros, si componuntur cum Graecis, pertinere videmus[2]). nemo autem si apud Ovidium

---

[1]) Cf. 'Beiträge e. q. s.' p. 46 sq., ubi 560 priores Arati Phaenomenon versus conferuntur cum totidem versibus interpretationis Latinae a Cicerone confectae.

[2]) Operae pretium est rationes, quas poetae Graeci dactylos spondeis temperantes secuti sunt, obiter quidem conferre cum rationibus a poetis Latinis observatis, quas accuratius exposuit Drobisch l. c. qua ex disputatione elucet apud Romanos in universum multo crebriores esse spondeos quam apud Graecos. cuius rei causa haud dubie inde repetenda est, quod sermo Latinus multo plures quam Graecus syllabas longas exhibet. hoc igitur modo factum est, ut formae versuum spondeis scatentes, quas a Graecis vitari vidimus, a Romanis adhiberentur saepissime. nam frequentissimi apud plerosque poetas Romanos (Lucretium, Catullum, Vergilium, Horatium, Iuvenalem, Silium Italicum, alios) sunt versus exhibentes speciem dsssd, ad quos proxime accedunt hexametri formae ddssd (cuius modi versu Vergilius Aeneidem, Ovidius Metamorphoses, Lucanus Pharsaliam incohat); deinde secuntur versus, quorum sunt formae dsdsd et sdssd. contra hexametri spondeis prorsus carentes apud omnes poetas Latinos adnumerandi sunt rarissimis. solus Ovidius hac in re paulo propius ad Graecorum artem accessit, apud quem in centenis versibus 5·9 meris dactylis constant. apud Ennium habent in totidem hexametris omnes pedes dactylicos vv. 4·8, apud Valer. Flacc. 3·75, apud Statium 3·0, apud Iuvenalem et Lucanum 2·3, apud Persium 2·2, apud Horatium (de arte poet.), Manilium, Silium Ital. 2·0, apud Lucretium 1·4, apud Claudianum 0·9, apud Ciceronem in Arateis 0·7, apud Catullum 0·2.

multo plures pro rata parte invenerit dactylos quam apud poetas aetatis paulo superioris, velut apud ipsum Vergilium [1]), hanc rem linguae naturae iure tribuet; immo ipsorum poetarum studio atque ingenio id imputandum est. nam etiam qui post Ovidium versu heroico in carminibus pangendis usi sunt poetae Latini saepius in universum admiserunt spondeum quam Ovidius.

Iam priusquam ad alteram huius capitis partem transeamus, pauca quidem de carminibus dubiae originis, quae inter Theocritea leguntur, proferre mihi liceat. quae carmina cum inter se, ubi de singulorum versuum formis agitur, nequaquam congruant, haud inutile erit tabulam, qua discrepantiae illae inlustrentur, proponere:

formae versuum	c. XIX	c. XX	c. XXI	c. XXIII	c. XXVII
1 dddd d	2	14	14	11	18
2 sdddd	3	6	4	12	17
3 dsddd	—	8	9	15	12
4 ddsdd	—	4	2	2	3
5 dddsd	—	4	4	3	3
6 ssddd	—	1 (v. 30)	8	5	6
7 dssdd	1 (v. 2)	3	6	5	1 (v. 23)
8 ddssd	—	—	2 (vv. 56, 60)	—	—
9 sdsdd	1 (v. 5)	3	3	2	2
10 dsdsd	—	1 (v. 6)	1 (v. 4)	6	2
11 sddsd	1 (v. 1)	1 (v. 36)	4	1 (v. 46)	2
12 sssdd	—	—	2 (vv. 17, 31)	—	—
13 dsssd	—	—	1 (v. 67)	—	—
14 sdssd	—	—	—	—	3 (vv. 36, 59, 61)
15 ssdsd	—	—	2 (vv. 11, 28)	1 (v. 51)	—
16 ssssd	—	—	1 (v. 66)	—	—
	8	45	63	63	69
17 sddds	—	—	—	—	1 (v. 28)
18 dsdss	—	—	1 (v. 55)	—	—
	—	—	1	—	1

Iam primo obtutu nemo non videt c. XXI. a ceteris maiore variarum formarum multitudine differre. etiam versus spondiaci in hoc carmine et

[1]) Inveniuntur apud Ovidium in 560 prioribus verss. libri Metamorphoseon primi 1784 dactyli, 1016 spondei (sequor hac in re Drobischium, nisi quod etiam pedis quinti et versuum spondiacorum, ne a via in poetis Graecis aestimandis inita recederem, duxi rationem); apud Vergilium in totidem prioribus primi Aeneidis libri versibus 1528 dactyli extant, 1272 spondei. hic igitur spondei cum dactylis eandem habent rationem, quam 1 cum 1·2; apud Ovidium autem eandem, quam 1 cum 1·75.

XXVII. solis insunt. in edyllio autem XX. variarum hexametri formarum usum maxime restrictum videmus (carmen enim XIX., cum non plus VIII versus exhibeat, minus in censum venit); nam X modo formae in eo reperiuntur, quarum IX etiam Nonnus admisit; forma autem decima (ssddd) semel tantum occurrit, in versu 30. qui anaphorae figura est insignis: *καὶ πᾶσαι καλόν με κατ' ὤρεα φαντὶ γυναῖκες,* | *καὶ πᾶσαι με φιλεῦντι.*

Eaedem formae X extant in c. XXIII., augentur autem forma ssdsd, quae invenitur v. 51 *τὰν λεπτὰν σχοινῖδα, βρόχον δ' ἔμβαλλε τραχήλῳ.* sed valde dubites, num lectio *ἔμβαλλε* sit genuina. tres enim codices, Vat. 1311, Vat. 1379, Ambros. 75 exhibent *ἔβαλλε,* Med. 43 *ἐνέβαλλε. ἔβαλλε* autem ortum esse ex *ἐνέβαλλε* non minus veri simile est quam ex *ἔμβαλλε.* si igitur rei metricae rationem habemus, lectio *ἐνέβαλλε,* quae etiam libris m. ser. magis comprobatur, praeferenda esse videtur.

In edyllio XXVII. inter hexametros, quorum pes quintus dactylo efficitur, praeter easdem formas, quae inveniuntur in cc. XX. et XXIII., tres versus leguntur ad schema sdssd conformati. quae res eo magis digna est notatu, quod haec versus heroici forma in omnibus Theocriti carminibus bucol. non saepius reperitur. anaphora autem unus modo ex tribus illis carminis XXVII. versibus conspicuus est, dico v. 36 *τεύχεις μοι θαλάμους, τεύχεις καὶ δῶμα καὶ αὐλάς;*

Numerum autem dactylorum et spondeorum in universum si spectamus, maxime praevalent dactyli in ed. XX., minime in ed. XXI.; cc. XXIII. et XXVII. hac in re medium tenent locum. habent quidem spondei cum dactylis

in	c. XX.	eandem	rationem,	quam	1	cum 4·6,
„	c. XXI.	„	„	„	1	„ 2·6,
„	c. XXIII.	„	„	„	1	„ 3·3,
„	c. XXVII.	„	„	„	1	„ 3·2.

II.

Cum ex eis, quae exposuimus, iudicium, quod declaravit Theocritus in eligendis adhibendisque variis hexametri formis, cognosci possit, iam in eo est, ut, qui in singulis versus sedibus usus spondeorum sit proprius, quo modo illae hac in re inter se differant, accuratius demonstremus. constat enim iam in Homeri carminibus ne in quattuor prioribus quidem hexametri pedibus, ut omittamus sedem quintam, parem esse spondeorum frequentiam; longe plurimi quidem reperiuntur in sedibus prima et altera, multo pauciores in pede tertio et quarto. qua in re etiam ab omnibus inferiorum temporum poetis Graecis in universum Homeri pressa esse videmus vestigia. ac Theocritus quam in spondeis inter singulas versus sedes distribuendis secutus sit rationem, ex hac perspici potest tabula:

singulae versuum sedes		in cc. bucol.	in cc. mim.	in cc. epicis	in omnibus Theocr. cc. genuin.	in cc. dub.
I sed.	dact.	465 v. 53·1%	238 v. 53·7%	639 v. 60·4%	1342 v. 56·45%	176 v. 62·0%
	spond.	411 „ 46·9 „	205 „ 46·3 „	419 „ 39·6 „	1035 „ 43·55 „	108 „ 38·0 „
II sed.	dact.	438 „ 50·0 „	270 „ 61·0 „	633 „ 59·9 „	1341 „ 56·4 „	171 „ 60·2 „
	spond.	438 „ 50·0 „	173 „ 39·0 „	425 „ 40·1 „	1036 „ 43·6 „	113 „ 39·8 „
III sed.	dact.	669 „ 76·4 „	351 „ 79·2 „	954 „ 91·2 „	1974 „ 83·0 „	234 „ 82·4 „
	spond.	207 „ 23·6 „	92 „ 20·8 „	104 „ 9·8 „	403 „ 17·0 „	50 „ 17·6 „
IV sed.	dact.	738 „ 84·3 „	349 „ 77·8 „	795 „ 75·2 „	1882 „ 79·2 „	234 „ 82·4 „
	spond.	138 „ 15·7 „	94 „ 21·2 „	263 „ 24·8 „	495 „ 20·8 „	50 „ 17·6 „
V sed.	dact.	865 „ 98·8 „	429 „ 96·9 „	986 „ 93·2 „	2280 „ 96·0 „	281 „ 98·9 „
	spond.	11 „ 1·2 „	14 „ 3·1 „	72 „ 6·8 „	97 „ 4·0 „	3 „ 1·1 „

Unde adparet a Theocrito quoque spondeum saepissime in pedibus primo et altero esse admissum. inter se autem hae sedes spondeorum frequentia in universum quidem non differunt, id quod ex numero spondeorum, qui in omnibus Theocriti carminibus in utraque sede inveniuntur (MXXXV in pede primo, MXXXVI in pede altero), satis elucet. sed cum spondeis non minus quam caesuris rhythmus, quem vocant, retardetur, poetis, qui numerorum concinnitati elegantiaeque studebant, in admittendis spondeis incisionum ratio erat ducenda. in primis autem enitendum eis erat, ne singuli pedes, si duo vel plures spondei inter se excipiebant, nimis dirimerentur, id quod vocabuli exitu conveniente cum fine spondei facile poterat fieri. ac maxime hoc valet de priore hexametri membro, quod finitur caesura primaria; in eo enim spondeorum frequentia multo maior est quam in hemistichio altero. Callimachum vero Heep l. c. p. 11 studuisse ait, ne in hac hexametri parte, si spondeus in ea inesset, plus unam admitteret incisionem. neque Theocritus, quamquam aliquanto liberius hunc versatum esse, praecipue in edylliis bucol. negari nequit, ab eadem ratione iusto longius recessit. maximi autem hac in re momenti sunt ii versus, qui a binis spondeis initium capiunt, quos accuratius inspicere haud inutile erit.

Insunt quidem huius modi versus in cc. bucol. CLXXXVI, in mim. LXVII, in ep. CXIX, in cc. dub. XXX. quorum versuum nonnulli ita sunt comparati, ut nulla paene in priore hemistichio sentiatur incisio, id quod poeta interdum vocabulis per totum fere prius hexametri membrum pertinentibus, saepius autem vocalium finalium elisione, qua voces quodam modo coalescunt, adsequitur. atque illud observari potest in his versibus: *a)* VII 29 *ἐν δ' ἀμητήρεσσι. τὸ δὴ μάλα θυμὸν ἰαίνει,* *b)* XIV 30 *χὠ Λαρισαῖος »τὸν ἐμὸν Λύκον« ᾆδεν ἀπ' ἀρχᾶς,* *c)* XXIV 17 *τὼ δ' ἐξειληθέντες ἐπὶ χθονὶ*

γαστέρας ἄμφω. frequentiores autem sunt versus, quorum in priore hemistichio breviora vocabula elisione artius conectuntur, velut IV 13 *δειλαῖαί γ' αὖται,* 46 *σίτθ' ἁ Κυμαίθα*[1]). sunt vero huius modi versus in cc. ep. pro rata parte frequentissimi. ac similiter voces cohaerent his locis: *a)* I 22 *καὶ τᾶν Κρανααᾶν,* 152 *οὐ μὴ σκιρτασεῖτε;* V 97, 143; VI 39; XV 97; *c)* XVII 114; *d)* XXI 32.

Ceteri autem hexametri a binis spondeis incipientes apud Theocritum omnes fere ita sunt comparati, ut in priore uniuscuiusque membro semel tantum aut post alteram arsim aut post pedem primum incidatur. atque illa caesura est frequentior; sunt enim in edyll. bucol. eius generis versus XCV ea instructi, in cc. mim. XL, in ep. LXVIII, in dub. XV; contra in fine pedis primi in cc. bucol. LXI versus inciduntur, in mim. XVII, in ep. XXVIII, in dub. XIII. in duobus modo versibus cc. bucol. VIII 51 *ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος . . .,* et XI 59 *ὥστ' οὐκ ἄν τοι ταῦτα . . .,* quorum priori vocis *τῆνος* repetitio adfert excusationem, incisio cum alterius pedis fine convenit. duo versus in eiusdem generis carminibus interpunctione post arsim primi pedis insignes sunt: IV 2 *οὐκ, ἀλλ' Αἴγωνος· βόσκειν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν,* X 25 *παῖδ'· ὧν γάρ χ' ἅψησθε θεαί, καλὰ πάντα ποιεῖτε.*

Haud raro versuum illorum post pedem primum vel post arsim secundam incisorum priora hemistichia duabus tantum constant vocibus, velut I 109 *ὡραῖος χὤδωνις,* 148 *ἁδεῖαν, τέττιγος*[2]). si autem priore vel altera parte prioris hemistichii duae vel tres continentur voculae, semper fere hae artissimo inter se coniunctae sunt vinculo. ac plerumque quidem substantivum in illis versus partibus inest cum articulo vel praepositione consociatum (velut I 16 *συρίσδεν. τὸν Πᾶνα,* VII 137 *Νυμφᾶν ἐξ ἄντροιο),* aut pronomen relativum vel coniunctiones (veluti *καί, μή, εἰ*) cum sequentibus artissime conexae (veluti XVI 83 *κούρῃ θ', ᾗ σὺν ματρί,* IV 35 *τηνεῖ καὶ τὸν ταῦρον,* V 51 *αἴκ' ἔνθῃς, ὕπνῳ),* aut vox aliqua insequente enclitica vel voculis, quae encliticarum vice funguntur (*μέν, δέ, γάρ*), sequentibus (veluti XIII 63 *ἐξ εὐνᾶς σπεύσαι κεν,* XII 22 *ἀλλ' ἤτοι τούτων μέν,* V 131 *φέρβεσθαι, πολλὸς δέ,* ibid. 67 *τεῖδ' ἐνθών· ἄμμες γάρ*).

---

[1]) Exempla cetera sunt haec: *a)* IV 60; V 56, 58, 92, 135; VI 27; VII 111, 150; VIII 35, 76; IX 32; X 19, 29, 43, 50; XI 5, 22, 36; *b)* II 66, 86, 127; XV 84, 87, 93, 132; XVIII 22; *c)* XIII 15, 25, 37, 75; XVI 25, 90, 108; XVII 8, 93, 110, 128; XXII 33, 163, 170; XXV 28, 56, 137, 150; XXVI 22, 35; epgr. I 5; *d)* XXI 17; XXVII 22.

[2]) Quibus accedunt hi loci: *a)* III 38 *αὐτάν; ἀσεῦμαι,* IV 34; V 6, 9, 28, 103, 113, 125, 139; VI 28, 30, 44; VII 6, 104, 124, 133, 142; VIII 4, 20, 89; IX 20, 26; X 7; *b)* II 73, 109, 133; XIV 12, 55; XV 6, 51, 62, 69, 70, 71, 105, 127; XVIII 26, 48; *c)* XIII 20; XVI 15, 72, 78, 100, 107; XVII 23, 94, 125, 134; XXII 6, 18, 22, 39, 72, 77, 138; XXIV 50, 112; XXV 114, 119, 128, 196, 200, 207, 248, 273; XXVI 36; *d)* epgr. III 1.

Minus arte cohaerent vocabula in prioribus hemistichiis horum versuum: VI 43 *χὼ μὲν τῷ σύριγγ', ὁ δὲ τῷ καλὸν αὐλὸν ἔδωκεν*, IX 33 *τᾶς μοι πᾶς εἴη πλεῖος δόμος. οὔτε γὰρ ὕπνος*, XV 77 *κάλλιστ'· ἔνδοι πᾶσαι, ὁ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλᾴξας*. sed in versu VI 43 repetitio vocis *τῷ* praebet excusationem, et in v. XV 77 Theocritus, id quod ex altera parte huius hexametri ipsius elucet, certam quandam formulam in nuptiis sollemnem imitatus est, ut excusandum esse videatur, si plus quam alibi eo loco sibi concesserit.

Ne nimis lente procederent versus a binis spondeis initium capientes, Theocritus etiam caesura pedis tertii efficere studuit. ac maluit ille in huius modi hexametrorum multo maiore numero incisionem admittere tertii pedis trochaicam, qua versus fieret volubilior. si enim recesseris a versibus, qui etiam in tertia sede exhibent spondeum quosque caesura semiquinaria dividere cogebatur poeta, restant in cc. bucol. hexametri CLIII a binis spondeis incipientes, in mim. LVIII, in ep. CXIII, in dub. XXVI; caesuras autem tertii pedis si respexeris, reperitur in cc. buc. CXIX locis (vel 77·8%) caes. troch., XXXIV ll. (vel 22·2%) semiquinaria, in cc. mim. XLIII locis (vel 74·1%) caes. troch., XV ll. (v. 25·9%) semiquinaria, in cc. ep. XCII locis (vel 81·3%) caes. troch., XX ll. (v. 17·8%) semiquinaria. unus carminum epicorum versus huc pertinens (XXII 72 *ὀρνίθων φοινικολόφων τοιοίδε κυδοιμοί*) caesura pedis tertii caret. in cc. dub. XIX versus caesura tertii pedis trochaica, VII semiquinaria inciduntur.

Ii autem hexametri, qui caesuram habent semiquinariam, paucis exceptis bucolica etiam, quae ad versus volubilitatem augendam non nihil adfert, instructi sunt. operam igitur dedit poeta, ut prioris hemistichii gravitatem aucta in altero numerorum celeritate compensaret. spatium vero inter semiquinariam et bucolicam caesuram saepe (in primis in edyll. ep.) uno expletur vocabulo huiusce formae ⏑⏑–⏑⏑, velut I 22 *κατεναντίον*[1]. his vocibus poeta praecipue incisionis semiseptenariae evitandae causa usus esse videtur[2]. atque etiam si pluribus expletur vocabulis idem in versibus illis spatium, plerumque ea in unum coalescunt. quae cohaerentia haud raro interpunctione aut in semiquinaria incisione aut in bucolica aut in utraque

---

[1]) Adde haec exempla: *a)* I 138 *ἀπεπαύσατο*, III 26 *σκοπιάζεται*, 34 *διδυματόκον*, IV 36 *'Αμαρυλλίδι*, V 51 *μαλακώτερα*, 111 *ἐρεθίζετε*, VII 90 = I 138, VIII 4 *δεδαημένω*; *b)* II 159 *καταδήσομαι*, XIV 55 *διαπόντιος*, XVIII 22 *συνομάλικες*; *c)* XIII 20 *Μιδεάτιδος*, XVII 23 *περιώσιον*, 86 *ἀποτέμνεται*, 124 *περικαλλέας*, XXII 119 *Πολυδεύκεος*, 185 *ἐτινάξατο*, XXIV 50 *ταλασίφρονες*, XXV 23 *περιμήκεες*, 81 *χαλεπαινέμεν*, 128 *ἐπιβήτορες*, XXVI 16 *πεφοβημένος*, 28 *χαλεπώτερα*, 36 *μεμελημέναι*; *d)* XXI 46 *ποτεφύετο*, 53 *πεπυκασμένον*, XXIII 14 *περικείμενος*.

[2]) Latissime usus similium maioris amplitudinis vocabulorum dactylis abundantium apud Nonnum patet eiusque sectatores; cf. Scheindler. Annal. gymn. Austr. XXVIII, p. 163.

reposita augetur; quo longius enim intervallum caesura metrica coniuncta cum rhetorica, ut ita dicam, efficitur, eo artiore vinculo ea, quae proxima sunt, conectantur necesse est[1]. laxior reperitur cohaerentia in v. VI 43, quem anaphora esse insignem iam supra vidimus, et v. IV 40 *αἰαῖ τῶ σκληρῶ μάλα δαίμονος, ὅς με λελόγχει,* ubi vocula *μάλα* cum *σκληρῶ* coniungenda est. aliquot denique ex versibus, de quibus agitur, caesura bucolica prorsus carent: *a)* V 86, 97, 99; VIII 66; X 29; XI 66; *b)* XV 15, 36, 69, 97; *c)* XVII 128; XXII 98; XXV 207; XXVI 35.

Hexametri autem, quorum non solum duo priores, sed etiam tertius pes efficitur spondeo, uno excepto omnes, si modo in sede quarta extat dactylus, cum caesura semiquinaria coniunctam habent bucolicam[2]. solus v. XV 6, qui anaphora est insignis (cf. p. 9), incisione post pedem quartum caret. ubi autem in quarta quoque sede erat spondeus, caesura bucolica gravitatem levare numerorum poetae non iam licebat; sed quae huius modi versuum sit condicio, iam p. 7 sq. exposuimus.

Magni momenti ad totius versus numeros recte constituendos est usus spondei in pede altero, sive dactylus praecedit sive spondeus. hexametri enim, qui semiternaria carentes caesura in sede altera exhibent spondeum ita comparatum, ut vocabulum aliquod eo finiatur, aures offendant necesse est. cuius rei causa inde videtur esse repetenda, quod incisione ante ipsum hemistichii finem, quae in universum vitatur, praecedente spondeo admissa nimia numeris tarditas[3] adfertur. ac Nonnus similiter atque in poetis Latinis Ovidius eius modi versus prorsus devitavit; minus eos fugit Homerus, apud quem sat frequenter leguntur. certe Christ[4] DCXXX fere id genus hexametros in Homeri carminibus extare ait. quem numerum si conferimus

---

[1]) Sunt quidem illius generis hi versus: *a)* III 38, ubi spatium illud expletur verbis *ποτὶ τὰν πίτυν,* IV 3 *τὰ ποθέσπερα,* 46 *ποτὶ τὸν λόφον,* 49 *τὸ λαγωβόλον,* V 21 *ἔριφον θέμεν,* 31 *πυρὶ θάλπεαι,* 35 *μέγα δ' ἄχθομαι,* 113 = IV 3, VII 39 *κατ' ἐμὸν νόον,* 45 *μέγ' ἀπέχθεαι,* 109 *κατὰ μὲν χρόα,* 142 *περὶ πίδακας,* VIII 20 *τὰ δὲ τῶ πατρός,* 89 *ἐπὶ ματέρι,* 92 *παρὰ ποιμέσι,* IX 25 *καλὸν ὄστρακον,* X 23 *πρότερόν ποκα;* *b)* II 1 *φέρε Θεστυλί,* 60 *καθ' ὑπέρτερον,* 94 *τὸν ἀλαθέα,* XIV 12 *καὶ ὁ Θεσσαλός,* 30 *τὸν ἐμὸν Λύκον,* XV 51 *τί γενώμεθα,* 127 *τῷ Ἀδώνιδι,* XVIII 52 *Κρονίδας Ζεύς;* *c)* XIII 15 *ἐς ἀλαθινόν,* XXV 119 *περὶ πάντων,* epgr. I 5 *κεραὸς τράγος;* *d)* XXI 32 *κατὰ τὸν νόον,* XXIII 26 *τὸν ἐμὸν πόθον,* epigr. V 5 *λασίας δρυός.*

[2]) Cf. *a)* I 9, 71, 102, 110, 144; IV 2, 11, 13, 15, 26, 31; V 17, 28, 45, 96, 120, 139, 143; VI 27, 44; VII 106, VIII 3, 21, 35, 76; IX 33; X 43; XI 22, 36, 72; *b)* II 24, 98, 118, 155; XV 70; *c)* XVII 93, 114; XXII 39; *d)* XXI 17. 31; epgr. IV 1.

[3]) Cf. quae de huius modi versibus dicit Giseke (Homer. Forsch. p. 138): 'Nach dem Dactylus lähmt der Spondeus den Gang des Verses und bringt eine augenblickliche Stockung im Vortrag hervor, welche keinen angenehmen Eindruck macht'.

[4]) Cf. Sitzungsber. der phil.-philol. und hist. Classe der k. bair. Akad. d. Wissensch. 1879, p. 174 sqq.

cum similium versuum numero apud Theocritum, concedendum est hunc poetam, — quamquam ab Hilbergio de rationibus, quas in variis syllabis finalibus in thesi spondei pedis alterius usurpandis singuli poetae secuti sunt, disputante (Princip der Silbenwäg., p. 97 et 129) in universum in eodem genere atque Homerus et alii, qui minus severas hac in re observarunt leges, ponitur — sat caute in admittendis, de quibus verba fiunt, versibus versatum esse. potest enim molestia, quam incisio post alterum spondeum parat, variis rationibus imminui vel potius tolli. omnes quidem versus, qui caesura semiternaria instructi sunt, ita quidem, ut thesis spondei in sede altera vocula efficiatur monosyllaba, quae cum verbis sequentibus artius cohaereat (velut VIII 67 *ταὶ δ' ὄιες, μηδ' ὔμμες ὀκνεῖϑ' ἁπαλᾶς κορέσασϑαι* vel XV 107 *ἀνϑρώπων ὡς μῦϑος, ἐποίησας Βερενίκαν*), excipiendos esse hoc loco de eisque solis agi, qui caesura semiternaria careant, iam supra indicavimus. sed etiam ex huius modi hexametris ii multo minus displicent, in quibus pedis alterius spondeus duobus expletur vocabulis[1]). deinde offensio tota fere tollitur accedente enclitica in pede tertio vel alia voce cum eis, quae praecedunt, arte copulata. neque ipsa verborum compositio parvi hac in re est momenti. ubi enim primus hexametri pes interpunctione a sequentibus separatur et quasi adiungitur ad versum praecedentem, alterius pedis spondeus partes quodam modo suscipit pedis primi neque incisio illum subsequens aures male adficit.

Apud Theocritum vero hexametri eius generis, quod tractamus, paucis exceptis omnes habent, quo molestia aut imminuatur aut tollatur. ac nonnullis quidem versibus offensio ratione, quam primo loco exposui, removetur; voces, quibus spondeus pedis alterius efficitur, haud raro ambae arte cohaerent cum sequentibus, nonnumquam etiam interpungitur post pedem primum: *a*) V 31 *μὴ σπεῦδ'· οὐ γάρ τοι,* VII 39 *οὐ Δᾶν· οὐ γάρ πω* (qui duo versus, cum interpunctione post primi pedis spondeum reposita offensio, quae inesse solet hexametris, quorum in initio quattuor vel quinque extant voculae monosyllabae[2]), valde imminuatur, multum differunt ab eius modi versibus, qualis est Hom. Σ 362 *καὶ μὲν δή πού τις μέλλει βροτὸς ἀνδρὶ τελέσσαι*), XI 59 *ὥστ' οὐκ ἄν τοι ταῦτα,* accedit versus V 44 *ἀλλὰ γὰρ ἕρφ' ὧδ', ἕρπε, καὶ ὕστατα βουκολιαξῇ,* in quo post alterius pedis spondeum interpungitur (cf. XIV 51); sed nihilominus vox repetita *ἕρπε* arte cum praecedentibus coniuncta est, quae cohaerentia elisa littera finali vocis *ὧδε* adiuvatur; *b*) XIV 3 *πράσσομες οὐχ ὡς λῷστα,* 65 *Αἰσχίνα. ὥστ' εἴ τοι,* XV 2

---

[1]) Cf. Christ. l. c. p. 174, adn. 34.

[2]) Hoc tamen non valere de versibus, in quibus vocabulis illis monosyllabis dactyli efficiuntur (velut VIII 85 *αἰ δέ τι λῇς με καὶ αὐτὸν ἅμ' αἰπολέοντα διδάξαι*), per se satis patet.

θαῦμ' ὅτι καὶ νῦν ἦνθες; *c)* XVI 83 κούρῃ θ', ᾗ σὺν ματρὶ, XVII 15 βούλαν, ἂν οὐκ ἄλλος, XXII 57 θαρσέω, κοὐκ ἐκ σεῦ με, 62 δαιμόνι', οὐδ' ἂν τοῦδε, 63 γνώσεαι εἴ σευ δῖψος, XXV 81 ᾔδει δ', ᾧ τε χρή, 177 εἶπ' ἄγε νῦν μοι πρῶτον. rarissime thesis spondei in pede secundo vocula monosyllaba efficitur, quae ad vocem praegressam plus unam syllabam exhibentem se adplicet, id quod semel fit praecedente dactylo, I 47 τὰν ὀλίγος τις κῶρος, bis praecedente spondeo, quod paulo durius est: VIII 51 ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος (hoc exhibent codd., Fritzsche e coniectura scripsit ἐν τήνοις τῆνος), X 37 ἁ φωνὰ δὲ τρύχνος. sed uterque horum versuum habet, quo excusetur; in priore enim repetitio vocis τῆνος in censum venit, in altero autem, quo Bombyces proprietates a Batto describuntur, verba ἁ φωνὰ δέ respondent antecedentibus οἱ μὲν πόδες et sequentibus τὸν μὰν τρόπον. haud genuina vero videtur esse scriptura in c. dub. XXIII 42 οὐ δύναμαι ζῆν, εἴγε διαλλάξεις με φιλάσας, ubi incisio post pedem alterum interpunctione adiuta offensioni est. reperitur quidem etiam in vv. V 44 et XIV 51 post pedis secundi spondeum interpunctio, sed horum locorum prorsus alia est natura. ac de priore supra verba feci; altero νῦν δὲ πόθεν; μῦς, φαντὶ Θυώνιχε, γευμεθα πίσσας gravius interpungitur in caesura semiternaria neque vox μῦς a sequentibus separanda est. ceterum in versu illo carminis XXIII. ipsi libri manu scripti, ut recedatur a lectione vulgata ex edit. Iuntina profecta, suadent, cum verborum ζῆν· εἴγε loco εἶν σε praebeant. coniecturas vero, quas ad hunc versum sat multas et varias viri docti protulerunt, congessit in editione maiore Fritzsche.

Ex versibus, in quibus incisio post alterius pedis spondeum admissa vocem duarum vel plurium syllabarum excipit, primum ii haud multum habent offensionis, in quibus ad vocem illam vel encliticae vel his similes voculae se adplicant: *a)* V 58 στασῶ δ' ὀκτὼ μέν, 68 βουκολιαστάς ἐστι, 86 φεῦ φεῦ Λάκων τοι, 92 ἀλλ' οὐ σύμβλητ' ἐστί, 111 οὕτως χυμές θην, VI 29 σῖγα δ' ὑλακτεῖν νιν; in v. VIII 91, ubi vulgata lectio haec est: ὥτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο, haud scio an iure Ahrens et Meineke Hermannum secuti pro καὶ restituerint κα, quod repositum artius ad vocabulum οὕτως se adplicat. hac immutatione etiam difficultas, quam praebet optativus ἀκάχοιτο, qui particula ἄν vel simili caret[1]), tollitur; accedit, quod voculam καί, quae cum sequentibus semper artissime cohaeret quamque Hoffmann[2]) haud iniuria omnium προκλιτικωτάτην adpellat, in toto Theocrito frustra in arsi tertia insequente caesura semiquinaria quaesiveris[3]); *b)* II 38 ἠνίδε σιγῇ μέν (ceterum hic versus aeque ac v. V 58 anaphora est insignis);

---

[1]) Cf. quae exposuit Hiller ad v. VIII 20.

[2]) Cf. Quaestt. Homer. p. 7.

[3]) Cf. infra p. 42, 51.

c) XVI 65 *ἄργυρος, αἰεὶ δέ,* XXII 211 *μάρμαρον, αὐτὸν δέ.* interdum alia quoque vocabula cum praegressis artiore vinculo coniuncta pedis alterius spondeum excipiunt interpunctione haud raro (in primis in cc. mim. et epicis) praecedente vel subsequente, velut *a)* I 13 *ὡς τὸ κάταντες τοῦτο γεώλοφον*[1]). aliquanto laxior est conexus vocum, quae in re, de qua agitur, in censum veniunt, hisce in versibus: *b)* II 40 *ἀλλ' ἐπὶ τήνῳ πᾶσα καταίθομαι, c)* XVI 16 *πᾶς δ' ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχων,* 21 *οὗτος ἀοιδῶν λῷστος,* XXII 178 *εἷς· ἀτὰρ ἄλλοι πάντας ἐυφρανέουσιν,* 214 *χαίρετε Λήδας τέκνα,* XXV 22 *ἱερὸν ἁγνὸν ξεῖνε.* sed in his hexametris omnibus in sede prima extat dactylus neque ullum inveni in Theocrito versum ita comparatum, qualis est Hom. *H* 231 *ἡμεῖς δ' εἰμὲν τοῖοι, οἳ ἂν σέθεν ἀντιάσαιμεν* vel *κ* 435 *ὥσπερ Κύκλωψ ἕρξ', ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο.* in versibus X 13 *ἐκ πίθω ἀντλεῖς δῆλον...* et XV 77 *κάλλιστ'· ἔνδοι πᾶσαι....* Theocritus ad proverbiorum formulas verba conformasse videtur, unde habent hi loci, quo excusentur. male autem editur a Zieglero v. VII 24, ubi ille scribit *ἦ μετὰ δαῖτα κλητὸς ἐπείγεαι; ἤ τινος ἀστῶν,* de quo versu infra, cum de brevibus vocalibus ante mutam cum liquida productis agemus, verba nobis facienda erunt.

In tertio pede spondei usus, cum iam apud Homerum multo artioribus finibus quam in ceteris sedibus quinta excepta sit circumscriptus, apud poetas aetatis inferioris est etiam rarior. quam rem frequentia caesurae tertii pedis trochaicae magis magisque aucta explicandam esse nemo non videt. atque apud ipsum Theocritum in eo carminum genere, in quo latissime patet caesurae semiquinariae usus, etiam versus in sede tertia spondeum exhibentes sunt frequentissimi. plus dimidium enim (CCVII) omnium, qui huc pertinent, versuum (CCCCIII) in edylliis extat bucol., ubi etiam caesura semiquinaria multo frequentior est quam in carminibus mimicis et epicis. et cum in universum caesuram semiquinariam saepius quam trochaicam pedis tertii apud Theocritum sequitur incisio bucolica, tum, si forma pedis tertii est spondiaca, raro caesura post pedem quartum neglegitur. idem in Callimacho quoque observavit Heep[2]). adparet quidem operam dedisse poetas, ut numeris, qui tertii pedis spondeo caesuraque masculina, praesertim si etiam primus vel alter pes erant spondiaci, duriores facti erant, volubilitatem admissa in altero hemistichio incisione bucolica redderent; simul hac caesura numerus hexametri dactylicus, qui semiquinaria transit in anapaesticum, restituitur.

---

[1]) Accedunt vv: I 21, V 101 = I 13; *b)* XIV 35 *ἤλασα, κἄλλαν αὖθις. ἀνειρύσσασα..,* XV 8 *ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος. ἐπ' ἔσχατα..,* 26 (Gorgo:) *ἕρπειν ὥρα κ' εἴη.* (Praxinoa:) *ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά; c)* XII 34 *ὄλβιος, ὅστις παισί,* XVII 97 *πάντοθε. λαοὶ δ' ἔργα,* XXII 170 *πείθεσθ'· ἄμφω δ' ἄμμιν,* XXV 78 *ὢ πόποι, οἷον τοῦτο.*

[2]) Quaestt. Callim. p. 16 sq.

In censum hoc loco non veniunt hexametri, quorum quartus quoque pes praeter tertium spondeo efficitur; nam post quarti pedis spondeum cum alii poetae, tum Theocritus, id quod infra videbimus, incisionem vitabat. sed huius modi versus in omnibus Thocriti carminibus non plus XLV reperiuntur, ad quos accedunt septem ex edylliis originis incertae [1]. his igitur hexametris detractis restant versus, in quibus est spondeus in tertia sede, in cc. bucol. CXCIV, in mim. LXXVI, in ep. LXXXVIII, in dub. XLIII; ex quibus incisione bucolica carent in edylliis bucol. XIII, in mim. XXI, in ep. XV, in dub. V; ceteri omnes ea sunt instructi. quod si singula carmina spectas, in primo, quod statuimus, edylliorum genere longe plurimi e versibus bucolica incisione carentibus c. VIII. continentur, in altero genere c. XV., in edylliis epicis hexametri illi pari fere modo per singula carmina distribuuntur; sola cc. XVII. et XXIV. eius modi versibus omnino carent [2]. in versibus autem caesura bucolica ornatis semper fere spatium, quod inter hanc incisionem et semiquinariam extat, aut uno expletur vocabulo formam exhibente ionici a maiore aut, si plura sunt, artissime inter se coniunctis. una quidem voce ea hexametri pars efficitur in edyll. buc. XXIX locis, in mim. XV, in ep. XXV, in cc. dub. XII locis [3].

Praeterea ne id quidem neglegendum esse videtur, in versibus, quorum pes tertius est spondiacus, saepissime in caesura semiquinaria reperiri inter-

---

[1]) Cf. p. 7 sq., ubi accuratius de his versibus egi.

[2]) Sunt quidem hexametri, in quibus ad tertii pedis spondeum non accedit post pedem quartum incisio, hi: *a)* VIII 8, 10, 11, 12, 75, 86, 87, 91; IX 30; X 39, 48; XI 37; *b)* II 12, 20; XIV 25, 33; XV 6, 14, 19, 21, 35, 39, 56, 57, 66, 80, 85, 96, 126, 128, 129; XVIII 53, 54; *c)* XIII 7; XVI 2, 23, 68; XXII 56, 120, 140; XXV 26, 132, 192, 212; XXVI 1, 29, 38; XII 20; *d)* XX 45; XXI 16; XXIII 18, 61; epigr. IV 13.

[3]) Habes singulos locos accurate enotatos: *a)* I 17 *ἀμπαύεται*, 21 *ἑσδώμεθα*, 27, 29; III 28, 31; IV 12, 31; V 8, 43, 64, 120; VII 32, 43, 44, 55, 59, 61, 69, 80, 112, 129, 148; VIII 3, 39, 77 (sed videtur hic v. interpolatus esse); IX 7 = VIII 77; X 15, 47; *b)* II 2, 5, 121, 146, 154; XIV 17, 63; XV 61, 81, 122 = 61; XVIII 1, 32, 40, 41, 47; *c)* XIII 27; XVI 38, 63; XVII 104, 114; XXII 36, 47, 71, 145; XXIV 20, 33 = XV 61, 61, 84, 98, 104, 111, 123; XXV 3, 71, 74, 173, 178, 243, 275; XXVI 20; *d)* XIX 2; XX 14; XXI 9, 30, 31, 44, 45, 47, 55, 57; XXIII 34, 36. ex ceteris hexametris huc spectantibus eos tantum adferre mihi liceat, in quibus spatium inter caesuras semiquinariam et bucolicam substantivo, cui praecedit articulus, expletur: *a)* I 9 *τὰν οἴϊδα*, 49 *τὰν τρώξιμον*, 80 *τοὶ ποιμένες*, 87 *τὰς μηκάδας*, 90 *τὰς παρθένος*, III 40 *τὰν παρθένον*, IV 13 *τὸν βουκόλον*, 15 *τᾶς πόρτιος*, 21 *τοὶ δαμόται*, 37 *χὠ βουκόλος*, V 10 *τῷ δεσπότᾳ*, 17 *τὰς λιμνάδας*, 28 *τὸ πλατίον*, 72 *τῶ Θουρίω*, 90 *τὸν ποιμένα*, 96 *τᾷ παρθένῳ*, 100 *ταὶ μηκάδες*, 114 *τὼς κανθάρος*, 138 = 90, 139 *τὰν ἀμνίδα*, 143 *τῶ ποιμένος*, VI 45 *ταὶ πόρτιες*, VII 151 = V 90, VIII 35 *τὰς ἀμνάδας*, 76 = IV 15, IX 8 = IV 37, X 3 *τῷ πλατίον*, 6 *τᾶς αὔλακος*, 9 *τῶν ἔκτοθεν*; *b)* II 53 *τὸ κράσπεδον*, 74 *τὰν ξυστίδα*, 130 *τᾷ Κύπριδι*, 130 *τὰν Δωρίδα*; *c)* XX 19 *τὸ κρήγυον*, 40 = IV 13, 42 = 40, XXI 50 *τῶ τρώματος*, XXIII 37 *τὸν τλάμονα*, XXVII 2 = IV 13.

punctionem, quae res ad cohaerentiam verborum, quae antecedunt vel subsecuntur, non nullius est momenti[1]). atque exhibent versuum, de quibus agitur, CXXIX (quae est tertia fere pars) in caesura pedis tertii interpunctionem, ad quos accedunt ex cc. dub. versus XI, quorum eadem est condicio. etiam bucolica incisio in hexametris, de quibus verba fiunt, sat frequenter adiuvatur interpunctione. LXXXV locis hoc fit in Theocriti edylliis, XV in cc. dub. in utraque autem caesura quindeciens oratio distinguitur: *a*) I 80, 106, 149; III 52; V 3, 38, 45; VII 13; VIII 33; XI 29; *b*) XIV 44, 70; XV 1, 70, 73; quibus addendi sunt duo versus ex cc. dub.: XX 29 et 37.

De quarti pedis spondeo cum nobis agendum sit, ubi de caesura bucolica exponemus, nihil iam impedire videtur, quominus transeamus ad spondei usum in pede quinto. hac in sede versus heroici omnes poetae in universum raro spondeum admittebant. cavendum enim eis erat, ne nimis oblitteraretur in audientium vel legentium animis numerus hexametri dactylicus, quam ob causam hunc versum in primis in ipso exitu genuinam suam exhibere naturam voluerunt. ceterum in tota altera hexametri parte componenda omnes poetas severiores sese praestitisse quam in priore satis constat[2]). neque tamen apud poetas, qui diversis temporibus floruerunt, idem versuum spondiacorum usus observatur. Homerus quidem cum inter XVIII fere hexametros semel admisisset in pede quinto spondeum[3]), poetae nonnulli posteriores, in primis qui erant Alexandrinae, quae dicitur, aetatis, multo magis eius modi versus amabant[4]). qua in re memoratu dignum est ab isdem poetis in ceteris versus pedibus in universum rarius spondeum in dactyli locum substitutum esse magisque versuum volubilitatem adfectatam quam ab Homero. referebant enim haud dubie poetae illi versus spondiacos inter aurium oblectamenta, quae quanto studio captarint, non est quod exponam. atque etiam apud Theocritum in eis carminibus, in quibus dactylorum frequentia illum prope ad aequales suos accedere supra vidimus[5]), multo frequentius pes quintus spondiacus est quam in ceteris edylliis. rarissimi enim sunt versus spondiaci in carminibus bucol. (XI), frequentiores (XIV) in mim., frequentissimi (LXXII) in ep.: *a*) I 38, 71, 75, 136; V 113; VII 23, 48, 133; X 58; XI 24, 58; *b*) II 35; XIV 33; XV 27, 48, 63, 82, 83, 87, 98, 110, 133, 143, 145; XVIII 3; *c*) XIII 20, 42, 43, 44;

---

[1]) Cf. p. 23 sq.

[2]) Cf. Luc. Muelleri 'De re metr.' p. 132.

[3]) Cf. Imm. Bekkeri 'Homer. Blätter' I p. 147 sq., Ludwichii 'De hexametris Graecorum spond.' Halis Sax. 1866, p. 9 sq.

[4]) Cf. Ludwich. l. c. p. 15 sq.

[5]) Cf. p. 15.

XVI 3, 4, 56, 58, 70, 76, 77, 80, 86, 91[1]); XVII 23, 26, 27, 60, 61, 79, 82, 101; XXII 39, 43, 51, 92, 100, 107, 163, 174, 189, 216; XXIV 2, 16, 29, 47, 54, 61, 77, 78, 85, 110, 127; XXV 7, 10, 23, 25, 29, 30, 31, 35, 48, 66, 87, 98, 99, 107, 110, 143, 154, 159, 168, 173, 191, 198, 202, 222, 233, 263, 279; XXVI 36; XII 2. in edylliis originis dubiae tres insunt huius modi versus: XXI 55; XXVII 28; epigr. IV 11. nullum exhibent versum spondiacum quinque cc. bucol. III., IV., VI., VIII., IX. et ex edylliis dub. cc. XIX., XX., XXIII. saepius autem pro rata parte quam apud Homerum leguntur versus σπονδειάζοντες in primis in edylliis epicis XXV., XVI., XXIV., quorum in primo inter denos fere (10·4) versus unus est spondiacus, in altero inter 10·9, in tertio inter 12·7 versus. ad quae edyllia proxime accedit carm. mim. XV., ubi 13·5 hexametri unum exhibent spondiacum.

Quales sint quattuor priores versuum, quos tractamus, pedes, ex tabellis, quas p. 7 proposui, satis elucet. admisit quidem Theocritus duodecim varias versuum spondiacorum formas; sed aeque ac poetae alii operam dedit, ne numeri spondeo in sede quinta posito satis retardati nimis lenti gravesque evaderent. qua de causa ii versus sunt frequentissimi, qui ante pedem quintum aut nullum exhibent spondeum aut unum vel in prima vel in altera sede repositum. horum generum hexametri plus duas partes (dico LXIV) omnium versuum spondiacorum efficiunt. proximi frequentia (XIII) ii sunt versus, quorum et primus et secundus pes spondiaci (ssdds) sunt. forma dddss quater invenitur: XV 143, XXII 216, XXV 30, 99; formarum ddsds et dssds utraque ter, prior quidem in vv. XIV 33, XXV 107, 173, altera in vv. XIII 43, 44, XXIV 61. ex tribus autem carminum dub. versibus spondiacis unus (XXI 55) hanc habet formam; duo, qui restant, ad schema sddds sunt conformati. reliquarum formarum unaquaeque bis reperitur: sdsds in vv. I 75 et XVI 77; dsdss in vv. XVI 56 et XXV 154; sddss in vv. XV 48, 83; sssds in vv. I 71 et XXII 39; ssdss in vv. X 58 et XXV 98. ceterum Theocritus in hexametris spondiacis nequaquam spondeum in sede quarta evitavit, qua in re differt a Callimacho, apud quem ne unus quidem eius modi versus reperitur[2]). apud Theocritum vero hexametri ita comparati decem extant.

---

[1]) Ludwich, qui l. c. p. 11 ex hoc carmine VIII tantum, ex c. XVII. autem VII versus spondiacos adfert, omisisse videtur vv. XVI 56, 86; XVII 101; cf. libelli eius p. 47, 62, 94, ubi vocabula Λαέρτης, Αἰγυπτίῃσι, ἀγγέλλοντας adferenda erant.

[2]) Cf. Fr. Beneke l. c. p. 21 sq., Ludwich. l. c. p. 25. spondeum pedis quarti in versibus spondiacis evitarunt etiam Nicander, Oppianus in Halieuticis, Tryphiodorus, Colluthus.

Duos autem hexametros spondiacos inter se excipientes, quos neminem poetarum Graecorum anxie fugisse ex Ludwichii libro adparet [1]), Theocritus in edylliis bucol. nusquam admisit, semel in mim.: XV 82, 83, sexiens in ep.: XVI 3—4, 76—77; XVII 26—27, 60—61; XXIV 77—78; XXV 98—99. in hoc quidem carminum genere etiam terni *σπονδειάζοντες* continui inveniuntur: XIII 42—44: *καὶ θάλλοντα σέλινα καὶ εἰλιτενὴς ἄγρωστις.* | *ὕδατι δ' ἐν μέσσῳ Νύμφαι χορὸν ἀρτίζοντο,* | *Νύμφαι ἀκοίμητοι, δειναὶ θεαὶ ἀγροιώταις,* XXV 29—31: *πᾶν γὰρ δὴ πεδίον τόδ' ἐπίφρονος Αὐγείαο,* | *πυροφόροι τε γύαι καὶ ἀλωαὶ δενδρήεσσαι* | *μέχρις ἐπ' ἐσχατιὰς πολυπίδακος ἀκρωρείης.*

Summa diligentia Theocritus similiter atque alii poetae versatus est in eligendis vocabulis, quibus versus spondiacos clauderet. qua in re id potissimum elaborarunt poetae, ne ampla, quam prae se ferunt versus spondiaci, gravitas aut nimis imminueretur aut prorsus deleretur caesura sub finem versus admissa. vocibus igitur monosyllabis, quae in universum sat raro in exitu hexametri leguntur, versus *σπονδειάζοντες* rarius etiam finiuntur; bisyllabis autem vocabulis poetae Graeci aetatis Alexandrinae et qui eos secuti sunt aeque ac poetae Latini in exitu versuum spondiacorum abstinuerunt.

Theocritus quidem ex vocabulis monosyllabis solam encliticam *τὲ,* quae in exitu hexametri spondiaco omnium encliticarum frequentissime a poetis adhibebatur [2]), bis in cc. ep. in fine versus spondiaci posuit: XXII 100 *ὡς ἴδον ἕλκεα λυγρὰ περὶ στόμα τε γναθμούς τε* et XXV 87 *ἐκ βοτάνης ἀνιόντα μετ' αὔλιά τε σηκούς τε.* cuius modi versus sat multi reperiuntur apud Homerum aliosque poetas (velut Hom. *Ξ* 467 *στόμα τε ῥῖνές τε,* cf. *Ψ* 395, 777; *ι* 270 *ἱκετάων τε ξείνων τε* cett.). aliae voculae monosyllabae praeter encliticam *τὲ* cum a Theocrito ratione, de qua agitur, ne in epicis quidem carminibus usurpentur, praeferenda est in v. X 34 lectio vulg. *τὼς αὐλὼς μὲν ἔχοισα καὶ ἢ ῥόδον ἢ τύγε μᾶλον* codicum k et p scripturae *ἢ μᾶλον τύ,* quam revocavit Ahrens.

Voce bisyllaba nusquam Theocritus versum spondiacum finivit, qua in re conspirat cum ceteris eiusdem aetatis poetis. in versu enim I 65 vix dubitandum est, quin recte se habeat lectio *ἁδέα φωνά,* quae extat in codicibus notae optimae k, a, e (p habet quidem *ἅδε ἁ φωνά,* sed superscriptum est *γρ. ἁδέα φωνά*). idem etiam scholiasta videtur legisse, qui

---

[1]) Diversum poetarum Latinorum morem exposuit A. Viertel, Annal. philol. LXXXV, p. 801 sqq., qua ex disputatione adparet apud poetas Latinos duos versus spondiacos sese excipientes nusquam inveniri; solus Catullus semel (LXIV 78—80) in tribus deinceps hexametris in sede quinta posuit spondeum.

[2]) Cf. Ludwich. l. c. p. 35.

adnotavit haec: ὁ ποιμὴν Θύρσις ἐπαινεῖ ἑαυτόν. G. Hermann autem, quem secuti sunt Ahrens et Meineke in edit. III., scripturam, quae ceteris libris exhibetur, ἁδ' ἁ φωνά Theocrito vindicare studuit [1]. quam sententiam stabilire voluit conlatis vv. XI 58 ἐν χειμῶνι, XV 145 ἁ θήλεια, XXV 173 ἐκ Περσῆος, quorum omnium prorsus alia est condicio; nam unusquisque horum versuum voce finitur trisyllaba, quae cum praecedente monosyllaba efficit dispondeum. in eo autem, quod Thyrsis suum ipsius cantum laudat, haud tanta inesse videtur offensio, quantam inesse putabant homines docti; cf. quae exposuit Fritzsche edit. maior. p. 35 sq.

Vocabulis trisyllabis Theocritus in versus exitu spondiazonte quinquiens deciens usus est, sexiens vero ita, ut vox trium syllabarum cum praecedente monosyllaba arte conexa dispondeum efficiat [2]. neque ceteris locis quin vox trisyllaba in fine versus posita arte se adplicet ad vocabulum antegressum, dubitari potest; reperitur enim aut substantivum cum adiectivo suo vel alia voce simili in exitu versus positum aut verbum cum adverbio antecedente coniunctum, aut alia ratione eaque simili cohaerentia efficitur. uno autem versu excepto (XXV 98) vox ultimum hexametri vocabulum antecedens semper tribus vel pluribus constat syllabis [3].

Longe frequentissime Theocritus pariter atque alii poetae versus spondiacos vocibus finire solebat tetrasyllabis; certe duae quidem partes (LXXIV) omnium hexametrorum, quorum pes quintus spondiacus est, hoc modo terminantur. ac dimidium fere (XXXV) vocum illarum quattuor syllabas amplectentium nominibus efficitur, altera pars (XXXVIII) verbis; semel adverbium quattuor syllabarum in fine versus spondiaci legitur.

In nomina autem tetrasyllaba in solis fere carminibus epicis versus σπονδειάζοντες habent exitum, numquam in edylliis bucol., semel in

---

[1]) 'De arte poesis Graecorum bucol.' Opuscul. VIII, p. 330.

[2]) Sunt hi loci: *a)* XI 58 τὰ δὲ γίνεται ἐν χειμῶνι; *b)* XV 83 σοφόν τοι χρῆμ ὤνθρωπος, 145 σοφώτερον ἁ θήλεια; *c)* XXII 43 ἐπιβρύει ἂν λειμῶνας, XXV 25 τριπόλοις σπόρον ἐν νειοῖσιν, 173 μιμνήσκομαι, ἐκ Περσῆος.

[3]) Cf. *b)* XV 110 θυγατὴρ Ἑλένᾳ εἰκυῖα (nisi forte h. l. similiter atque in Homero ἐικυῖα legendum est, cf. La Rochii 'Homer. Unters.' p. 84 sq.), 133 κύματ' ἐπ' ἀιόνι πτύοντα; *c)* XIII 42 καὶ εἰλιτενὴς ἄγρωστις, XVI 56 περίσπλαγχνος Λαέρτης, 76 ὑπ' ἠελίῳ δύνοντι, XVII 79 χθαμαλὰ Αἴγυπτος, XXII 174 ἀποσχομένω ὑσμίνης, XXIV 110 Φιλαμμονίδας Εὔμολπος, XXV 98 σηκοὶ δὲ βοῶν ῥεῖα πλήσθησαν. quae ex vocabulis, quibus Theocritus versus spondiacos finire solet, etiam alii, in primis qui ante Theocritum fuerunt, poetae eodem modo usurparint quaeque solus Theocritus, h. l. exponere supersedere posse mihi videor, cum ex Ludwichii libro, ubi p. 46 sqq. omnia vocabula, quibus apud Graecorum poetas versus σπονδειάζοντες terminantur, per litteras digesta referuntur, facillime id possit cognosci.

mim. XV 27 *αἰνόθρυπτε*. ac nomina propria quattuor syllabarum XV locis usurpantur, qui omnes extant in his tribus generis epici carminibus: XVII., XXIV., XXV. cetera edyllia epica aeque ac bucolica nullum eius modi versus exitum praebent; in cc. mim. unus tantum versus spondiacus adverbio tetrasyllabo a nomine proprio derivato finitur: XV 48 *παρέρπων Αἰγυπτιστί*[1]). aliis nominibus (substantivis aut adiectivis) undeviginti versus in cc. ep. terminantur[2]). in universum quidem XXIII variis nominibus (in his VIII variis nominibus propriis) versus Theocriti, quos adtuli, finiuntur; ad quae accedit adverbium illud *Αἰγυπτιστί*.

In verborum autem formas tetrasyllabas in primis omnes fere carminum bucol. versus spondiaci desinunt, praeterea multi edylliorum generis mimici et epici[3]).

Vocabulis quinque syllabarum in clausulis versuum spondiacorum omnes poetae Graeci rarissime utebantur. eis autem horum vocabulorum, quae primam syllabam brevem habent, si ab antiquioribus poetis recedimus, omnes, qui melioris notae sunt, poetae prorsus abstinuerunt caesuram quarti pedis

---

[1]) Versus illi XV in nomina propria desinentes sunt hi: XVII 26 *ὁ καρτερὸς Ἡρακλείδας*, 27 *ἐς ἔσχατον Ἡρακλῆα*, 101 *ἀνάρσιος Αἰγυπτίῃσιν*, XXIV 2 *νεώτερον Ἰφικλῆα*, 16 *φαγεῖν βρέφος Ἡρακλῆα*, 54 *ἐπιτίτθιον Ἡρακλῆα*, 61 *ἀκρόχλοον Ἰφικλῆα*, 78 *σέβας δ' ἔσῃ Ἀργείαισι*, XXV 7 *εὔφρονος Αὐγείαο*, 10 *παρὰ ῥόον Ἀλφειοῖο*, 29 *ἐπίφρονος Αὐγείαο*, 110 *βαρύφρονος Ἡρακλῆος*, 143 *ἐυσκόπῳ Ἡρακλῆι*, 191 *φαμένου κλύοι Ἡρακλῆος*, 202 *μάλιστα δὲ Βεμβιναίους*. accedunt versus duo ex cc. dub.: XXI 55 *κειμήλιον Ἀμφιτρίτης* et XXVII 28 *χαλεπὸν βέλος Εἰλειθυίης*.

[2]) Cf. XIII 20 *Μιδεάτιδος ἡρωίνης*, 44 *δειναὶ θεαὶ ἀγροιώταις*, XVI 58 *ἔρχεται ἀνθρώποισι*, 80 *προτέροις ἴσος ἡρώεσσι*, XVII 23 *περιώσιον υἱωνοῖσιν*, 60 *ἐβώσατο λυσίζωνον*, 61 *βεβαρημένα ὠδίνεσσιν*, XXII 163 *διάκριτοι ἡρώεσσι*, 216 *καὶ ἄλλοις ἡρώεσσιν*, XXV 23 *περιμήκεες ἀγροιώταις*, 30 *καὶ ἀλωαὶ δενδρήεσσαι*, 31 *πολυπίδακος ἀκρωρείης*, 48 *γεραρώτατος αἰσυμνήτης*, 107 *ταύρους δίχα θηλειάων*, 159 *Διὸς γόνον ὑψίστοιο*, 168 *κακὸν τέρας ἀγροιώταις*, 233 *διέδρακεν ὀφθαλμοῖσι*, 279 *ταμεσίχροος ἰωχμοῖο*, XXVI 36 *μεμελημέναι ἡρωίναις*.

[3]) Cf. *a)* I 38 *ἐτώσια μοχθίζοντι*, 71 *τῆνον λύκοι ὠρύσαντο*, 75 *καὶ πόρτιες ὠδύραντο*, 136 *ἀηδόσι γαρύσαιντο*, V 113 *τὰ ποθέσπερα ῥαγίζοντι*, VII 23 *κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι*, 48 = I 38, 133 *χαμευνίσιν ἐκλίνθημες*, X 58 *κατ' εὐνὰν ὀρθρευοίσᾳ*, XI 24 *πολιὸν λύκον ἀθρήσασα*; *b)* II 35 *ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται*, XV 63 *ἀπῴχετο θεσπίξασα*, 82 *καὶ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι*, 87 *ἀνάνυτα κωτίλλοισαι*, 98 *τὸν ἰάλεμον ἀρίστευσε*, 143 *καὶ ἐς νέωτ' εὐθυμήσαις*, XVIII 3 *χόρον ἐστάσαντο*; *c)* XIII 43 *Νύμφαι χόρον ἀρτίζοντο*, XVI 3 *θεοὺς θεαὶ ἀείδοντι*, 4 *βροτοὺς βροτοὶ ἀείδωμεν*, 70 *Διὸς μέγα βουλεύοντος*, 77 *ἀκρὸν σφυρὸν ἐρρίγασιν*, 86 *φίλων μόρον ἀγγέλλοντας*, XVII 82 *ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται*, XXII 39 *ἠδ' ἀργύρῳ ἰνδάλλοντο*, 51 *καὶ αὐχένος ᾐωρεῖτο*, 92 *Πολυδεύκεα θαρσύνεσκον*, 107 *πάλιν γένετ' ὀρθωθέντος*, 189 *πάρος τινὰ δηλήσασθαι*, XXIV 29 *ἃ καὶ θεοὶ ἐχθαίροντι*, 47 *ὕπνον βαρὺν ἐκφυσῶντας*, 77 *ἀκρέσπερον ἀείδοισαι*, XXV 35 *κεχρημένος εἰλήλουθας*, 99 *κατ' αὐλὰς ηὐλίζοντο*, 198 *ἔχοι σάφα μυθήσασθαι*, 222 *παραυτίκα πειρηθῆναι*, 263 *ὑπότροπον ἀμπνυνθῆναι* XII 2 *ἐν ἤματι γηράσκουσιν*. accedit ex epigr. dub. v. IV 11 *μινυρίσμασιν ἀνταχεῦσι*.

trochaicam evitantes. neque Theocritus tale quid sibi concessit. semel ille quidem vocabulo quinque syllabarum, cuius prima syllaba longa est, versum spondiacum terminavit idque in formula ex Homero recepta: XXV 154 *βίη θ' Ἡρακληείη*, cf. Hom. *Λ* 690.

Aptiores ad versus spondiacos finiendos omnium temporum poetis esse videbantur voces sex syllabis constantes. atque Theocritus semel in cc. mim., quater in ep. eius modi vocabula in spondiaco versus exitu adhibuit [1]).

Pedem sextum si respicis, omnes poetae epici spondeum hac in sede ponere malebant quam trochaeum; illo enim admisso totus hexametri finis multo gravior fit ac plenior. similiter hac in re Theocritus quoque versatus est; atque in primis in edyll. bucol. spondei usus in pede sexto late patet, in cc. mim. et ep. paulo recedit. in edylliis autem originis incertae pes sextus non rarius spondiacus est quam in genuinis Theocriti cc. bucol. exhibent enim in sede sexta:

a)	in	cc.	buc.	vv.	554	vel	63·3%	spondeum,	vv.	322	vel	36·7%	troch.,
b)	„	„	mim.	„	250	„	56·5%	„	„	193	„	43·5%	„
c)	„	„	ep.	„	599	„	56·6%	„	„	459	„	43·4%	„
d)	„	„	dub.	„	181	„	63·1%	„	„	106	„	36·9%	„

Naturam vero vocabulorum, quibus hexametri spondiaci apud Theocritum concludi solent, satis iam inlustravimus; sed cum poetae in versibus heroicis concludendis, etiam si dactylicus erat pes quintus, subtili versati sint cum diligentia, paucis quidem in universum de clausulis versuum Theocriteorum exponamus necesse est. atque ut in spondiacis versibus, ita etiam in ceteris hexametris finiendis magni momenti apud omnes poetas erat vocum in extremis versibus reponendarum amplitudo. sic iam apud Homerum usus vocabulorum, quorum varii sunt ambitus, in hexametri exitu varius est. frequentissime enim ibi versus concluduntur vocibus trisyllabis, raro monosyllabis aut eis, quae sunt quinarum vel plus syllabarum [2]). apud Theocritum qui usus possit observari, ex hac tabula elucet:

---

[1]) Cf. *b)* XIV 33 *κόλπω ἐπιθυμήσασα*, cf. Callim. hymn. III 237 *πολέμου ἐπιθυμήτειραι*; *c)* XVI 91 *βοτάνᾳ διαπιανθεῖσαι* (cf. Dion. Perieg. 1071 *ποταμοὶ περιπιαίνουσι*), XXIV 85 *βρέφος διαδηλήσασθαι* (cf. Hom. *ξ* 37 *κύνες διεδηλήσαντο*, Apoll. Rhod. *Β* 284, *Γ* 579); ibid. 127 *λόγον τ' ἀναμετρήσασθαι* (cf. oracul. ap. Herod. I 66 [Anthol. Pal. XIV 76] *πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι*, Callim. hymn. II 55 *πόλιας διεμετρήσαντο*), XXV 66 *ἔπος προτιμυθήσαιτο* (cf. Apoll. Rhod. *Γ* 934 *οὔτ' ἐρατὸν κούρῃ κεν ἔπος προτιμυθήσαιτο*, ibid. 1010; Hom. *λ* 143 *οὐδὲ προτιμυθήσασθαι*).

[2]) Cf. Bekkeri 'Homer. Blätt.' I p. 148.

hexametri exeunt in vocabula	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. epic.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in cc. dub.
	%	%	%	%	%
monosyllaba .	25 vel 2·9	13 vel 2·9	29 vel 2·7	67 vel 2·8	13 vel 4·6
bisyllaba . . .	280 „ 32·0	172 „ 38·8	391 „ 37·0	843 „ 36·0	110 „ 38·3
trisyllaba . . .	441 „ 50·3	170 „ 38·4	382 „ 36·1	993 „ 41·6	126 „ 43·9
tetrasyllaba. .	97 „ 11·0	73 „ 16·5	200 „ 18·9	370 „ 15·4	37 „ 12·9
quinque syllabarum . . .	33 „ 3·8	13 „ 2·9	50 „ 4·7	96 „ 3·8	1 „ 0·3
sexsyllabarum	—	2 „ 0·5	6 „ 0·6	8 „ 0·4	—

Iam adparet longe saepissime in Theocriti carminibus versus desinere in voces duarum vel trium syllabarum. sed non eadem singulorum hac in re est edylliorum generum ratio; in cc. enim bucol. multo superant versus, qui in fine habent voces trisyllabas, contra in edylliis mim. et ep. par fere est frequentia clausularum bisyllabarum et trisyllabarum. cum igitur in cc. bucol. inter clausulas trisyllabas et ceteras eadem fere intercedat ratio, quae apud Homerum (cf. Bekker. l. c.), in duobus, quae restant, carminum generibus Theocritus ab usu illo paulum recessit.

Ut Homerus[1]) ita etiam Theocritus verborum formas augmento praeposito trisyllabas factas (velut *ἔδωκα*) in hexametri exitu praeferre solebat formis augmento carentibus, etiamsi vocalis in fine vocabuli-antecedentis posita elisione removenda erat: *a*) I 57 *αἶγά τ' ἔδωκα* (non *αἶγά τε δῶκα*), IV 28 *ἄν ποκ' ἔπαξα*, 59 *τᾶς ποκ' ἐκνίσθη*, V 11 *ἁνίκ' ἔθυσε*, 12 *καὶ τόκ' ἐτάκευ*, 81 *πρᾶν ποκ' ἔθυσα*, VI 21 *ἁνίκ' ἔβαλλε*; in v. autem VIII 93 consentiunt libri in scriptura *Ναΐδα γᾶμεν*; *b*) II 155 *ἄλλοκ' ἐφοίτη*, XV 81 *γράμματ' ἔγραψεν*; *c*) XXII 182 *τεύχε' ἔθεντο*, XXV 187 *ἀνέρ' ἔφαντο*. e carminibus originis dubiae accedunt: XIX 3 *καὶ χέρ' ἐφύση*, XXI 50 *ἠρέμ' ἔνυξα* (hanc lectionem recte videtur restituisse G. Hermann pro ea, quam exhibent libri c et 18: *ἄρ' ἐμὲ νύξας*). attamen Theocritus haud ita magno studio adfectasse videtur clausulas trisyllabas, id quod cum ex tabula proposita tum ex aliis indiciis cognosci potest, velut ex usu formarum verbi tetrasyllabarum, quae omisso augmento trisyllabae fieri poterant, in fine hexametri praecedente elisione. sic scripsit Theocritus: *a*) V 135 *κάρτ' ἐφίλασεν* (non *κάρτα φίλασεν*), VI 46 *ἀνήσσατοι δ' ἐγένοντο*, VII 145 *τοὶ δ' ἐκέχυντο* (soli codd. notae deterioris v⁶, 8, *Γ* exhibent *τοὶ δὲ κέχυντο*), *c*) XIII 66 *ὅσσ' ἐμόγησεν*, XXII 103 *ἀμηχανέοντ' ἐνόησε*, XXV 62 *πόλλ' ἐμενοίνα* (hoc enim praebent codd. c, m, 11, 18, w; *πολλὰ μενοίνα* edd. Iunt. et Call.), 68 *αἶψ' ἐνόησαν* (quod omnes codd. habent praeter libr. D,

[1]) Cf. La Rochii 'Homer. Unters' p. 80 sq.

in quo legitur *αἶψα νόησαν*); 269 *πλεύρ' ἐφύλασσον*, XXVI 10 *πάντ' ἐθεώρει*, 16 *αἱ δ' ἐδίωκον* (cod. c *αἱ δὲ δίωκον*), 28 *τῶνδ' ἐμόγησεν* (codd. enim c, D exhibent *τῶνδ' ἐμόγησε*, sed totus locus vario modo a criticis temptatus est.) similia reperiuntur in cc. dub. XXI 42 *καθεζόμενος δ' ἐδόκευον* (hoc praebent libri c, 11, 18; *δὲ δόκευον* edd. Iunt. et Call.), XXIII 52 *ἤδ' ἐκρεμάσθη*, 54 *οὐδ' ἐλυγίχθη*. bis tantum a Theocrito in huius modi formis augmentum, quod elisa vocali finali vocis praecedentis facile servari poterat, neglegitur; sed utroque loco clausulae versuum leguntur Homericae: XIII 32 *δαῖτα πένοντο* (cf. Hom. *Σ* 558), ibid. 40 *πολλὰ πεφύκει* (cf. Hom. *ε* 238 = 241 *μακρὰ πεφύκειν*, *Δ* 109 *ἑκκαιδεκάδωρα πεφύκει*). ad quos locos accedunt duo ex edyll. dub.: XX 23 *κροτάφοισι κέχυντο*, ibid. 38 *παιδὶ κάθευδε* (quamquam h. l. etiam *ι* dativi singularis elisionis impatiens in censum venit). similiter atque in clausulis, quas adtuli, augmento instructis res se habet v. XXII 161 *ἅς κ' ἐθέλητε* (omnes libri formas verbi *ἐθέλειν* praebent, quamquam non easdem: cod. 11 habet *ἐθέλητε*, lib. 18 *ἐθέληται*, m *ἐθέλοιτε*). eodem spectat usus dativi pluralis in *-έεσσι* desinentis in hexametrorum exitu: XIII 54 *παρεψύχοντ' ἐπέεσσιν*, XXII 149 *ἐπ' ἀλλοτρίοις λεχέεσσιν*, quibus in versibus facile clausulae trisyllabae adhiberi poterant scribendo *παρεψύχοντο ἔπεσσιν* (hiatus enim ante vocabulum *ἔπος* non offenderet, sed memorandum est Homerum, ubi dativum plur. huius vocabuli in versus exitu usurpavit, constanter usum esse forma *ἐπέεσσιν*)[1]) et *ἐπ' ἀλλοτρίοισι λέχεσσιν*; cf. Hom. *Γ* 391 *δινωτοῖσι λέχεσσιν*. dativi, qui desinunt in *-έεσσιν*, leguntur in hexametri fine etiam XV 93 *τοῖς Δωριέεσσι*, XXII 143 *βαρυνόμενοι σακέεσσι*.

Praeterea huc pertinent etiam clausulae XVII 118 *μυρία τῆνα* (ut omittam locos carminum bucol. et mim. velut I 1 *αἰπόλε τήνα*, V 15, 117; VII 98; XIV 41; ubi dialectus, qua conscripta sunt haec edyllia, plurimum haud dubie in eligendis his formis valuit), XXV 36 *δμώων τινὰ κείνου* (quam scripturam praebent codd. c, m, 18, w; solus liber 11 habet *ἐκείνου*). Homerus quidem semper fere in versus exitu formas vocis *ἐκεῖνος*, non vocis *κεῖνος* usurpavit[2]). apud Theocritum legitur *ἐκεῖνος* in hexametri fine: XXV 121 *νοῦσος ἐκείνου*, epigr. I 1 *κατάπυκνος ἐκεῖνα*.

Voces monosyllabae, quibus hexametri apud Theocritum finiuntur, longe saepissime sunt encliticae, quae artissime ad voces antecedentes se adplicant: *a)* I 113; III 28; V 29; VII 13, 119; VIII 15, 55, 63, 65; X 24, 36, 44; XI 9, 22, 23, 68, 70; *b)* II 114; XV 12, 15, 23, 71;

---

[1]) Cf. La Roche l. c. p. 83.

[2]) Cf. La Roche ibid.

XVIII 12, 16, 47; *c)* XIII 18; XVII 66, 86, 130; XXII 100, 153; XXIV 93; XXV 16, 87, 125; XII 9; *d)* XXI 28, 34; XXIII 21. nonnumquam voculae *μέν, δέ, γάρ* in hexametri exitu leguntur: *a)* III 32; *c)* XIII 25; XXII 112, epigr. XIII 5; *d)* XX 26; XXI 20; XXIII 58; epigr. IV 5.

Sed non solum eis locis, quos adtuli, voculae monosyllabae, quibus versus terminantur, arto vinculo syntactico cum vocabulis praegressis copulatae sunt, verum similis ratio etiam in exemplis ceteris plerumque observari potest. sic finiuntur formula *καὶ τύ* versus: I 2, XV 66; in cc. dub. XX 40. bis praepositio *ἐξ* substantivo suo postposita in hexametri fine reperitur: XXII 30 *ἀμφοτέρων ἔξ*, XXV 38 *κακῶν ἔξ*; semel vocula *ὥς*: XXV 201 *ποταμὸς ὥς*. deinde inveniuntur pronomina possessiva in sede versus ultima antecedente substantivo, quocum copulata sunt: XXV 138 *σθένεϊ ᾧ*, 223 *σήραγγα προδείελος ἔστιχεν εἰς ἥν*, in cc. dub. v. XXIII 39 *ἐκ ῥεθέων σῶν*. similis est usus vocabuli *τρεῖς* in v. XVII 84 *ἐννεάδες τρεῖς*. verborum formae his locis leguntur: XV 29 *ὕδατος πρότερον δεῖ*, XIII 67 *τὰ δ' Ἰήσονος ὕστερα πάντ' ἧς*, XXII 171 *αἵματι δὲ χρή*, in cc. dub. XXIII 32 *ἀλλ' ὀλίγον ζῇ*. duo versus exeunt in voculam *νῦν*: XI 28 *οὐδέ τί πᾳ νῦν* et XXII 169 *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν*, unus finitur particula *πρίν*: XXII 89 *ὀρίνθη δὲ πλέον ἢ πρίν*, unus particula *οὐ*: XXVI 32 *εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώια, δυσσεβέων δ' οὔ*. his denique locis in hexametri fine substantiva monosyllaba legimus: *a)* VIII 59 *ὦ πάτερ ὦ Ζεῦ*, [77 *ἁδὺ δὲ χὰ βῶς*], IX 7 *ἁδὺ δὲ χὰ βοῦς*, XI 51 *ἀκάματον πῦρ*, 74 *πολὺ μᾶλλον ἔχοις νῶν*; *b)* II 60 *ἃς ἔτι καὶ νύξ*, XIV 21 *τίν' ἔχειν με δοκεῖς νοῦν*; XV 36 *ἀργυρίω καθαρῶ μνᾶν*; *c)* XIII 22 *οὐχ ἥψατο συνδρομάδων ναῦς*, 57 *δεξιτερὴ χείρ*, XXIV 18 *κακὸν πῦρ*, XXVI 4 *ἀσφόδελον τὸν ὑπὲρ γᾶς*; *d)* XXI 23 *ὅτε τἄματα μακρὰ φέρει Ζεύς*, 33 *ὁ διδάσκαλός ἐστι παρ' ᾧ νοῦς*, XXIII 13 *φεῦγε δ' ἀπὸ χρώς*.

Frequentiam versuum, qui vocibus clauduntur monosyllabis, in variis carminum generibus si spectamus, haud multum haec inter se differre adparet. quod si singula carmina respicimus in edylliis bucol. clausulae illae in primis frequentes sunt in cc. VIII. et XI., quorum in illo VI, in hoc VIII reperiuntur; ex mimicis c. XV., in quo solo VII versus voculis monosyllabis finiuntur, hac in re cetera carmina superat[1]).

Hexametros, quorum in exitu voces quattuor syllabas complectentes leguntur, frequentissimos esse in carminibus epicis, rariores in mimicis, rarissimos in bucolicis ex indice supra proposito cognoscimus. videtur quidem ea res cum spondei in pede quinto usu, qui quam late in variis carminum generibus pateat, supra exposuimus, conexa esse.

---

1) Cf. quae exposui p. 8.

Restat, ut paucis exponamus de clausulis tetrasyllabis eorum versuum, qui pedem quintum habent dactylicum. atque in huius modi hexametris Theocritus eam secutus est legem, ut vocabulis quattuor syllabarum in versus exitu positis longe saepissime voces praemitteret monosyllabas aut plus duas syllabas amplectentes.

Monosyllabae quidem voculae in primis in edylliis bucol. saepe antecedere solent, vocabula plus duarum syllabarum in epicis; cuius rei causa e caesurae bucolicae usu haud dubie repetenda est. ac leguntur ante clausulas versuum tetrasyllabas voces monosyllabae vel bissyllabae elisione decurtatae in cc. bucol. locis LV, in cc. mim. XXXV, in ep. LVII, in edyll. dub. orig. XXI[1]). vocabula autem plus duarum syllabarum ante clausulas tetrasyllabas inveniuntur in cc. buc. locis XXII, in mim. XVIII, in ep. LXXV, in cc. dub. orig. VII[2]).

Voces bisyllabae, si praecedunt clausulas versuum tetrasyllabas, tribus locis exceptis semper spondei exhibent mensuram, id quod evitandae caesura quarti pedis trochaicae causa fieri satis patet. ac reperiuntur exempla huc pertinentia in cc. bucol. IX, in mim. XI, in ep. X, in cc. dub. V[3]).

---

[1]) Cf. *a)* I 117 χαῖρ' Ἀρέθοισα, 138 τὸν δ' Ἀφροδίτα, III 18, 24, 29, 35, 38, 41; IV 46, 62; V 3, 6, 73, 76, 88, 92, 110, 111, 130, 132, 135; VI 6, 23, 25, 26; VII 3, 38, 52, 55, 61, 63, 109, 131, 139, 145; VIII 16, 20, 26, 28, 81, 88; X 3, 6, 8, 15, 17, 18, 31, 33, 52; XI 2, 8, 46, 55, 59; *b)* II 7, 18, 26, 30, 59, 70, 71, 72, 74, 90, 102, 103, 126, 133, 136, 138; XIV 13, 20, 48, 56, 57, 58, 63; XV 51, 77, 109, 113, 136, 137; XVIII 1, 5, 17, 34, 41, 44; *c)* XIII 1, 4, 15, 61, 66, 68; XVI 45, 48, 55, 71, 90, 104; XVII 21, 29, 42, 45, 47, 124, 136; XXII 2, 27, 38, 52, 58, 59, 85, 91, 139, 157, 161; XXIV 1, 4, 87, 89, 97, 100; XXV 3, 9, 27, 62, 68, 79, 117, 170, 229, 232, 269; XXVI 6, 10, 16, 28; XII 19, 24, 28, 29, 35; epigr. XII 1; *d)* XIX 4; XX 3, 29, 31, 42; XXI 9, 36; XXIII 7, 8, 16, 36, 47, 52, 54, 59; XXVII 32, 57, 63; epigr. IV 15, VI 1, XVI 1.

[2]) Cf. *a)* I 31 ἀγαλλομένα κροκόεντι, 98 ἀργαλέω ἐλυγίχθης, IV 25, 57; V 18, 115; VI 42, 46; VII 9, 75, 137; VIII 24, 67, 70, 91; X 7, 39, 40, 50; XI 19, 45, 48; *b)* II 12, 46; XIV 68; XV 18, 22, 43, 53, 84, 85, 90, 95, 100, 102, 107, 115, 147; XVIII 25, 46; *c)* XIII 17, 37, 54, 72, 73; XVI 7, 29, 66, 83, 102, 103, 108; XVII 5, 12, 25, 34, 46, 53, 55, 56, 57, 88, 92, 95, 102, 107, 109, 110, 115; XXII 18, 34, 41, 53, 76, 77, 93, 99, 103, 111, 116, 120, 122, 141, 143, 140, 150, 173, 192, 217; XXIV 44, 121, 132, 133; XXV 5, 20, 21, 72, 90, 141, 175, 188, 208, 209, 267, 268, 273, 277, 278; XXVI 9, 17, 27, 29, 33, 37; XII 7; *d)* XXI 5, 42, 56; XXVII 26, 45, 66; epigr. IV 7.

[3]) Quorum exemplorum pars dimidia ita est comparata, ut bisyllabae illae, de quibus agitur, voces substantiva sint aut articulos suos aut praepositiones excipientia: *a)* I 95 ἁ Κύπρις γελάοισα, VII 135 κατὰ κρατὸς δονέοντο, X 28, 41; XI 52; *b)* XV 16, 37, 123, 140; XVIII 11; *c)* XXIV 113, XXV 157, 194, 235; *d)* XXI 7, 11, 60; XXVII 61. reliqua exempla sunt haec: *a)* I 60 μάλα πρόφρων ἀρεσαίμαν, IX 12; XI 71, 78; *b)* II 16; XV 47, 101, 114; XVIII 24, 42; *c)* XIII 39, 41; XXV 91; XII 3; *d)* XXIII 62.

Ter tantum vocabuli bisyllabi clausulam tetrasyllabam antecedentis prior syllaba brevis est: X 27 *ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον*, XXIV 102 *βαρύς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς*, XXVI 38 *μηδεὶς τὰ θεῶν ὀνόσαιτο*. sed de his locis infra, ubi de caesura quarti pedis trochaica exponendum erit, verba faciemus.

Vocibus quinque syllabarum Theocritus solos fere eos versus, qui in sede quinta dactylum exhibent, finivit; nam unus tantum hexameter spondiacus (XXV 154 *βίη θ' Ἡρακληείη*) clausulam praebet quinque syllabis constantem[1]).

Maior vero pars (LI) vocabulorum quinque syllabas complectentium, quibus hexametri apud Theocritum terminantur, verborum formis efficitur[2]), pars minor (XLV) substantivis vel adiectivis. ac leguntur quidem locis XIII nomina propria, locis XXXII alia substantiva vel adiectiva[3]).

Vocabulis, quae sex syllabas complectuntur, apud Theocritum VIII versus terminantur, quorum pars maior: XIV 33; XVI 91; XXIV 85, 127; XXV 66 in sede quinta habet spondeum. atque horum quinque versuum clausulae formis verborum efficiuntur; ceterum conferas quaeso de eis, quae exposui p. 34 sq. ex hexametris tribus reliquis exhibent duo in exitu adiectiva: XV 17 *τρισκαιδεκάπηχυς*, XVII 20 *κενταυροφόνοιο*, unus participium: XII 13 *ὁμυκλαϊάσδων*.

Paucis quidem, priusquam ad caesurarum usum exponendum transgrediar, tangere mihi liceat rationem, qua Theocritus in pentametris struendis dactylos

1) Cf. p. 34.

2) Cf. *a)* I 42 *ἐλλοπιεύειν*, III 30 *ἐξεμαράνθη*, 36 *ἐνδιαθρύπτῃ*, IV 37 *ἐξεγέλασσεν*, V 44 *βουκολιαξῇ*, 60 *βουκολιάσδεν*, 89 *ποππυλιάσδει*, 148 *καλλιερῆσαι*, VI 40 *ἐξεδίδαξε*, VII 25 *νισσομένοιο*, 30 *ἰσοφαρίζειν*, 51 *ἐξεπόνασα*, 77 *ἐσχατόωντα*, 85 *ἐξεπόνασας*, 92 *βουκολέοντα*, VIII 1 *βουκολέοντι*, 78 *αἰθριοκοιτεῖν*, IX 5 *βουκολιάζεν*, XI 27 *ἁγεμόνευον*, 72 *ἐκπεπότασαι*; *b)* II 19 = XI 72, 24 *καππυρίσασα*, 85 *ἐξεσάλαξε*, XVIII 7 *ἐγκροτέοισαι*, 43 *αὐξομένοιο*, 55 *μὴπιλάθησθε*; *c)* XIII 48 *ἐξεσόβησεν*, 69 *ἐξεκάθαιρον*, XVI 38 *ἐνδιάασκον*, 40 *ἐξεκένωσαν*, 100 *ἐμβασίλευσεν*, XVII 14 *ἐγκατάθοιτο*, 35 *γειναμένοισι*, 85 *ἐμβασιλεύει*, 94 *ἀμφαγέρονται*, 131 *ἐξετελέσθη*, XXII 8 *ἐξανιόντα*, 44 *ἐνδιάασκε*, 106 *ἐξετανύσθη*, 206 *ἐκτελέσαντα*, 207 *ἐξανέχουσαν*, XXIV 52 *δαιομένοισι*, 105 = VI 40, XXV 47 *ἡγεμονεύσας*' 53 *ἐκτετέλεσται*, 60 *ἡγεμονεύσω*, 126 *ἐστιχόωντο*, 129 *βουκολέοντο*, 133 *γαυριόωντο*, 156 *ἐξανύσαντε*, 214 *ἐσκοπίαζον*.

3) Nomina propria extant in vv.: *a)* III 45 *Ἀλφεσιβοίης*, 50 *Ἰασίωνα*, VII 69 *Ἀγεάνακτος*; *b)* XIV 5 *Πυθαγορικτάς*, XV 93 *Δωριέεσσι*, 141 *Δευκαλίωνες*; *c)* XVI 84 *Λυσιμελείας*, XVII 87 *Αἰθιοπήων*, XXIV 56 *Ἀμφιτρύωνα*, 104 *Ἀμφιτρύωνος*, XXV 54 *Ἠελίοιο*, 174 *Αἰγιαλήων*, XII 22 *Οὐρανίωνες*. alia substantiva et adiectiva reperiuntur his locis: *a)* I 52 *ἀκριδοθήραν*, III 31 *κοσκινόμαντις*, VII 18 *ἀγριελαίω*, 46 *εὐρυμέδοντος*, 134 *οἰναρέαισι*, 138 *αἰθαλίωνες*, VIII 18 *ἐννεάφωνον*, 21 = 18, X 12 *ἐνδεκαταῖος*, XI 14 *φυκιοέσσας*; *b)* XIV 12 *ἱπποδιώκτας*, 54 *ἁλικιώτας*, 67 *ἀσπιδιώταν*, XV 34 *ἐμπερόναμα*; *c)* XVI 79 *ἰτεΐνοισιν*, XVII 19 *αἰολομίτρας*, 22 *οὐρανίδαισι*, 83 *μυριάδεσσι*, 93 *ἀσπιδιῶται*, XXII 84 *ἠελίοιο*, 136 *χαλκεοθώρηξ*, 152 *ἀμφοτέροισιν*, XXIV 39 *ἠριγενείας*, XXV 4 *εἰνοδίοιο*, 89 *ὑδατόεντα*, 131 *εἰλιπόδεσσιν*, 135 *ἀγροτεράων*, 165 *ἀγχιάλοιο*, 248 *εὐκεάτοιο*, 257 *ἀγριέλαιον*, 261 *ἐγκεφάλοιο*, XII 37 *ἀργυραμοιβοί*.

et spondeos adhibuit. his vero in versibus condendis poetae omnino multo minus libere versari poterant quam in versu heroico. in hoc enim cum in unaquaque sede dactylus spondeo commutari posset, de pentametris iam inde ab antiquissimis temporibus ea obtinuit lex, ne in alteram versus partem admitteretur spondeus. variari igitur versuum pentametrorum numeri nisi in duobus prioribus pedibus non poterant. atque inde causa quoque repetenda est, cur poetae elegiaci tanto magis in pentametro struendo quam in hexametro inter se consentiant. Theocritus vero, apud quem, si epigrammata excipias, in solo c. bucol. VIII., (cf. vv. 33—60) disticha leguntur, saepissime eam pentametri formam adhibuit, quae etiam apud Callimachum[1]) atque apud poetas elegiacos temporum superiorum[2]) frequentissima est, formam dico, quae in sede prima exhibet dactylum, in pede altero spondeum[3]). eius modi versus in c. VIII. extant VII, in epigr. genuinis IX, quibus addendi sunt XVIII pentametri ex epigrammatis dubiis. proximum locum tenent pentametri in priore parte binos spondeos exhibentes, qui sunt septem nùmero, quorum quinque in distichis carminis VIII. inveniuntur (vv. 38, 44, 48, 52, 58), duo in epigrammatis (I 2, 6); accedunt duo ex epigrammatis dubiae originis (VI 4 et XVI 6). binis dactylis prior pentametri pars efficitur bis in c. VIII. (in vv. 36 et 56); idem fit octiens in epigr. dub. (IV 4, 6, 8, 16; V 6; VI 6; IX [VIII] 2, XI 6). rarissima est ea pentametri species, cuius pes primùs est spondiacus, alter dactylicus; quales versus in edyllio VIII. prorsus non reperiuntur, in epigr. extant duo (VIII [VII] 2 et X 2); epigr. dub. eius modi versus sex exhibent (III 2, IV 12, 18; V 4; VII [XIV] 4, XV 4).

In exitu versus pentametri[4]) reperiuntur saepissime voces bisyllabae: in c. VIII. locis V, in epigr. gen. ll. IV, in epigr. dub. ll. XII. proxime accedunt exitus in vocabula trisyllaba, quibus concluduntur in c. VIII. pentametri V, in epigr. gen. unus, in epigr. dub. IX. quattuor syllabarum vocibus finiuntur in c. VIII. pentametri duo, in epigr. gen. quattuor, in epigr. dub. sex. nonnumquam etiam in vocabula qüinque syllabarum versus, quos tractamus, exeunt: c. VIII 38, 60; epigr. VIII (VII) 2; epigr. dub. II 4; III 4, 6; V 2; VI 2, IX (VIII) 4. duobus locis voces sex syllabarum in fine leguntur: epigr. I 2 *Ἑλικωνιάσι*, X 4 *ἐπιλανθάνεται*. vocula denique monosyllaba reperitur epigr. XIII 4 *λῷιον εἰς ἔτος ἦν* et epigr. dub. XI 4 *δαιμονίως φίλος ἦν.*

---

[1]) Cf Benek. l. c. p. 8.

[2]) Cf. Hultgreni 'Observatt. metr. in poet. eleg.' Lips. 1871; Sitzleri 'Studien zum Elegik. Theognis', Tauberbischofsh. 1885, p. 15 sq.

[3]) Eadem forma etiam apud optimos Romanorum poetas frequentissima est; cf. Luc. Muelleri 'De re metr.' p. 145; Christii 'Metrik der Griechen und Römer[2]' p. 208.

[4]) De ratione, quam in finiendis pentametris secuti sunt poetae elegiaci, cf. Hultgren. l. c. p. 12.

CAPUT ALTERUM.

De caesuris.

Versus heroicus, cum longior sit, quam qui unius ordinis metrici finibus possit contineri, caesuris in partes dividatur necesse est. atque poetis, cum caesuras vel plus quam dactylorum et spondeorum distributionem ad totam hexametri naturam immutandam valere viderent, praecipue id agendum erat, ut divisione illa facta sonorae singulae uniuscuiusque versus partes evaderent. de sedibus autem incisionum in primis tenendum esse censeo ibi tantum eas posse statui, ubi vocabulum aliquod finiatur[1]). sed ut natura caesurarum, de quibus verba facturus sum, recte possit cognosci, rationes, quibus ductus sim in illis statuendis, ut etiam accuratius exponam, opus esse existimo. nequaquam enim ubique post vocabuli finem caesuram quoque puto esse statuendam, immo haud raro voces binae vel plures ita coniunctae sunt, ut nulla inter eas incisio sentiatur.

Ac primum quidem voculae encliticae tam arte cum praegressis vocabulis cohaerent, ut caesura ante illas statui nequeat, id quod cum aliis rebus tum eo comprobatur, quod caesuram quarti pedis trochaicam, quae ab omnibus diligentissime vitata est poetis, saepissime encliticae secuntur; cuius rei exempla ex Theocrito petita infra sat multa adferam. in uno tantum versu legem illam migravit Theocritus, dico XIV 48 *ἄμμες δ' οὔτε λόγω τινὸς ἄξιοι οὔτ' ἀριθμητοί.* quo in versu non est neglegendum encliticam *τινός* propter antecedens *παροξύτονον* proprio sono esse praeditam. hoc modo etiam vocula *ποτέ* a praecedente vocabulo eadem caesura seiungitur apud Moschum III 16 *οἷαν ὑμετέροις ποτὲ χείλεσσι γῆρυν ἄειδεν.* paulo saepius similia admiserunt Nonnus aliique temporum inferiorum poetae[2]). in versu autem

---

[1]) Aliam, sed haud probabilem sententiam protulit Lehrs 'de Arist. stud. Hom. edit. II (Lips. 1865)', p. 409, ubi etiam eius modi versus, qualis est *Διογένες Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,* in tertio pede caesuram habere dicit eamque sola voce significandam esse.

[2]) Locos, qui hac in re in censum veniunt, congessit Giseke 'Homer. Forsch.' p. 58.

illo Theocriteo etiam id fortasse respiciendum est, pronomini τὶς ibi **maiorem** quandam vim tribui, ut idem fere valeat, quod nostrum 'auch nur **irgend** einer'. encliticarum vice, ubi de caesuris agitur, etiam *γάρ, μέν, δέ* **parti**culae funguntur[1]).

Similiter atque in encliticis res se habet in voculis, quae vulgo procliticae adpellantur. nam ut illae cum praecedentibus, sic hae voculae cum insequentibus vocabulis artissime sunt coniunctae. apud Theocritum quidem in uno tantum versu (XXVI 28) ante ipsam tertii pedis caesuram particula *εἰ* legitur; est autem versus, qui una cum praegresso criticorum ingenia iam satis excercuit. sed si in lectione Zieglero probata verba *μηδ' εἰ* genuina sunt, habet hic versus excusationem anaphorae, quo quasi vinculo coniungitur cum antecedente: *μηδ' ἄλλος ἀπεχθέμεναι Διονύσῳ* ⌊ *φροντίζοι, μηδ' εἰ χαλεπώτερα τῶνδ' ἐμόγησεν.* facilius sane scriptura *μηδ' εἰ* excusatur quam id, quod recepit Fritzsche: *φροντίζοιμ' εἰ καὶ χαλεπώτερα τῶνδε μογῆσαι*[2]).

Idem fere, quod de procliticis, etiam de vocibus nonnullis valet proprio sono instructis, velut de particula *μή* (cuius eandem esse condicionem, quam voculae *οὐ* perspicuum est), de coniunctionibus *καί, ἐπεί, ὅτι, ὅκκα* cett., quae cum solae stare nequeant, semper cum sequentibus arte cohaerent; eodem modo usurpantur pronomina relativa. neque inter praepositiones et substantiva, quibuscum copulatae sunt, apud Theocritum statuere licet caesuras, quamquam minus arta est coniunctio, si praepositione adiectivum a substantivo suo separatur. in Homeri quidem carminibus, ubi leguntur eius modi versus, qualis est *Α* 53 *ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ* ‖ *στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο* vel *Υ* 35 *Ἑρμείας, ὃς ἐπὶ* ‖ *φρεσὶ πευκαλίμῃσι κέκασται,* etiam inter praepositiones et substantiva cum eis copulata caesuras statuendas esse consentaneum est[3]). apud Theocritum autem frustra eius modi versum quaesiveris. qua de causa neque bucolicam caesuram apud hunc poetam in simili verborum conexu statuendam esse censeo, velut v. I 91 *τάκεαι ὀφθαλμώς, ὅτι οὐ μετὰ ταῖσι χορεύεις,* ubi post quinti pedis trochaeum potius vocis intermissio sentitur[4]).

Deinde articulum quoque tam arto vinculo cum substantivo suo coniunctum esse, ut in universum nequeat ab eo caesura separari, negari non potest[5]). in versibus autem III 1 *Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα, ταὶ*

---

[1]) Cf. infra p. 51 sq., 62.

[2]) Cf. quae exposui de particula *καί* p. 26.

[3]) Cf. Hoffmann. l. c. p. 8 sq. A. Rossbachii et R. Westphalii 'Metrik der griech. Dramat. u. Lyr.[2]' II p. 335, adn.

[4]) Cf. praeter hunc versum: *a)* I 54; IV 29; VII 47, 64, 149; XI 43; *b)* II 23 XV 130; *c)* XIII 16; XXV 2, 148, 218.

[5]) Cf. Rossbach. et Westphal. l. c.

δέ μοι αἶγες et X 29 ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρᾶτα λέγονται nil impedit, quominus in priore caesuram primariam bucolicam esse statuamus [1]), in altero semiseptenariam. in utroque praecedit incisio semiternaria [2]). similiter atque in hexametris adlatis res se habet in cc. dub. v. XXI 47 τὸν κάλαμον δ' ὑπὸ τῶ κινήματος ἀγκύλον εἶχον. quae cum ita sint, ne bucolicam quidem incisionem statuere licere arbitror in hexametris, qui ita sunt comparati, ut v. X 29, quem adtuli, vel ibid. 30 ἁ αἶξ τὰν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει cett. sed non eadem est condicio versuum II 8 βασεῦμαι ποτὶ τὰν Τιμαγήτοιο παλαίστραν et 97, in quibus articulus a substantivo suo alio vocabulo interposito separatur. hi enim versus quin post tertii pedis arsim primariam habeant incisionem, dubium esse nequit. quae res iam inde elucet, quod neque bucolica neque post quartam arsim adest caesura. ceterum his versibus etiam ex nomine proprio aliquid fortasse peti potest excusationis.

Multo laxior est coniunctio, quae inter adiectiva vel numeralia vel pronomina (αὐτός, ἐκεῖνος) et substantiva iuxta posita, ad quae referenda sunt illa, intercedit. huius modi enim cohaerentia neque semiquinaria caesura neque ea, quae est κατὰ τρίτον τροχαῖον, impediri videntur, velut I, 18 καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα ‖ χολὰ περὶ ῥινὶ κάθηται vel V 106 χάμιν ἐστι κύων ‖ φιλοποίμνιος, ὃς λύκος ἄγχει [3]). itaque bucolica quoque incisio statuenda esse videtur in eius modi versibus, qualis est I 3 συρίσδες· μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ [4]).

Denique etiam elisione vocabula iuxta se posita artius copulari constat. non tamen tam arta est haec coniunctio, ut omnes ea impediantur caesurae, quae res eo quoque comprobatur, quod persaepe vocales finales ante ipsam interpunctionem aut leniorem aut graviorem eliduntur; id quod fit in tertii pedis caesura in his versibus: *a)* V 118 τοῦτο μὲν οὐ μέμναμ'· ὅκα

[1]) Cf. p. 45 sq.

[2]) Alios versus tres, qui in Theocriti carminibus caesura pedis tertii carent, paulo infra adferam.

[3]) Cf. etiam: *a)* I 13, 58, 59, 129; III 20, 32; IV 59, 63; V 43, 53, 101 = I 13, 104, 112; VII 10, 23, 32, 53, 55, 59, 79, 124, 132, 138, 155; VIII 9, 41, 49, 55, 59; IX 9, 30; X 20, 22, 54; *b)* II 165; XV 117; XVIII 27, 28, 31, 42; *c)* XIII 19, 72; XVI 38, 58; XXII 2, 25, 37, 92; XXV 126, 149, 257; XXVI 10, 35; XII 35; epigr. I 3; *d)* XX 41; XXI 19, 30; XXVII 4, 70; epigr. III 1 cett.

[4]) Eiusdem generis sunt vv.: *a)* I 61, 123, 139; III 13, 33, 49; V 59; VI 11, 14, 43; VII 8, 83, 108, 109, 116, 121, 148; VIII 2, 65; IX 15; X 5; XI 22, 23, 41, 70; *b)* II 61, 94, 137; XIV 12, 40, 65, 67; XV 34 (in huius versus parte altera ne potest quidem alia caesura statui: Πραξινόα μάλα τοι τὸ καταπτυχὲς ἐμπερόναμα), 81; *c)* XIII 10, 26, 29, 40; XVI 57; XVII 77, 98, 104; XXII 29, 42, 63, 115, 148, 180, 222; XXIV 2, 15, 64, 65, 114, 138; XXV 89, 248 (de quo versu idem valet, quod de XV 34); XII 34; *d)* XIX 6; XX 4, 7, 20; XXI 23; XXVII 29, 30, 37, 39.

μάν ποκα τεῖδέ τυ δήσας, ibid. 133, VI 43; VIII 10, 13, 23, 68; X 36; *b)* XIV 64; XV 130; XVIII 21; *c)* XXV 38, 106. praeterea elisio cum incisione pedis tertii convenit in vv.: *a)* I 92; IV 36, 51; V 9, 15, 62; X 33; XI 36; *b)* II 69 (qui versus repetitur: 75, 81, 87, 93, 99, 105, 111, 117, 123, 129, 135), 137; XV 133; *c)* XVII 128; XXII 19, 91, 195; XXIV 54; XXV 67, 89, 128, 205. similiter vocalis finalis post pedem quartum, in sede caesurae bucolicae eliditur: *a)* X 18; *b)* XIV 27; XV 82, 143; XVIII 34; *c)* XIII 1, 49; XVI 96; XVII 87; XXII 107; XXIV 1, 56, 57, 89; XXV 135, 245; epigr. XII 1; *d)* XX 31; XXI 41.

Alia quaestio est sane difficillima neque adhuc satis explanata de sede caesurae primariae. qua de re ab hominibus doctis sententiae prorsus diversae prolatae sunt. ac Lehrs quidem semper caesuram primariam in tertio pede statuendam eamque, si nullum hac in versus sede finiatur vocabulum, sola voce in pronuntiando significandam esse censet; contra alii, in quibus sunt Hoffmann[1]) et Christ[2]), caesurae semiseptenariae, ubi interpungitur in ea, maiorem vim tribuunt quam incisioni pedis tertii, velut Hom. *A* 174 *λίσσομαι εἵνεκ' ἐμεῖο μένειν· παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι.* Christio vero praeterea hexametri apud Homerum eius generis, cuius est v. *A* 309 *ἐς δ' ἐρέτας ἔκρινεν ἐείκοσιν, ἐς δ' ἑκατόμβην* vel *Ψ* 549 *ἔστι τοι ἐν κλισίῃ χρυσὸς πολύς, ἔστι δὲ χαλκός* ita in partes binas videntur esse dividendi, ut priore pedes quattuor priores, altera duo reliqui contineantur; quas inter partes eandem intercedere ait rationem, quam inter arsim et thesim in eius generis pedibus, quod *διπλάσιον* vocant homines rei metricae periti[3]). idem semiternariae quoque caesurae, si interpunctione adiuvatur (cf. Hom. *ε* 356 *ὤ μοι ἐγώ, μή τίς μοι ὑφαίνῃσι δόλον αὖτε),* similem vim tribuit, atque adeo incisionibus post pedem primum, velut in v. B 23 *εὕδεις, Ἀτρέος υἱὲ δαΐφρονος ἱπποδάμοιο.* alios denique hexametros, ut v. *Z* 181 *πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,* non in duo hemistichia, sed in partes tres etiam caesuris metricis divisos vult. hac vero in re Christ, quamquam poetarum erat operam dare, ut enuntiatorum fines in unum convenirent cum caesuris metricis, tamen iusto plus tribuere videtur interpunctionibus. certe in Homero sat multa suadent, ut praeferatur in eius modi versibus caesura pedis tertii[4]). paulo aliter res se habet in carminibus Theocriti. huius quidem aetate poesis Graecorum epica ad communem populi sensum olim accommodata iam ad homines doctos transmigraverat. atque materiam homines litterati plerumque

---

1) Quaestt. Hom. I p. 28.
2) Metrik d. Griech. u. Röm. p. 170 sq.
3) Cf. ibid. p. 179.
4) Cf. Hartelii 'Hom. Stud.' I 94.

talem tractare solebant, unde, quanta eruditione atque doctrina essent ornati, eluceret. Theocritus autem aut alius poesis bucolicae inventor ad imitandum pastorum Siculorum cantum animum intendit. nam edyllia Theocriti bucolica eiusque sectatorum ad similitudinem cantilenarum popularium, quas tum Siculi pastores in agris modulari solebant, conformata esse consentaneum est. ratio autem, qua usus est Theocritus in cantu agresti imitando, cum nullum ex carminibus illis pastoralibus ad nostram aetatem pervenerit [1]) neque, quali fuerint metro, notum sit, accuratius quidem definiri nequit. sed communis generi poesis bucolico est versus heroicus. atque uti veri simillimum est versum pastorum agrestium similitudinem habuisse cum numeris hexametri, ita patet poetis bucolicis versum, quo utebantur, ad numeros illos agrestes, quoad potuit fieri, accommodandum fuisse. et inde caesurae quoque illius post pedem quartum frequentia, qua differunt bucolica Theocriti edyllia et a carminibus aliorum, qui versu heroico usi sunt, poetarum et a ceteris ipsius Theocriti edylliis, explicanda est. videntur quidem hexametri, quorum pedes quintus et sextus incisione a praecedentibus separantur, propius ad numeros carminum pastorum Siculorum accessisse. qua de causa, quin in Theocriti carminibus bucolicis, si de caesurae primariae sede quaeritur, incisioni bucolicae maior vis sit tribuenda quam apud Homerum, vix potest dubitari. eodem spectat, quod sollemnis apud Theocritum, in primis in cc. bucol. est anaphora eius generis, ut semel aut priore loco aut posteriore vocabulum repetitum caesuram excipiat bucolicam; altera sedes vocabuli iterati saepissime in eiusdem versus initio est, velut I 64 *ἄρχετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς,* qui est versus intercalaris; cf. etiam: I 15, 66, 67, 127 (vers. intercal.); V 3, 14, 26, 82, 104; VII 24, 37, 84, 105; VIII 3, 4, 41, 49, 76, 79; IX 7, 8 (in utroque versu idem vocabulum repetitur), 19 cett. nonnumquam vox iterata aut in praecedentis versus initio aut in insequentis alteram sedem suam habet. illud quidem anaphorae genus in ipso carminis primi exordio extat: *Ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς αἰπόλε τήνα, | ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται, ἁδὺ δὲ καὶ τύ,* cf. I 80 sq., V 118 sq. cett.; alterius generis anaphora invenitur in vv.: I 100 sq. . . . . *Κύπρι βαρεῖα, Κύπρι νεμεσσατά, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής,* cf. I 105 sq., 116 sq.; III 7 sq., IV 45 sq., V 45 sq., 51 sq.; VII 71 sq.; IX 33 sq. cett.

Praeterea in diiudicanda quaestione, utrum incisioni bucolicae an pedis tertii caesurae maior vis sit tribuenda, et orationis continuitas et inter-

---

[1]) Versibus Priapeis, quos scholiasta, qui de origine poesis bucolicae scripsit, adfert (dico scholion in libro Ambros. 222, cf. Ziegleri edit. p. 2), haud ita multum auctoritatis tribuendum esse videtur; cf. R. Steigii 'De Theocriti edyllior. composit'. Berol. 1882 p. 2.

punctiones in unoquoque versu magni sunt momenti. ac tum **potissim** caesura bucolica praeferenda esse videtur, ubi interpunctione **adiuvatur** sir vocabulis in pede tertio sive elisione sive alio vinculo arte **coniunctis**, **ve** I 92 *τῶς δ' οὐδὲν ποτελέξαθ' ὁ βουκόλος, ἀλλὰ τὸν αὑτῶ* aut in **versu** i supra adlato III 1 *Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα, ταὶ δέ μοι αἶγες,* simi

Ceterum cavendum est, ne iusto plus incisioni bucolicae **tribuam** auctoritatem caesurae pedis tertii detrectantes. reputes enim quaeso in ips bucolici generis carminibus sat multos versus (CCXXVIII inter DCCCLXXV vel XXVI in centenis) incisione bucolica prorsus carere. contra Theocritu in omnibus carminibus tres tantum hexametros ita conformavit, ut longior vocabulo in medio versu conlocato tertii pedis caesura impediatur. quorun versuum unus extat in edyll. bucol. VIII 61 *ταῦτα μὲν ὧν δι' ἀμοιβαίω οἱ παῖδες ἄεισαν,* duo in epicis: XIII 41 *κυάνεόν τε χελιδόνιον χλωρό τ' ἀδίαντον* et XXII 72 *ὀρνίθων φοινικολόφων τοιοίδε κυδοιμοί*[1]).

De versibus autem III 1, X 29, XXI 47, in quibus articulo cum substantivo suo arte copulato, quominus caesuram pedis tertii esse statuamus, impedimur, iam p. 42 sq. exposuimus.

Quattuor quidem ex hexametris adlatis (VIII 61, X 29, XIII 41, XXII 72) ita comparati sunt, ut caesura semiseptenaria primariae vice in eis fungatur. praeter hos autem versus etiam apud Theocritum ubique solae pedis tertii incisiones aut caesura bucolica pro primariis habendae esse videntur. ac ne in eis quidem versibus, quibus caesurae primariae locum bucolica tenet incisio, pedis tertii caesuras prorsus neglegendas esse ex eis, quae exposui, satis adparet.

His praemissis ad singulas caesuras tractandas transire licet. ac primum quidem de caesuris pedis tertii agere in animo est. etenim inveniuntur incisiones in tertia versus heroici sede duae; altera eaque fortior arsim huius pedis excipit, altera mollior partem thesis priorem. atque illa quidem quin pulcherrima sit hexametri dactylici caesura, vix dubitari potest; dividitur enim versus ea admissa in partes duas, quarum prior dactylicum, altera anapaesticum numerum exhibet metrumque aequat paroemiacum, quod et ipsum simplicem prae se fert venustatem. caesura autem pedis tertii trochaica totum versum molliorem quodam modo efficit atque ad augendam numerorum celeritatem aliquid adfert. apud Homerum quidem

---

[1]) Apud Homerum huius modi versus paulo frequentiores sunt; congesti reperiuntur in Bekkeri 'Homer. Blätt.' I p. 143 accuratiusque in Lehrsii 'De Arist. stud. Hom.' p. 394 sqq. poetae autem aetatis Alexandrinae omnes illos vitarunt; certe Callimachus nullum admisit, Apollonius duos: *A* 176 et *B* 389, item Dionysius Perieg. duos: 630 et 753, Nicander unum: Ther. 894.

par fere est utriusque caesurae frequentia[1]); ac iucundae varietatis, quam in carminibus illis admiramur, aliquantum haud dubie etiam hac ex re videtur esse repetendum. in carminibus autem posteriorum poetarum, qui magis studebant versuum volubilitati, incisio tertii pedis trochaica magis magisque usu obtinuit et Nonno ita placuit, ut quinque partes omnium, quos conscripsit, versuum hac caesura distinxerit, unam tantum semiquinaria.

Iam videamus, quam rationem secutus sit Theocritus. qua in re aptissimum equidem esse puto tabulam proponere, unde et frequentia caesurarum et quem ad modum differant inter se usu incisionum pedis tertii varia genera carminum Theocriteorum cognosci possit. in edyll. vero generis bucolici haud alienum erit eos versus, quibus cantica pastoralia continentur, a ceteris separare[2]). extant igitur:

carminum genera:	caess. semiquin.	caess. tertii ped. troch.
in canticis . } carminum	232 vel 53·1 in cent. vv.	204 vel 46·7 in cent. vv.
in cett. vv. . } buc.	203 „ 46·4 „ „ „	234 „ 53·2 „ „ „
in univers. in cc. buc. . . .	435 „ 49·7 „ „ „	438 „ 49·9 „ „ „
in cc. mim.	212 „ 47·8 „ „ „	231 „ 52·2 „ „ „
in cc. epicis	300 „ 28·3 „ „ „	756 „ 71·5 „ „ „
in omnib. Theocr. cc. gen. .	947 „ 41·9 „ „ „	1425 „ 57·9 „ „ „
in cc. dub.	117 „ 40·9 „ „ „	167 „ 58·8 „ „ „

Versus nullam in pede tertio caesuram exhibentes supra adtuli. ex tabellis autem propositis primo obtutu unusquisque cognoscere potest Theocritum, si pedis tertii caesuras spectas, nequaquam eadem ratione in variis carminum generibus usum esse; ac maxime inter se differunt edyllia bucolica et epica. in illis enim in universum utriusque incisionis pedis tertii eadem est frequentia; canticorum autem pastoralium versus caesuram semiquinariam vel aliquanto saepius ostendunt quam trochaicam; in ceteris versibus haec paulo est frequentior[3]). singula autem carmina bucolica si respicimus, in primis in duobus semiquinariae incisionis frequentia maior est quam trochaicae, dico carmina I. et VIII., quorum illud LXXXV versus caesura semiquinaria, LXVII trochaica pedis tertii habet incisos, hoc in vv. LI semiquinariam exhibet, in XXVII trochaicam. contra maxime superat incisio

[1]) Cf. Hartel. I 83, 94; Bekker. l. c. I 144.

[2]) Cf. p. 10 sq.

[3]) Apud Homerum quoque caesura trochaica paulo saepius reperitur quam semiquinaria; in centenis enim versibus 52·93 illam exhibent; cf. Hartel. I 83.

trochaica in cc. IV. (ubi vv. XXVI caesura semiquinaria sunt instruc XXXVII trochaica) et VII. (ubi vv. LXVI semiquinaria inciduntur, X trochaica). multo aliter atque in edylliis bucolicis res se habet in carminib epicis; in his enim plus quam duae partes omnium versuum caesura i ciduntur trochaica. ut igitur dactylorum et spondeorum usu in epico ca minum genere Theocritum proxime ad aliorum aequalium morem acceder vidimus [1]), ita frequentia quoque caesurae tertii pedis trochaicae ider declaratur. eadem enim ratio, quae in edylliis Theocriti epicis, apud Calli machum quoque inter versus semiquinaria incisione distinctos et eos, qu post tertium trochaeum inciduntur, intercedit. nam ex DCCCCXLII versibu hymnorum I., II., III., IV., VI. dividuntur CCLXVI caesura semiquinaria, DCLXXVI trochaica [2]).

Caesurae vero semiquinariae Theocritus ceterorum poetarum Alexandrinorum more [3]) in primis in cc. bucol. et ep. constanter addidit aut bucolicam aut semiseptenariam incisionem, illam quidem multo saepius. Excipit enim caesuram semiquinariam

a) in	cc.	buc.	374	locis	incisio	buc.,	52 ll.	semisepten. [4]).
b) „	„	mim.	142	„	„	„	50 „	„
c) „	„	epicis	198	„	„	„	89 „	„
d) „	„	dùb.	96	„	„	„	16 „	„

unde patet hexametros semiquinaria caesura instructos neque post quartam arsim neque post pedem quartum incisos in cc. bucol. non plus IX esse, in mim. XX, in ep. XIII, in dub. VI. ac plerique ex his hexametris aut post quinti pedis arsim aut post eiusdem pedis trochaeum inciduntur. illa quidem incisio in his invenitur versibus: *a)* VII 21 *τὸ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις,* 54; VIII 75, 90; X 39; XI 48, 52; *b)* XV 7, 14, 18, 36, 37, 39, 43, 54, 66, 106; XVIII 53; *c)* XXII 56; XXV 259; *d)* XXI 56, 60; XXVII 5, 61. post quinti pedis trochaeum ex versibus, de quibus agitur, hi inciduntur: *b)* II 8 *Τιμαγήτοιο παλαίστραν,* cf. 97; XIV 8; XV 92, 128, 129; *c)* XIII 7, 64; XXII 82; XXV 26, 63, 189, 217; XXVI 1; XII 20, 21; *d)* epigr. III 3, IV 13. post quintum demum pedem reperimus incisionem in versibus qattuor: *a)* XI 47 *τό μοι ἁ πολυδένδρεος Αἴτνα;*

---

1) Cf. p. 15, 29 sq.

2) Cf. Prahl. p. 7.

3) Cf. quae exposuit Guil. Meyer in act. acad. Monac. 1884, p. 992 sqq.

4) Versus eius generis, cuius est XIII 7 *τοῦ χαρίεντος Ὕλα, τοῦ τὰν πλοκαμῖδα φορεῦντος* vel XXII 56 *θάρσει. μήτ' ἀδίκους μήτ' ἐξ ἀδίκων φάθι λεύσσειν* propter artam articuli vel praepositionis cum substantivo suo cohaerentiam in eorum numerum, qui caesura semiseptenaria carent, rettuli.

b) XV 21, 126; *c)* XXII 179. duo denique ex versibus illis iam post trochaeum pedis quarti inciduntur: VIII 10 *οὐδ' εἴ τι πάθοις, τύγ' ἀείδων,* XVIII 15 *Μενέλαε τεὰ νυὸς ἅδε.*

Saepe in Theocriti carminibus similiter atque apud alios poetas caesurae pedis tertii adiuvantur interpunctionibus. postulat enim verborum contextus, ut versus recitantes intervallis ea seiungamus, quae minus arte cohaereant, uno autem tenore pronuntiemus, quae inter se artius copulata sint. atque hoc modo caesurae, quas rhetoricas iure adpellare possis, oriuntur. sed quia carminis virtus eo maior est, quo magis oratio ipsa cum numeris versuum conspirat, omnes melioris notae poetae elaborabant, ut singulas sententias intra terminos numeris constitutos concluderent. cavendum enim erat, ne temporis intervallis, quae in confinia enuntiatorum cadunt, in alias versus sedes atque eas, quas caesurae tenebant, admissis numeri nimis turbarentur. egregie hanc rem exposuit Hartel I p. 97 sq.: 'Es bleibt immer noch die Frage: warum sind gerade die Caesuren Hauptanziehungspunkte der Interpunction? Und darauf gibt es nur eine befriedigende Antwort: weil diese eine Pause bedingt und die häufigere Unterbrechung dem ruhigen Flusse des griechischen Hexameters nichts weniger als angemessen schien. Hoffmann formulirt den Satz so I 27: accedente interpunctione consentaneum est multo vehementiores fieri caesuras, quam quae efficiuntur solo vocum fine. Nur werden wir die Vehemenz darin erblicken, dass eine mit dem Satzende zusammentreffende Hauptcaesur eine merklicher in das Ohr fallende Unterbrechung erzeugt als das Zeitintervall der Caesur an sich ist.' atque apud Theocritum quoque interpunctiones longe plurimae aut cum tertii pedis caesuris aut cum bucolica conveniunt.

Primum igitur videamus interpunctionum frequentiam in caesura semiquinaria[1]): *a)* ex vv. CCCCXXXV carminum bucol. incisione semiquinaria praeditis CXXIX vel 29·7 % interpunctionem in ea exhibent (LXXXIX leniorem, XL graviorem); *b)* ex vv. CCXII carminum mimic. LXXI vel 33·4 % interpunctionem habent (XLIV leniorem, XXVII graviorem); *c)* ex vv. CCC carminum epic. LXI vel 20·3 % praebent interpunctionem (XLVIII leniorem, XIII graviorem); *d)* ex vv. CXVII carminum dub. XXXVII vel 31·6 % interpunctione sunt praediti (XXIV leniore, XIII graviore).

In caesura trochaica pedis tertii interpungitur: *a)* inter vv. CCCCXXXVIII carminum bucol. hac caesura instructos in vv. CXXIV vel 28·3 % (in vv. LXXXI lenius, in XLIII gravius); *b)* inter vv. CCXXXI carminum mim. in vv. LXXXII vel 35·5 % (in XLIII lenius, in XXXIX gravius); *c)* inter vv. DCCLVI carminum epic. in vv. CLI vel 20 % (in CVIII lenius, in

[1]) Respiciendum est singulos editores variis in interpungendo uti rationibus; equidem etiam hac in re editionem secutus sum Zieglerianam III.

XLIII gravius); *d)* inter vv. CLXIX carm. dub. in vv. LXV vel 38·5 (in XXXVIII lenius, in XXVII gravius).

Simul ex his numeris adparet in edylliis generis bucolici atque primis mimici multo saepius interpungi quam in edylliis epicis. quae ı explicanda esse videtur ex ipso dicendi genere, quod in variis carminu generibus varium est. in epicis quidem edylliis cum Theocritus eadem fe dictione, qua Callimachus aliique eiusdem aetatis poetae docti, usus si carminum bucolicorum et mimicorum oratio ad populi sermonem magis accon modata maiore simplicitate insignis brevioribusque membris contexta est [1]

Caesurarum autem vis, ut accedente interpunctione augetur, it infringitur alia incisione iuxta praecedente [2]). qua de causa eoder fere modo, quo in versus exitu, etiam in fine prioris hemistichii poeta vocabula monosyllaba praeter encliticas, quae ad praegressa arte se ad plicant, vitare solebant. ante trochaicam quidem tertii pedis caesuram Theocritus voculam monosyllabam suo sono praeditam his tantum locis posuit: *a)* IX 24 *αὐτοφυῆ, τὰν οὐδ᾽ ἄν*; *c)* XXV 236 *ἀσχαλόων, ὅ μοι ὁ πρίν* (est scriptura a G. Hermanno proposita; libri m. scr. aut *ὅς μοι πρίν* [Vat. 915] aut *ὥς μοι πρίν* [codd. 11, 18, w, c] exhibent); deinde deciens nominativus pronominis personae alterius (*τύ, σύ*) legitur cum voce praecedente semper arte conexus: *a)* III 11, IV 27, V 24, 25, 40, X 19; *b)* XIV 10, 34; *c)* XXII 117, XII 8. accedunt voculae *μέν, δέ, γάρ,* quae, cum encliticarum prae se ferant naturam, sat saepe ante ipsam, de qua agitur, caesuram leguntur; quos locos infra adferam. vocem igitur monosyllabam ante trochaicam caesuram pedis tertii conlocatam apud Theocritum semper tam arte cum antecedente copulatam esse, ut nulla inter eas sentiatur incisio, satis patet.

Ac similiter res se habet, ubi ante semiquinariam caesuram Theocritus voci monosyllabae sedem adsignavit. in maiore certe parte versuum, qui huc pertinent, vocem monosyllabam in arsi tertia conlocatam vocabula antecedunt, quae semper cum sequentibus artiore vinculo copulantur, velut praepositiones: *a)* I 37 *ἄλλοκα δ᾽ αὖ ποτὶ τὸν ῥιπτεῖ νόον, οἱ δ᾽ ὑπ᾽ ἔρωτος,* V 57 *δέρματα τῶν παρὰ τίν,* XI 52 *καιόμενος δ᾽ ὑπὸ τεῦς,* 55 *ὡς κατέδυν ποτὶ τίν*; *b)* II 8 *βασεῦμαι ποτὶ τάν,* 97 *τήρησον ποτὶ τάν*; *d)* XXI 60 *ἀλλὰ μένειν ἐπὶ γᾶς* (vv. III 1, X 29; c. dub. XXI. v. 47 hoc loco in censum omnino non venire ex eis, quae p. 42 sq. exposui, adparet); aut praecedit vocula *καί*: *a)* X 23 *ἐργαξῇ· καὶ μάν*; *b)* II 155 *ἦ γάρ μοι καὶ τρίς,* aut articulus: XI 79 *δῆλον ὅτ᾽ ἐν τᾷ γᾷ,* aut coniunctio *αἴκα*: V 21 *ἀλλ᾽ ὤν αἴκα λῇς,* aut vocabula, quorum vocalis finalis elisa est: XIII 10 *οὐδέποκ᾽ ἦς,* XXVI

---

1) Similiter res se habet in Horatii satiris.

2) Cf. Christ. p. 183 sq.

28 μηδ' εἰ. deinde etiam interpunctione ad caesuram accedente eorum, quae praegrediuntur, cohaerentiam artiorem fieri constat; atque hoc cadit in vv.: *a)* XI 56 αἰ μὴ τὸ στόμα λῇς, ἔφερον . . .; *c)* XXV 106 ἄλλος ἀμόλγιον εἶχ', ἄλλος . . .; *d)* XX 37 Ἐνδυμίων δὲ τίς ἦν; quod si versus nunc quidem silentio transimus, quorum in arsi tertia aut encliticae leguntur aut voculae monosyllabae ita comparatae, ut encliticarum instar ad ea, quae praecedunt, se adplicent, restant versus hi: *a)* VIII 91 ὤτερος, οὕτω καί; *c)* XXV 81 ᾔδει δ', ᾧ τε χρή; *d)* epigr. III 3 ἀγρεύει δέ τυ Πάν. sed de primo versu iam p. 26 exposui, alter repetitione vocum ᾧ τε insignis est: ᾔδει δ', ᾧ τε χρὴ χαλεπαινέμεν ᾧ τε καὶ οὐκί, in versu autem tertio de arta vocabuli Πάν cum praecedentibus cohaerentia non est dubitandum.

Voces igitur monosyllabas proprio sono instructas cum sat parce in exitu prioris hemistichii usurpatas esse videamus, latissime in eadem versus sede encliticarum, quae unius sunt syllabae patet usus. atque in primis caesura trochaica insequente prior hexametri pars terminari solet vocula enclitica[1]). particulae quoque μέν, δέ, γάρ saepissime eodem loco positae leguntur, quae res argumentum praebet haud contemnendum has voculas, ubi de incisionibus versuum agatur, idem valere quod encliticas[2]). hexametri vero, in quibus voculae δέ et γάρ ante caesuram trochaicam pedis tertii extant, duobus exceptis omnes in priore hemistichio interpunctionem habent et eam plerumque in caesura semiternaria; soli vv. VI 39 et XIII 55 aliter sunt comparati, quorum hic initium capit a vocabulo septem syllabarum: Ἀμφιτρυωνιάδας δέ . . .

---

[1]) Sic praecedit caesuram illam particula τέ his in versibus: *a)* IV 10, 57; V 18, 50, 128; VII 1, 8, 68, 126, 131, 136; XI 73; *b)* II 77, 147; XV 100, 142; *c)* XIII 75, XVI 51, 56, 66, 67; XVII 77, 87, 89, 121; XXII 1, 16, 41, 109, 175, 202, 216; XXV 69, 83, 110, 127, 150, 154, 185, 222, 224, 281; *d)* XXI 11, 12; XVII 41. Vocula γέ legitur in vv.: *a)* IV 14; *c)* XVII 106; XXII 17, 60, 74; vocula κέ(ν): *b)* XIV 23; *c)* XIII 63; XVII 95; XXIV 138; XXV 198; πέρ: *c)* XXII 131; XXV 112; ποθ' (ποκ'): *a)* V 9, 62. deinde pronominum personalium formae eodem loco positae reperiuntur, velut μεῦ, μοί, μέ: *a)* III 19, 21, 37; VI 40; VIII 24; X 14; XI 67, 77; *c)* XXII 135; *d)* XX 3, 20, 30; XXIII 39, 40; XXVII 52; τεῦ, τοί, τύ (accusat.), σέ: *a)* V 41, 116, 148; VIII 83; X 10; XI 5, 28; *b)* II 101; XV 40; *d)* XXVII 16, epigr. IX (VIII) 1; οἷ, σφί(ν): *a)* III 36; *c)* XVII 26; XXV 12; pronom. indefin. τὶς: *b)* XIV 5, 43, 60; XVIII 16, 35; *c)* XIII 62, XVII 112; XXII 118; XXV 82, 164, 167, 199, 218, 276; XII 19; epigr. X 3; *d)* XXI 4.

[2]) μέν particulam in ea sede, de qua sermo est, hi exhibent vv.: *a)* V 76; VII 50, 111; IX 17; XI 31; *b)* II 78; XV 5; *c)* XVII 13; XXII 165; XII 22; particulam δέ vv.: *a)* III 50; V 49, 54, 91, 131; VI 39; VII 41; VIII 32, 45; IX 6; XI 81; *b)* XIV 9; XV 72, 114; XVIII 51, 55; *c)* XIII 28, 33, 55, 60; XVI 26, 46, 81, 101; XVII 8, 52; XXII 13, 20, 40, 186, 223; XXIV 25, 27, 49, 53, 58, 96; XXV 98, 99, 131, 205, 226, 231, 234, 242, 245, 251, 271; XII 11, 18; *d)* XXI 43; epigr. IV 9; particula γάρ legitur in vv.: *a)* V 67, 142; VII 35, 56; *c)* XIII 71; XVI 69; *d)* XXI 62.

Haud raro ante semiquinariam quoque caesuram encliticae monosyll positae sunt, quamquam rarius quam ante incisionem trochaicam. sed re ciendum hac in re est ante caesuram penthemimerem eas solas conlo potuisse encliticas, quae syllabas exhibebant vel natura longas vel positi productas, in maiore autem parte encliticarum unius syllabae vocales repe breves[1]).

In hexametris caesura trochaica pedis tertii instructis interdum id quoc offensioni esse potest, si vocabulum aliquod ante trochaeum pedis tertii finit sed hoc de eis versibus solis valet, qui habent pedem alterum spondiacu de hexametris autem huius modi conferas quaeso, quae exposuimus p. 24 sq

Iam ad caesuram accedamus, quae est post pedem quartu cuique iam veteres grammatici nomen indiderunt bucolicae. sed ea caesuram non solum poetae carminum pastoralium, verum inde ab Homei omnes, qui sermone Graeco panxerunt hexametros, saepe admiserunt. e enim haec incisio propter ipsam versus heroici naturam maximi momenti numerus enim dactylicus versus hexametri proprius, qui caesuris vel pos arses admissis vel trochaicis aliis numeris commutatur, sub finem versus ne genuina hexametri natura nimis obscuretur, restituatur necesse est[2]), atque hoc caesura, quam bucolicam dicunt, efficitur. itaque iam in Homeri carminibus huius incisionis sat magna est frequentia; 60·12 quidem versus in centenis ea sunt praediti[3]). item interpunctio post pedem quartum iam apud Homerum frequens est; in libris quidem *Α, Γ, Δ, Κ, α, β, ζ* octogiens octiens gravius et ducentiens undecentiens lenius loco illo interpungitur[4]). neque minor est caesurae bucolicae frequentia apud poetas aetatis inferioris. apud Callimachum quidem inter DCCCCXLII versus hymnorum I., II., III., IV., VI. DLVII ea sunt instructi[5]). Theocritus vero qua re perductus sit, ut in edylliis pastoralibus etiam maiorem vim adderet caesurae, qua versus post quartum pedem inciditur, ex eis, quae p. 44 sq. exposui, elucet. hoc quidem loco in primis de frequentia huius caesurae in variis carminum Theocriteorum generibus agitur. ac rationes, quas secuturus sum in statuendis incisionibus

---

1) Plurimae quidem ex encliticis in arsi tertia incisione insequente positis formae pronominum sunt (*μεῦ, μοί, τεῦ, τοί, οἷ, νίν, τὶς*): *a)* I 48; III 28; V 22; VI 29; VII 30, 71, 76, 128; VIII 82; XI 51; *b)* II 85, 95; XIV 65; XV 34, 35, 39; *c)* XVII 17; XXII 204; *d)* XX 19, XXIII 44. deinde usurpatur eodem modo particula confirmativa *τοί*: IV 15; V 31, 86; VI 15; *θήν*: V 111; *πώ*: VII 39. accedunt particulae *μέν, δέ, γάρ*: *a)* IV 43; V 58; *b)* II 11, 38; XVIII 52; *c)* XVI 65; XXII 211. ac similiter particula *δή* ter usurpatur: III 40; VII 21; XI 6.

2) Cf. p. 29.

3) Cf. Hartel. I p. 84; Imm. Bekker. l. c. I p. 144.

4) Cf. Hartel. I p. 95.

5) Cf. Prahl. l. c. p. 11.

bucolicis, iam supra exposui; id tantum addere liceat, in eius modi versibus, qui aut in caesura semiseptenaria aut in trochaica pedis quinti (κατὰ πέμπτον τροχαῖον) interpunctionem habent, meo quidem iudicio caesuram bucolicam, etsi finiatur vocabulum aliquod pede quarto, ita non sentiri, ut prorsus non statuenda esse videatur, velut v. XI 30 γινώσκω χαρίεσσα κόρα, τίνος ὥνεκα φεύγεις aut V 30 ὥριφος ἰσοπαλής, τυῖδ' ὁ τράγος οὗτος. ἔρισδε[1]).

Instructi autem sunt caesura bucolica: *a)* in edylliis bucolici generis DCXLVIII versus vel 74 %, atque in canticis pastoralibus hexametri CCCXXII vel 73·7 %, in parte reliqua CCCXXVI vel 74·3 %; *b)* in cc. mim. vv. CCLXI vel 58·9 %; *c)* in cc. ep. vv. DXXIII vel 49·5 %; *d)* in cc. dub. vv. CXCI vel 66·5 %. cum igitur iam in caesuris pedis tertii sat magnum discrimen inter singula carminum Theocriteorum genera intercedere videamus, magis etiam caesurae bucolicae usu illa inter se differunt. atque in cc. bucol. tres fere partes omnium versuum post quartum pedem inciduntur; in cc. autem mim. huius caesurae usus iam imminutus est, in primis in c. XV., ubi inter CXLIX vv. non plus LV eam exhibent; in edylliis denique epicis vix dimidium versuum caesura bucolica inciditur. unde satis patet Theocritum in huius generis carminibus nequaquam saepius caesuram illam admisisse quam alios poetas epicos.

Caesuras autem si spectamus, quibus in tertio pede distinguuntur versus incisione bucolica praediti, multo saepius pro rata parte caesuram semiquinariam sequitur bucolica quam trochaicam pedis tertii[2]). carent enim caesura bucolica: *a)* in vv. CCCCXXXV carminum bucolicorum semiquinaria instructis non plus LXI, in versibus autem CCCCXXXVIII caesura tertii pedis trochaica praeditis CLXVI; *b)* in carminum mim. vv. CCXII, qui post arsim pedis tertii inciduntur, LXX (quorum XLIII carminis sunt XV.); in vv. CCXXXI, qui inciduntur post trochaeum pedis tertii, CXII; *c)* ex vv. CCC cc. epic. caesuram semiquinar. exhibentibus CII; ex vv. DCCLVI incisione pedis tertii trochaica instructis CCCCXXXI; *d)* ex vv. CXVIII carminum originis dubiae caesura semiquin. praeditis vv. XXII; ex vv. CLXIX post tertii pedis trochaeum incisis LXXIV. quo frequentior igitur est caesura pedis tertii trochaica, eo artioribus finibus continetur usus incisionis bucolicae. atque hoc aptissime congruit cum discrimine illo, quod inter caesurarum usum in edylliis bucol. et ep. in universum intercedere vidimus.

Interpunctionibus caesura bucolica apud Theocritum saepissime adiuvatur in edylliis bucol. et mim., aliquanto rarius in epicis. frequenter

---

[1]) Accedunt vv.: *a)* X 25; *b)* XIV 54; XV 4, 60; XVIII 4, 38; *c)* XVII 10, 66, 118; XXII 199; XXIV 129; XXV 211, 237; *d)* XXVII 7, 38.

[2]) Cf. p. 27 sq.

quidem apud Homerum quoque aliosque poetas in fine pedis **quarti** in pungitur; sed Theocritus in duobus illis carminum generibus **etiam** sae a pede quinto novam incipere solet sententiam[1]). exhibent **enim** in punctionem in caesura bucolica: *a)* in edylliis bucol. ex vv. DCXLV hac caesura praeditis vv. CC vel 31 % (leniorem CXVII, **gravior** LXXXIII); *b)* in edyll. mim. ex vv. CCLXI vv. LXXV vel 28·7 (leniorem LI, graviorem XXIV); *c)* in edyll. ep. ex vv. DXXIII LXVIII vel 13 % (leniorem L, graviorem XVIII); *d)* in cc. dub. ex v CXCI vv. LXXII vel 37·7 % (leniorem XLII, graviorem XXX).

Inter versus autem canticorum pastoralium et ceteros hexametros i cc. bucol. maioris momenti discrimen hac in re non observatur, nisi quo in versibus, quibus vel conlocuntur inter se pastores vel narratur aliquic etiam paulo saepius caesura bucolica interpunctione adiuvatur quam in ipsi canticorum versibus. interpungitur enim in caesura bucolica: *α)* inter vv CCCXXII canticorum pastoralium hac caesura instructos in vv. XCI vel 28·2 % (lenius in LVI, gravius in XXXV); *β)* in vv. cc. bucol. ceteris inter hexametros CCCXXVI caesura bucolica praeditos in vv. CIX vel 33·4 % (lenius in LXI, gravius in XLVIII).

Quibus ex numeris satis adparet canticorum pastoralium hexametros et ceteros versus in edylliis bucol., sive solam frequentiam caesurae bucolicae sive interpunctionum in hac positarum numerum spectamus, apud Theocritum quidem haud ita multum inter se differre. nequaquam autem in pastorum cantilenis frequentior est illa caesura quam in ceteris versibus carminum generis bucol. quae cum ita sint, impetrare a me nequeo, ut Westphalio[2]) adsentiar, qui, cum de hexametris cycliis exponit, ut ostendat aliam esse naturam versuum, qui insunt in canticis, aliam ceterorum hexametrorum in edylliis bucol., hunc in modum argumentatur: 'Kyklisch sind ferner die Hexameter der Bukoliker an den zahlreichen Stellen, in denen Gesänge enthalten sind. Darauf weist nämlich die gerade in diesen Singpartien vorherrschende Cäsur nach dem vierten Fusse........ Besonders bezeichnend ist es dabei, dass diese Cäsur in den erzählenden Stellen der Bukoliker nicht häufiger ist, als in der epischen Poesie.' certe in Theocriti cc. bucol. inter duo illa, de quibus agitur, versuum genera eius modi discrimen non conspicitur; neque dactylorum spondeorumque usu ea inter se differunt[3]).

De interpunctionibus in caesura bucolica positis cum exponam, mentio mihi facienda esse videtur eorum versuum, qui et in tertii pedis caesura habent

---

[1]) De causa huius rei cf. quaeso, quae exposui p. 45 et 50.

[2]) Cf. l. c. II 347 sq.

[3]) Cf. p. 10 sq.

interpunctionem et in bucolica, cuius modi hexametri cum in cc. bucol. et mim. sat frequentes sint, in omnibus cc. ep. non plus tres reperiuntur. versus autem ita comparatos, ut spatium inter incisiones pedis tertii et bucolicam integra expleatur sententia atque gravius interpungatur et in sede versus tertia et post pedem quartum, velut I 62 *κοὔτί τυ κερτομέω. πόταγ' ὠγαθέ· τὰν γὰρ ἀοιδάν,* in cc. ep. prorsus non inveni; in ceteris autem edylliis praeter eum, quem adtuli, etiam horum versuum eadem est condicio: *a)* III 15, 24, V 3, 149; *b)* II 1, XIV 22, XV 73; *d)* XX 37; XXI 63, XXVII 51. multo saepius in altera caesura gravius in altera lenius¹) aut in utraque lenius²) interpungitur.

Difficilis est quaestio de spondei usu ante caesuram bucolicam apud Theocritum. constat enim omnes poetas inde ab Homero in quarta sede versuum caesura bucol. instructorum longe anteposuisse dactylum spondeo. Homerum quidem, ut conlocare posset in sede illa dactylum, saepe formas et substantivorum et verborum insolentes, velut *σ* 192 *προσώπατα, Η* 212 *προσώπασι* cett. usurpasse Bekker demonstravit³). apud Theocritum autem in cc. ep., in quibus incisionis bucol. usus recedit, spondeum pedis quarti multo frequentiorem esse quam in bucol. supra vidimus⁴). in causam vero, cur poetae quartum versus pedem insequente incisione bucol. dactylicum esse maluerint, si inquiras, ab ipsa huius caesurae natura ac vi proficiscendum esse arbitror. ac videntur poetae post quartum pedem hexametri incidendo non solum elaborasse, ut ei proprium eius numerum dactylicum sub finem redderent, sed etiam ut totius versus rhythmus accelleraretur⁵). qua cum re id quoque cohaerere adparet, quod Theocritum in versibus caesura pedis tertii trochaica instructis, qua et ipsa numeri accelerantur, multo saepius pro rata parte caesuram bucol. neglegere quam in hexametris, qui post tertiam arsim inciduntur, supra vidimus. admissa autem caesura post pedem quartum spondiacum tantum abest, ut accelerentur numeri, ut etiam magis retardentur. accedit quod spondeo ante caesuram bucol. posito membrum hexametri hac incisione terminatum eun-

¹) *a)* I 81 *πάντες ἀνηρώτευν, τί πάθοι κακόν. ἦνθ' ὁ Πρίηπος,* ibid. 82, 106, 117, 149, 151; III 18, 52; IV 1; V 35, 41, 45; VII 27, 91; XI 29; *b)* II 124, 151; XIV 31, 36, 70; XV 1, 12, 13, 51, 52, 67, 70, 76, 137; *c)* XVII 74; XXII 54; *d)* XX 10; XXIII 21, 47, 58; XXVII 65; epigr. VI 5.

²) *a)* I 80; V 11, 38; VI 37; VII 13; VIII 19, 22, 33, 37; XI 2; *b)* XIV 7, 44, 45, 61; XV 10, 20, 59; *c)* XXIV 8; *d)* XX 29; XXIII 4; epigr. II 3; IV 17; VI 1, 3.

³) Cf. l. c. I p. 144 sq.

⁴) Cf. p. 6 sq., 9, 21.

⁵) Cf. Kaibelii 'Observatt. crit. in antholog. Graec.' in commentt. philol. in hon. Mommseni conscriptis, p. 327.

dem habet exitum, quem membrum insequens, quo totus versus finitur: quae res male aures adficit.

Neque tamen poetae spondeum pedis quarti insequente incisione plane evitarunt. iam videamus, qui versus apud Theocritum hac in re in censum veniant. extat quidem spondeus ante caesuram bucol. his locis[1]: *a)* I 6 *καλὸν κρῆς, ἔστε κ' ἀμέλξῃς* (Ziegler quidem ex Heinsii coniectura *κρέας* recepit, sed libri manu scr. *κρῆς* exhibent), 130 *ἐς Ἄιδαν ἕλκομαι ἤδη* (codd. k, e, p, s [m. pr.] exhibent *ἄϊδαν*, cod. s [manu sec.] *ἄϊδος*, quae haud dubie est coniectura), V 132 *ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε*, VIII 13 *ὅτις ἁμῖν ἄρκιος εἴη*, 32 *Μενάλκας ἄρξατο πρᾶτος*, IX 1 *τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος*, 19 *χόρια ζεῖ, ἐν πυρὶ δ' αὖαι*, X 18 *χροϊξεῖθ' ἁ καλαμαία* (sic Ziegler scripsit ex Hemsterhusii coniectura, cod. k habet *χροιζεῖται*, p *χροΐζεται*, m *χροΐξεται*, libri a et e *χροιξῆται*), 38 *ἐλελήθει Βοῦκος ἀοιδάς*, 58 *κατ' εὐνὰν ὀρθρευοίσᾳ*, XI 1 *πεφύκει φάρμακον ἄλλο*, 41 *καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων*, 42 *καὶ ἐξεῖς οὐδὲν ἔλασσον*, 54 *ἁ μάτηρ βράγχι' ἔχοντα*, 79 *κἠγώ τις φαίνομαι ἦμεν*; *b)* XIV 23 *ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψας*, XV 38 *ἀπέβα τοι. τοῦτο καλ' εἶπες*, 42 *τὸν μικκὸν παῖσδε λάβοισα*, 48 *παρέρπων Αἰγυπτιστί*, 62 *πείρᾳ θὴν πάντα τελεῖται*, 64 *καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥρην*, 67 *πότεχ' αὐτᾷ, μήτι πλαναθῇς*, 74 *φίλ' ἀνδρῶν ἐν καλῷ εἴης*, 76 *ἄγ' ὤθει, καὶ τὺ βιάζευ* (coniect. Ziegleri, lect. vulg. *ἄγ' ὦ δειλὰ τὺ βιάζευ*), 83 *σοφόν τοι χρῆμ' ὤνθρωπος*, 94 *ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη*, 131 *τὸν αὐτᾶς χαιρέτω ἄνδρα*, 143 *καὶ ἐς νέωτ' εὐθυμήσαις* (cod. k *νέον*), XVIII 12 *καθ' ὥραν αὐτὸν ἐχρῆν τυ*, 52 *Κρονίδας Ζεὺς ἄφθιτον ὄλβον*, 55 *πρὸς ἀῶ μήπιλάθησθε*, 56 *ἐπεί κα πρᾶτος ἀοιδός*, 57 *ἀνασχὼν εὔτριχα δειράν*; *c)* XIII 59 *ἀραιὰ δ' ἵκετο φωνά*, XVI 67 *καὶ ἵππων πρόσθεν ἑλοίμαν*, XVII 36 *Διώνας πότνια κούρα*, 45 *θεάων πότν' Ἀφροδίτα*, 85 *ὀγήνωρ ἐμβασιλεύει*, 87 *κελαινῶν τ' Αἰθιοπήων*, 90 *ἐπεί οἱ νᾶες ἄρισται*, 133 *ἰαύειν Ζηνὶ καὶ Ἥρῃ*, XXII 11 *ἦ ὅππᾳ θυμὸς ἑκάστου*, 88 *τοῦ δ' ἄκρον τύψε γένειον*, 109 *καὶ ἰξὺν χεῖρας ἐνώμα*, 113 *ὁ δ' αἰεὶ πάσσονα γυῖα*, 161 *ὀπυίειν ἅς κ' ἐθέλητε*, 182 *ἀπ' ὤμων τεύχε' ἔθεντο*, 194 *ἀκριβὴς ὄμμασι Λυγκεύς*, 216 *καὶ ἄλλοις ἡρώεσσιν*, XXIV 106 *μελεδωνεὺς ἄγρυπνος ἥρως*, 109 *καὶ ἄμφω χεῖρας ἔπλασσε*, 116 *τὸν οὐδ' ἂν τηλόθι λεύσσων*, 122 *θοῶν ἐξ ἦρατ' ἀγώνων* (Ahrens *ἐξήρατ' ἀγ.*), XXV 9 *ἐπ' ὄχθαις ἀμφ' Ἐλισοῦντος*, 99 *κατ' αὐλὰς ηὐλίζοντο*, 119 *περὶ πάντων ἔμμεναι ἀνδρῶν*, 158 *ἐν ὕλῃ χλωρὰ θεούσῃ*, 254 *ἀπ' ὤμων δίπλακα λώπην*, XII 24 *ἀραιᾶς οὐκ ἀναφύσω*;

---

[1]) Qua in re id monitum volo, me h. l. eius modi versus, in quibus, etsi finiatur pede quarto vocabulum, tamen non sentiatur caesura bucol., velut IV 52 *τἀτρακτυλλίδες ἐντί. κακῶς ἁ πόρτις ὄλοιτο* vel XV 30 *ἁ δὲ σμᾶμα φέρει. δὸς ὅμως. μὴ πουλὺ ἄπληστε*, al. (cuius modi de hexametris iam supra verba feci) omissurum esse eosque solos adlaturum, in quibus incisio post pedem quartum re vera sentitur.

d) XXI 64 *ἴσα δ' ἦν ψεύδεσιν ὄψις*, XXVII 59 *τῆς σῆς τοι μείζονα δώσω*, 63 *καὶ αὐτὰν βοῦν Ἀφροδίτᾳ*.

Videmus versus ante caesuram bucol. spondeum exhibentes satis frequentes esse in edylliis mim. et ep., atque singula carmina si perlustramus, frequentissimos esse adparet in edyll. XV., in quo solo XII reperiuntur. aliter res se habet in cc. bucol., quorum nonnulla eius modi versus, quales tractamus, omnino non exhibent, nonnulla habent paucissimos; paulo plures (V) exhibet c. XI. neque defuerunt qui spondeum ante incisionem bucol. conlocatum ab edylliis mere bucol. (seiunctis cc. X. et XI.) prorsus alienum locosque, quibus haec norma migrata esset, emendandos esse censerent[1]). sed quamquam negari nequit Theocritum summo opere in his carminibus spondeum insequente caesura bucolica vitasse, tamen num ab omni parte probanda sit ea sententia, valde dubitandum est. neque satis patet, num omnino inter edyllia mere bucol. et c. X., quod in hoc messores pastorum loco carmina modulantes fingantur, eius modi discrimen statuendum sit.

Alia ratio in eis, quae corrupta sunt, indagandis respicienda esse videtur. ac iam supra vidimus caesura bucol. rhythmum accelerari, non retardari. qua de causa eo magis spondeus ante caesuram bucol. admissus displicet, quo magis retardantur numeri vel quo maius temporis intervallum inter spondeum illum et ea, quae secuntur, intercedit. et profecto inter omnes versus huc pertinentes quattuor modo (*a)* I 6; IX 19; *b)* XV 38, 67) post quarti pedis spondeum interpunctionem habent, quae res, si frequentiam interpunctionum in caesura bucol. respicimus, non est neglegenda. extant autem duo ex versibus illis in c. XV., quod et spondeos ante incisionem bucolicam plurimos habet et in universum hexametris, quorum numeri graviores sunt, similiter atque cc. VIII. et XI. abundat[2]). qua de causa duo quoque versus illi, de quibus sermo est, tolerandi esse videntur. at coniecturis numerum hexametrorum, qui ante caesuram bucolicam interpunctione adiutam spondeum habent, augere ne in c. XV. quidem probabile est. quam ob rem non adsentior Zieglero, qui v. 76 pro scriptura vulg. *ἄγ' ὦ δειλὰ τὺ βιάζευ* reposuit *ἄγ' ὤθει, καὶ τὺ βιάζευ*. versus autem, qui restant, I 6 et IX 19, cum insint in edylliis mere bucol., ubi maxime vitatum esse a Theocrito spondeum pedis quarti incisione bucol. insequente satis constat, maximam movent suspicionem. atque utroque loco aliae quoque res suadent, ut remo-

---

[1]) Cf. Wordsworthii 'Theocr. Cantabr. 1844', praefat. p. XIX sq.; Hiller. l. c. p. 320. aliter vero iudicasse videtur Schuemann in libro, cui inscriptum est 'Germaniae philologos Misniae conventum celebrantes salutat H. Fritzsche huiusque societas Graeca, Lipsiae 1863', quem librum inspicere me non potuisse valde doleo.

[2]) Cf. p. 8 sq.

veatur spondeus pedis quarti, id quod utrobique lenissima effici potes immutatione. in priore enim versu *ἁ χίμαρος· χιμάρῳ δὲ καλὸν κρῆς, ἔστ᾽ κ᾽ ἀμέλξῃς* agitur de forma *κρῆς*, quam Theocritus alibi numquam admisit singularis vero numerus eiusdem vocis duobus aliis locis legitur: V 140 et IX 25, quorum utroque extat forma soluta *κρέας*, ac priore quidem in eadem hexametri sede atque in v. I 6; leguntur enim v. V 140 haec: *ταῖς Νύμφαις Μόρσωνι καλὸν κρέας αὐτίκα πέμψον*. quae cum ita sint, errare videntur, qui veluti Fritzsche librorum manu script. lectionem *κρῆς* defendunt, neque dubium esse potest, quin in hoc quoque versu soluta forma *κρέας* restituenda sit[1]). versu autem IX 19 *ἐν πυρὶ δὲ δρυΐνῳ χόρια ζεῖ, ἐν πυρὶ δ᾽ αὖαι* non solum spondeo pedis quarti sed etiam hiatu, cui similem alium apud Theocritum non invenies, offendimur. adparet vero etiam hoc loco recipiendam esse formam solutam *ζέει* iam a Brunckio commendatam, quacum conferri possunt aliae verborum formae, velut V 82 *φιλέει*, VIII 54 *θέειν*.

Ex ceteris versus incisionibus maioris momenti semiseptenariam tantummodo esse caesuram et semiternariam notum est.

Atque post alterius pedis arsim sat frequenter apud Theocritum hexametri inciduntur, saepius tamen trochaica incisione in pede tertio insequente quam semiquinaria. habent enim caesuram semiternariam: *a)* in edyll. bucol. vv. CCCXCII vel 44·7 % (CLXIII insequente caes. semiquin., CCXXIX insequente caes. tertii pedis troch.); *b)* in edyll. mim. vv. CLXXXVIII vel 42·4 % (quorum LXXXIII incisione semiquin., CV trochaica pedis tertii sunt praediti); *c)* in edyll. epicis vv. CCCCLXXXVII vel 46·1 % (LXXXII insequente caes. semiquin., CCCCV insequente incis. pedis tertii troch.); *d)* in edyll. dub. CXXVIII vel 44·7 % (in XLII vv. incis. semiquin. sequitur, LXXXVI inciduntur post tertii pedis trochaeum).

Neque interpunctio hac in caesura rara est; distinguuntur enim verba post tertii pedis arsim: *a)* in cc. bucol. sexagiens (XV locis graviore, XLV ll. leniore interpunctione); *b)* in cc. mim. triciens bis (in vv. XIV interp. graviore, in vv. XVIII leniore); *c)* in cc. epic. septuagiens quater (in vv. XIX graviore, in vv. LV leniore interp.); *d)* in cc. dub. duodeviciens (in vv. IV graviore, in vv. XIV leniore interpunct.).

Caesurae semiseptenariae usus apud Theocritum propter magnam bucolicae incisionis frequentiam in universum quidem haud ita late patet. maior enim auctoritas caesurae post arsim pedis quarti in eis tantummodo esse potest versibus, qui bucolica caesura carent; nam finis vocabuli, qui

---

[1]) Cf. etiam Laur. Morsbachii 'De dialecto Theocritea' part. I, Bonnae 1874, p. 66.

cadit in arsim quartam, insequente incisione bucolica vix sentitur[1]). versuum autem, qui post pedem quartum incisionem non exhibent, pars maior caesura semiseptenaria instructa est. versus reliqui aut post arsim quintam aut post trochaeum pedis quinti inciduntur; quae incisiones interdum etiam semiseptenariam secuntur. sunt vero caesura semiseptenaria praediti: *a)* ex CCXXVIII carminum bucol. versibus caesura bucolica carentibus vv. CXV, *b)* ex CLXXXII eiusdem modi vv. carminum mimic. vv. CIV, *c)* ex DXXXIII vv. carminum epic. vv. CCLXXX, *d)* ex XCVI vv. carminum dub. vv. LIII.

Interpunctionibus autem caesura semiseptenaria rarius adiuvatur quam semiternaria, id quod cum ea re cohaerere videtur, quod Theocritus similiter atque Homerus[2]) in universum quidem saepius in priore quam in altera hexametri parte finire solet sententias[3]). interpungitur autem in caesura semiseptenaria: *a)* in cc. bucol. dudeviciens (ter gravius, quinquiens deciens lenius); *b)* in cc. mim. viciens semel (deciens gravius, undeciens lenius); *c)* in cc. epic. viciens sexiens (sexiens gravius, viciens lenius); *d)* in cc. dub. octiens (bis gravius, sexiens lenius).

Enumerandi vero hoc loco sunt ii versus, quorum verba et in semiternaria et in semiseptenaria caesura distinguuntur quique interdum ita sunt conformati, ut vocabulum semiternariam caesuram excipiens anaphora post semiseptenariam repetatur: *a)* VII 35 *ἀλλ' ἄγε δή — ξυνὰ γὰρ ὁδός, ξυνὰ δὲ καὶ ἀώς*, VIII 45; IX 17; *b)* XIV 16; XV 29; *c)* XVII 10; XXII 55; *d)* XX 6; XXVII 41.

In admittenda incisione post arsim quintam (quae est caes. seminovenaria) Theocritus ceteros poetas Alexandrinae, quae dicitur, aetatis[4]) secutus ea cautione usus est, ut vitaret illam antecedente incisione pedis quarti mascula, in primis in versibus semiquinaria quoque caesura praeditis. sed etiam in hexametris trochaica tertii pedis caesura divisis rarissime apud eum seminovenariam caesuram praecedit semiseptenaria. si enim discesseris a versibus, quorum arsis quarta articulo efficitur cum nomine insequente coniuncto (velut I 95 *καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα*) vel finali syllaba praepositionis substantivum suum antecedentis (velut VII 82 *κατὰ στόματος χέε νέκταρ*), sat pauci restant loci huc pertinentes. atque hi quoque maximam partem ita sunt comparati, ut alterutra ex caesuris

---

[1]) De hexametris, in quibus cum nulla insit incisio pedis tertii, caesurae primariae locum semiseptenaria obtinet, cf. p. 46.

[2]) Cf. Hartel. I 95.

[3]) In solis cc. bucolici generis sententiarum exitus saepius in alterum hemistichium (in sedem caesurae bucol.) cadere solet. ac similiter res se habet in edylliis dubiae orig.

[4]) Cf. G. Meyer l. c. p. 986 sqq.

illis vocabuli, quod antecedit, cohaerentia cum sequentibus debilitetur [1]. caesura vero semiquinaria duas illas, de quibus verba fiunt, incisiones masculas antecedit in versibus 22: *a)* VIII 91 *ὥτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο*; X 11; XI 45; *b)* II 16, 139; XIV 2, 25; XV 47, 55, 95, 101, 110; XVIII 42; *c)* XIII 39; XVI 2, 41; XVII 42; XXII 120; XXV 91; XXVI 29, 38; XII 8. semiternaria etiam incisione ex his hexametris instructi sunt versus: *a)* XI 45; *b)* XIV 25; XV 55, 101; *c)* XVII 42. interpunctione incisio seminovenaria septiens adiuvatur, sed in solis cc. mim.: XIV 11; XV 14, 18, 40, 53, 66, 144 (gravior extat interpunctio in vv. XV 14, 53, 66, in ceteris lenior).

Quod autem ad interpunctiones adtinet, quae non in caesuris, de quibus exposuimus, sed in aliis versus sedibus extant, memorandum est partem harum distinctionum maiorem in fine pedis primi extare, ubi non multo rarius interpungitur quam in caesura semiternaria. habent quidem hac in sede interpunctionem: *a)* in cc. bucol. vv. XLV (XIX graviorem, XXVI leniorem); *b)* in cc. mimic. vv. XLVII (XVIII graviorem, XXIX leniorem); *c)* in cc. epicis vv. LII (XVI graviorem, XXXVI leniorem); *d)* in cc. dub. orig. vv. VIII (I graviorem, VII leniorem). in ceteris versus sedibus sat raro distinguitur oratio, sed saepius, id quod iam supra dixi, in hemistichio priore. atque post arsim primam interpunctionem habent hi versus: *a)* IV 2; X 25; *b)* XV 89; *c)* XXII 178, 180; XXIV 101; XII 13; *d)* XXVII 43, 45; sed locis quinque (X 25; XXII 180; XII 13; XXVII 43, 45) elisione interpunctionis vis infringitur. aliquanto frequentiores sunt distinctiones post primi pedis trochaeum: *a)* I 97, 116, 145; V 81; VI 3; VII 93, 119; VIII 24; XI 54; *b)* II 164; XIV 47; *c)* XXII 68, 175, 181; XXIV 41, 53, 63, 97, 122, 124; XXV 20, 84, 243, 261; XII 11; *d)* XXIII 53 (elisione interpunctionis vis lenitur in vv.: I 116, 145; VII 119; II 164; XXIV 41). multo rarius interpungitur post trochaeum pedis alterius: *a)* IV 6; V 76, 110; *b)* XV 72; *c)* XXV 179. de versibus vero V 44, XIV 51, XXIII 42, qui in fine pedis alterius interpunctionem habent, iam p. 25 sq. exposuimus; in eandem hexametri sedem interpunctio Hauptii coniectura recepta etiam in v. XXI 38 infertur (*ὄψιν τὰν ἴδες, εἴγε θέλεις* ...). in fine pedis tertii in edylliis Theocriti genuinis numquam distinguitur oratio ac bis tantum in cc. dub.: XIX 7 et XXI 15; sed utroque loco interpunctio cum elisione convenit; et priore etiam antecedit

[1]) Huc referendi sunt versus hi; *a)* I 60 *μάλα πρόφρων ἀρεσαίμαν*, VIII 15, 67; IX 12; X 7, 20, 31; XI 7, 71, 78; *b)* XIV 11, 62; XV 29, 40, 53, 144; XVIII 14, 24, 25, 48; *c)* XIII 8, 72; XVI 29, 99, 102, 108; XVII 13, 25, 29, 46, 59, 79, 107, 112; XXII 62, 77, 116, 130, 137, 138, 173; XXIV 121; XXV 98, 177, 247, 268; XXVI 19; XII 3; epigr. X 3; *d)* XXI 34; XXIII 43, 62; XXVII 26, 45; epigr. XI 5.

interpunctio gravior in caesura trochaica pedis tertii posita. post trochaeum pedis quarti numquam reperitur interpunctio, nisi, si vocativum seiungimus distinguendi nota ab insequentibus, in c. XVIII. v. 15 [1]). etiam post priorem thesis quintae partem interdum interpungitur: *a)* V 30; *b)* XV 3, 60; *c)* XVII 66; XXV 211; *d)* XXI 4 (gravius in vv. XV 3, 60, lenius in cett. interpungitur). in fine denique pedis quinti interpunctio his tribus locis reperitur: *a)* I 77, VIII 51; *b)* XV 1. ac duobus prioribus, qui ex edylliis bucol. petiti sunt, locis sententiis a pede sexto incipientibus adlocutiones continentur nominibusque eorum, qui adpellantur, uterque versus finitur: I 77 *ἦνθ' Ἑρμῆς πράτιστος ἀπ' ὤρεος, εἶπε δέ· Δάφνι | τίς τυ κατατρύχει . . .*; VIII 51 *ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος, ἴθ' ὦ καλὲ καὶ λέγε· Μίλων, | ὁ Πρωτεὺς φώκας . . .*; in versu autem XV 1 in pede sexto eadem vox, a qua versus incipit, repetitur: (Gorgo:) *Ἔνδοι Πραξινόα;* (Praxinoa:) *Γοργοῖ φίλα, ὡς χρόνῳ. ἔνδοι.*

Restat ut agam de incisione pedis quarti trochaica. hanc quidem ab omnibus melioribus Graecorum poetis vitatam esse iam G. Hermann (De aet. script. Argon. p. 692) recte animadvertit. apud Latinos autem poetas vel apud optimos eadem caesura satis frequens est [2]). quod discrimen, cum inter Graecorum et Romanorum artem intercedat, ipsum veram causam nobis indicare videtur, qua permoti poetae Graeci incisionem illam fugerint. revocamur enim hoc discrimine ad caesuras, quibus incidi solet versus heroicus in pede tertio; quarum caesurarum usu quantum differant poetae Latini a Graecis satis notum est. apud illos quidem cum longe frequentissima esset caesura semiquinaria, incisio post pedis quarti trochaeum nullam habebat offensionem. prorsus alia autem res est, si iam in pede versus tertio trochaica inest caesura; atque haec iam in Homero paulo frequentior quam semiquinaria temporum successu magis magisque apud Graecos obtinuit. in hexametris vero hac caesura divisis admissa etiam post trochaeum pedis quarti incisione 'numerorum vis ac robur', ut cum Hermanno loquar, 'nimis debilitatur'. atque inde illud poetarum Graecorum caesurae quarti pedis trochaicae vitandae studium, quod paulatim etiam in versibus caesura semiquinaria distinctis obtinuit, satis commode potest explicari.

Theocritus et ipse incisionem, de qua agitur, sat religiose vitavit. saepissime enim apud eum, si vocabuli finis cum trochaeo quarto convenit, altera pars thesis quartae vocula monosyllaba efficitur. atque haec locis plurimis est enclitica vel una ex particulis *μέν, δέ, γάρ* cum eis, quae praecedunt, artissime conexa, ita quidem, ut incisio post quartum trochaeum

---

[1]) Sed cf. quae Bekker, qui eius modi interpunctiones reicit, exposuit l. c. 269 sq.

[2]) Cf. Luc. Muelleri 'De re metr'. p. 191 sq.

nulla sit, velut I 53 *σχοίνῳ ἐφαρμόσδων· μέλεται δέ οἱ οὔτε τι πήρας*[1]). similiter vox monosyllaba, qua finitur pes quartus, etsi non est enclitica, tamen cum praegressis arte coniuncta est his in versibus: *a)* IX 5 *ἐμὶν δὲ τὺ βουκολιάζεν*; *b)* XIV 64 *αἰτεῖν δὲ δεῖ οὐκ ἐπὶ παντί,* 70 *ποιεῖν τι δεῖ, ἄς γόνυ χλωρόν,* XV 25 *καὶ ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι*; *c)* XXVI 15 *μαίνοντο δ' ἄρ' εὐθὺ καὶ ἄλλαι*; *d)* XXIII 3 *καὶ οὐδὲ ἓν ἅμερον εἶχε.*

Altera pars versuum, in quibus pedis quarti trochaeo vocabulum finitur, ita comparata est, ut prior syllaba brevis pedis quarti vocula monosyllaba a sequentibus non dirimenda efficiatur, velut articulo: *a)* VIII 86 *δωσῶ τὰ δίδακτρά τοι αἶγα,* ibid. 87; *b)* II 64; XV 31, 55, 58, 69; *c)* XXVI 38; aut vocula *καί*: II 101 *καλεῖ, καὶ ὑφαγέο τᾷδε,* XXVI 35. nonnumquam cohaerentia illa antecedente interpunctione in caesura semiseptenaria adiuvatur: *b)* XIV 2 *χρόνιος; τί δέ τοι τὸ μέλημα;* 21 *παρέοντος ἐμεῦ. τίν' ἔχειν με δοκεῖς νοῦν;* XVIII 38 *κόρα, τὺ μὲν οἰκέτις ἤδη*; *c)* XVII 63 *μελῶν· ὁ δὲ πατρὶ ἐοικώς,* 118 *μένει· τὰ δὲ μυρία τῆνα.* similis est ratio versus XV 117 *ὅσσα τ' ἀπὸ γλυκερῶ μέλιτος τά τ' ἐν ὑγρῷ ἐλαίῳ,* ubi post vocabulum *μέλιτος,* quamquam non interpungitur, tamen in recitando vox aliquantum retinenda est. itaque quattuor tantum restant versus huc pertinentes: *a)* VIII 10 *οὔποτε νικασεῖς μ', οὐδ' εἴ τι πάθοις τύγ' ἀείδων* (codd. p et k *εἰ παθέοις* exhibent. M. Schmidt in Mus. Rhen. vol. XXVI 177 scribendum esse coniecit *οὔποτε νικασεῖς μ', οὐ δῆτ', ἀθεεὶ τύ γ' ἀείδων,* quod minus probabile esse videtur), X 27 *ἰσχνάν, ἁλιόκαυστον, ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον*; *b)* XVII 15 *κεὶς ἔτος ἐξ ἔτεος Μενέλαε τεὰ νυὸς ἅδε*; *c)* XXIV 102 *Τειρεσίας πολλοῖσι βαρύς περ ἐὼν ἐνιαυτοῖς.* his in hexametris omnibus observare licet caesuram, de qua sermo est, voce excipi bisyllaba, ita quidem, ut efficiatur caesura post arsim quintam (seminovenaria), quam rem, cum festinemus in recitandis huius modi versibus a caesura pedis tertii ad caesuram illam seminovenariam neque fieri patiamur caesuram post quarti pedis trochaeum, excusationi esse versibus, in quibus vocabuli exitus cum quarto trochaeo convenit, iam G. Hermann intellexit[2]). ceterum quin verba *εἴ τι πάθοις, ἐγὼ δὲ μόνος, βαρύς περ ἐών* ipsa tam arte cohaereant,

---

[1]) Cetera exempla sunt: *a)* I 56, 151; III 16, 36; IV 2, 30, 54, 60; V 89, 105, 123, 135, 148; VI 28, 36; VII 20, 38, 60, 66, 100; IX 16, 20, 32; X 53; XI 3, 11, 33, 40, 56, 69; *b)* II 34, 72, 98, 103, 138, 145, 157; XIV 15, 22, 27, 50, 56; XV 148; *c)* XIII 51; XVI 106; XVII 66, 75, 91, 93, 137; XXII 33, 59, 132, 158, 162, 176, 210, 215, 220; XXIV 1, 38; XXV 37, 43, 60, 64, 97, 115, 138, 147, 172, 180, 193, 195, 202, 215, 269; XII 23; *d)* XX 1, 9; XXIII 45; XXVII 43, 69.

[2]) De aetate script. Argon. p. 693, ubi hunc in modum excusat versum Hom. Z 2 *πολλὰ δ' ἄρ' ἔνθα καὶ ἔνθ' ἴθυσε μάχη πεδίοιο*; cf. etiam Hoffmanni 'Quaestt. Homer'. p. 26.

ut nulla fere in eis incisio sentiatur, dubitari nequit. aliter sane res se habet in c. XVIII. v. 15, ubi trochaeo quarto vocativus finitur; atque hac re permotus esse videtur Meineke, ut scribendum esse coniceret *Μενέλα, τεὰ ἁ νυὸς ἅδε,* quam coniecturam Ahrens recepit. sed Meineke ipse in tertia carminum Theocriteorum editione codicum scripturam retinuit, ad quam etiam recentiores redierunt editores. ac profecto, cum etiam ex nomine proprio hoc loco peti possit aliquid excusationis, coniectura illa supervacanea esse videtur.

Quoniam ex eis, quae exposui, adparet Theocritum in universum magna cum diligentia incisionem pedis quarti trochaicam vitasse, nullo pacto probari posse coniecturas, quibus caesura illa in versus Theocriteos inferatur, consentaneum est. id vero cadit in Wordsworthii coniecturam, qui v. X 38, ut tolleret spondeum ante caesuram bucolicam, scribendum esse censuit *ἐλελήθη ὁ βοῦκος (βῶκος) ἀοιδάς*. idem valet de Gerhardi sententia[1]), qua suasit, ut in v. XXII 88 pro librorum scriptura *τοῦ δ' ἄκρον τύψε γένειον* restitueretur *τοῦ δ' ἄκρον ἔτυψε γένειον,* et de coniectura in v. XXV 180 ab Ahrensio proposita, qui pro lectione vulgata *ἐγὼ δέ σε φράζομαι ὀρθῶς,* cum libros *φρίζομαι* vel *φρίξομαι* exhibere et in cod. m voculam *σε* omissam esse vidisset, in edit. min. poetarum bucol. Graec. *ἐγὼ δὲ σοφίζομαι ὀρθῶς* scripsit.

---

[1]) Cf. Lectt. Apollon. p. 151.

CAPUT TERTIUM.

In producendis et corripiendis vocalibus ante mutam cum liquida positis quas rationes secutus sit Theocritus?

Mutae ita cum liquida coniunctae, ut haec illam excipiat, quae sit in re metrica in universum ratio, pluribus ut exponam, opus esse non videtur. satis enim constat vocales breves, quae has consonas antecedunt, non eodem modo produci ac si duae pluresve mutae vel duae liquidae illas excipiant vel liquida insequente muta. quam ob rem syllabae illae iure ancipites vocantur. qua ratione autem fiat, ut vocalis brevis, quae mutam cum liquida antecedit, modo producatur modo brevis maneat, quodque discrimen intercedat inter mutam cum liquida et alias consonarum iuncturas ab Hartelio luculentissime explicatum est[1].

Sed non easdem omnibus temporibus in producendis vocalibus ante mutam c. l. positis poetae observarunt leges. apud Homerum quidem aliosque epici carminis scriptores aetatis superioris Attica, quam dicunt, correptio adeo raro invenitur, ut, ubicumque fieri id potuit, summa cum cura eam vitatam esse contendere liceat. restringitur enim saepius ea admissa spondeorum usus totaque versus heroici gravitas valde imminuitur; haec autem ut servaretur, poetae illi diligenter elaborasse videntur. in carminibus vero versu heroico conscriptis, quae inferioribus orta sunt temporibus, magna hac in re observari potest immutatio. correptiones enim Atticae magis magisque increbrescunt ac suo iure G. Hermann 'vix ullum certius recentioris aetatis esse indicium' adfirmat, 'quam quod e crebro harum correptionum usu depromatur'[2]. neque tamen hunc frequentiorem correptionis Atticae usum cum Hermanno barbariem[3]) equidem adpellem. nam praeterquam quod ipsa linguae natura procedente tempore non eadem mansit, reputes quaeso inde

---

[1]) Cf. l. c. I p. 45 sq., 85.

[2]) De aetate script. Argon. p. 755.

[3]) Cf. ibid. p. 761.

a Callimacho poetas, qui versu heroico utebantur, numerorum volubilitatem magna cum diligentia adfectasse[1]; atque cum hac re etiam correptionis Atticae frequentiam auctam arte cohaerere vix poterit negari.

Sed iam, quo modo Theocritus vocalibus brevibus ante mutam c. l. positis usus sit, videamus. primum autem mentio facienda videtur legis illius certissimae, productionem vocalis brevis ante mutam c. l. fortiorem esse in voce media quam in confinio vocabulorum[2]. huius enim legis nobis quoque in distribuenda et tractanda materia proposita habenda est ratio. priore igitur huius capitis parte (I), quae sit apud Theocritum vis mutae c. l., a quibus vocabula initium capiunt, explicare conabor, deinde (II) agam de muta c. l., quae sedem tenent in vocabulis mediis.

I.

Quanto opere imminutum sit apud Theocritum pondus, quod proprium est mutae c. l. in Homeri carminibus, iam ex usu huius consonarum iuncturae in vocum initio cognosci potest; ac praecipue ex usu brevium vocalium finalium, quae insequente muta c. l. in thesi sunt positae, illud elucebit. multum enim interest, utrum accedente versus ictu vocales ante mutam c. l. producantur, an in sede ictu destituta; multae certe syllabae, quae in arsi producuntur, corripiuntur in thesi. ac priore loco (A) de productionibus in arsi exponere mihi in animo est; parte altera (B), quam rationem Theocritus in producendis corripiendisque syllabis finalibus in thesi ante mutam c. l. positis secutus sit, explicabo.

A.

Theocritus, quamquam similiter atque ceteri poetae in producendis syllabis ante mutam c. l. in arsi positis multo liberius versatus est quam in producendis isdem syllabis in thesi conlocatis, tamen illa quoque in re certas quasdam secutus est leges[3].

---

[1] Cf. p. 18.

[2] Cf. Hartelium l. c. I 80 sq.

[3] Hae ut accuratius possint perspici, locos huc pertinentes, quos Theocriti carmina perscrutatus inveni, omnes proponam necesse est. qua in re eam sequar rationem, ut exempla productionis, de qua agitur, per singulas versus sedes digeram variis carminum generibus respectis. atque inveniuntur hae productiones: 1. in arsi prima: *a)* I 41 *ὁ πρέσβυς*, V 11 *τὸ Κροκύλος μοι ἔδωκε*, 71 *τὸ πλέον*, VIII 52 (pentam.) *ὁ Πρωτεύς*; *b)* XV 86 *ὁ τριφίλητος*; *c)* XVII 11 *τί πρῶτον*, XXV 24 *τὸ τρίτον*. — 2. in arsi altera: *a)* I 39 *τοῖς δὲ μέτα γριπεύς*, 83 *ἀνὰ κράνας*, 117 *ἀνὰ δρυμώς*, IV 3 *ἦ πά ψε κρύβδαν*, 31 *τὰ Γλαύκας*, V 53 *στασῶ δὲ κρητῆρα*, 69 *ἐν χάριτι κρίνῃς*, 90 *ὁ Κρατίδας*, 95 *ἀπὸ πρίνοιο*, 150 *αἰ μή τυ φλάσσαιμι*, VI 18 *ἀπὸ γραμμᾶς*, VII 11 *τὸ Βρασίλα*,

Quod si de singulis consonis liquidis quaeris, in quot quaeque earum reperiatur exemplis, inspicias hanc tabulam:

liquidae	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. ep.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in. cc. dub.
λ	16	6	17	39	3
μ	—	—	1 (v. XXIV 50)	1	—
ν	2	1	4	7	1
ϱ	37	12	50	99	8
	55	19	72	146	12

In ea autem re, quod numerus locorum, quibus ϱ liquida legitur, multo superat aliorum exemplorum summam ac praecipue eorum, quae habent liquidas μ et ν, mihi quidem haud quicquam memorabile videtur inesse; immo vero indoli ipsius linguae Graecae, in qua id genus vocabulorum, quae incipiunt a muta cum ϱ vel λ coniuncta, multo maior est copia quam eorum, quae a muta cum μ vel ν liquidis initium capiunt, illud imputandum esse existimo. simile enim discrimen atque in his exemplis distribuendis etiam paulo infra observabimus, ubi de locis agemus, quibus breves vocales finales mutam c. l. antecedentes manent integrae. sunt vero aliae rationes, quas observasse Theocritum, si accuratius rem inspexeris,

18 *ζωστῆϱι πλακεϱῷ*, 25 *λανὸν ἔπι ϑϱώσκεις*, 114 *πέτϱᾳ ὕπο Βλεμύων*, IX 19 *ἐν πυϱὶ δὲ δϱυΐνῳ*, 30 *μή πω ἐπὶ γλώσσας*; *b)* II 113 *ἐπὶ κλιντῆϱι*, XIV 18 *ἤδη δὲ πϱοϊόντος*, 53 *οὐκ οἶδα· πλάν*, XV 38 *κατὰ γνώμαν*, 117 *ἀπὸ γλυκεϱῶ*, 141 *ἔτι πϱότεϱον*; *c)* XIII 16 *τὸ χϱύσειον*, XVI 4 *ἄμμες δὲ βϱοτοί*, 88 *ἄστεά τε πϱοτέϱοισι*, XVII 76 *πολλᾶς δὲ κϱατέει*, 84 *δοιαὶ δὲ τϱιάδες*, 121 *μοῦνος δὲ πϱοτέϱων*, 132 *οὖς τέκετο κϱείουσα*, XXII 27 *ἡ μὲν ἄϱα πϱοφυγοῦσα*, 41 *λεῦκαί τε πλάτανοί τε*, 98 *ἔστη δὲ πληγαῖς*, 120 *ἀπὸ πϱοβολῆς*, 131 *τὸ μὲν ἄϱα κϱατέων πεϱ*, 148 *πολὺ πϱοτέϱοις*, 198 *ὁ δὲ πληγείς*, 213 *αὐτοί τε κϱατέοντε*, XXIV 7 *ἐμὰ βϱέφεα*, 15 *ἐπὶ πλατύν*, 50 *ἄνστατε δμῶες*, 52 *οἱ δ' αἶψα πϱογένοντο*, 125 *δούϱατι δὲ πϱοβολαίῳ*, 137 *δεῖπνον δὲ κϱέα*, XXV 20 *ὅϑι πλατάνιστοι*, 123 *αἰεὶ δὲ πλέονες*, 138 *τῶν μέν τε πϱοφέϱεσκε*, 159 *τῇ μιν ἄϱα πϱοσέειπε*, 226 *στήϑεά τε, γλώσσῃ δέ*, 239 *ἀλλ' ἔπεσε πϱοπάϱοιϑε* (quo loco *ν* paragogica potest inseri), epigr. I 1 *τὰ δϱοσόεντα*; *d)* XXIII 30 *τὸ κϱίνον*, 59 *ἀπὸ κϱηπῖδος*, XXVII 49 *μᾶλα τεὰ πϱάτιστα*. — 3. in arsi tertia: *a)* III 16 *ἐϑήλαζε, δϱυμῷ*, VIII 54 (pent.) *μηδὲ πϱόσϑε*, X 32 *ὅσσα Κϱοῖσον*; *b)* v. XV 101 lectio quidem vulgata est *Ἔϱυκα, χϱυσῷ* . . ., sed recte se habere videtur scriptura codicum notae optimae (k et h) *Ἐϱύκαν*, quam Ziegler Ahrensium (in edit. I.) secutus recepit, cf. quae exposuit Fritzsche ad h. v., XVIII 52 *Ζεὺς δέ, Κϱονίδας*; *c)* XIII 3 *καλὰ πϱάτοις*, XVI 23 *οὐχ ἅδε πλούτου*, 65 *αἰεὶ δὲ πλεόνων*, 68 *ὅτινι ϑνατῶν*, XXII 211 *αὐτὸν δὲ φλογέῳ*, XXIV 7 *βϱέφεα γλυκεϱόν*, XXV 236 *ὅ μοι ὁ πϱίν*. — 4. in arsi quarta: *a)* I 20 *ἐπὶ τὸ πλέον* 24 *ποτὶ Χϱόμιν*, 28 *ἔτι γλυφάνοιο*, 60 *μάλα πϱόφϱων*, 101 *Κύπϱι ϑνατοῖσιν*,

luce fit clarius. ac primum satis patet non eandem in omnibus versus sedibus esse productionum frequentiam. distribuuntur enim eae, ut sub uno aspectu rem ponamus, inter singulas arses hac ratione:

arses	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. ep.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in cc. dub.
I arsis	4	1	2	7	—
II „	17	6	28	51	3
III „	3	1	7	11	—
IV „	28	11	28	67	8
V „	3	—	6	9	—
VI „	—	—	1	1	1
	55	19	72	146	12

Duae igitur arses, secundam dico et quartam, praecipue aptae videbantur Theocrito, in quibus vocales breves finales insequente muta c. l. producerentur. in isdem arsibus etiam poetae, qui vel severioribus sese adstrinxerunt legibus, productiones, quas tractamus, saepissime admiserunt. sic apud Callimachum (qui in arsi quinta numquam brevem vocalem finalem ante mutam c. l. produxit, in arsi tertia semel in nomine proprio *Ἐλευσῖνι* h. VI 31, in sede sexta numquam nisi bis in verbis *ἐπὶ δρῦν* h. III 120 sq.) in arsi pedis alterius ter et triciens, in arsi quarta septiens

---

150 *ἐπὶ κράναισι*, 152 *μὴ ὁ τράγος*, III 47 *ἐπὶ πλέον*, 54 *κατὰ βρόχθοιο*, V 30 *ὁ τράγος*, 42 = 30, 80 *πολὺ πλέον*, 132 *ὅτι με πρᾶν*, VI 3 *ἐπὶ κράναν*, 13 *ἐπὶ κνάμαισιν*, 14 *κατὰ δὲ χρόα*, VII 5 *ἀπὸ Κλυτίας*, 65 *ἀπὸ κρατῆρος*, 88 *ὑπὸ δρυσίν*, 93 *ἐπὶ θρόνον*, 101 *παρὰ τριπόδεσσι*, 107 *ὑπὸ πλευράς*, 108 *ὅτε κρέα*, 122 *ἐπὶ προθύροισιν*, 135 *κατὰ κρατός*, 144 *παρὰ πλευραῖσι*, VIII 17 = I 20, XI 57 *ἐρυθρὰ πλαταγώνι' ἔχοισαν*; *b)* II 26 *ἐνὶ φλογί*, 59 *τὰ θρόνα*, 70 *Θρᾷσσα τροφός*, 79 = V 80, 92 *ὁ δὲ χρόνος*, XIV 68 *ἀπὸ κροτάφων*, XV 85 = XIV 68, 112 *ὅσα δρυός*, 115 *ἐπὶ πλαθάνῳ*, 132 *ἅμα δρόσῳ*, 140 *ἀπὸ Τροίας*; *c)* XIII 39 *τάχα δὲ κράναν*, 40 *περὶ δὲ θρύα*, XVI 49 *ἀπὸ χροιᾶς*, 61 *μετὰ γλαυκᾶς*, 72 *ἔτι τροχόν*, 75 *ὅθι Φρυγός*, XVII 3 *ἐνὶ πρώτοισι*, 14 *ὅτε φρεσίν*, 40 = V 80, 59 *ὅτε πρώταν*, 73 *Διὶ Κρονίωνι*, XXII 4 *τὸ τρίτον*, XXIV 31 *ὑπὸ τροφῷ*, 70 *κατὰ κλωστῆρος*, 71 *μάλα σε φρονέοντα*, 121 *φίλα φρονέων*, XXV 46 *διὰ δὲ κρίνουσι*, 53 *αἶψα χρέος*, 91 *ἠὲ Θρῃκός*, 93 *μετὰ προτέροισι*, 136 *κατὰ χροός*, 155 *ὅθι πρώτιστα*, 163 *ἐνὶ φρεσί*, 177 *ἵνα γνώω*, 259 *ἐπὶ τρομεροῖς*, 276 *ἐπὶ φρεσί*, XXVI 19 *τάχα γνώσῃ*, XII 12 = XXV 93; *d)* XX 23 *περὶ κροτάφοισι*, XXI 7 *ὑπὸ πλεκταῖς*, XXIII 2 *τὸν δὲ τρόπον*, 28 *καὶ ὁ χρόνος*, XXVII 27 *τίνα τρομέουσι*, 49 *τάδε χνοάοντα*, epigr. VI 1 et 5 = I 20. — 5. in arsi quinta: *a)* III 29 *τὸ πλατάγημα*, VIII 46 (pent.) *τὰ νέα τρέφεται*, 90 *ἀνετράπετο φρένα*; *c)* XVI 99 *καὶ ὅθι πλατὺ τεῖχος*, XXII 89 *ὀρίνθη δὲ πλέον ἢ πρίν*, 100 *στόμα τε γναθμούς τε*, XXV 32 *ἐποιχόμεθα πρόπαν ἦμαρ*, 90 *ἐλαυνόμενα προτέρωσε*, 98 *ῥεῖα πλήσθησαν*. — 6. in arsi denique sexta duo eius modi loci in censum veniunt: *c)* XXII 171 *ποθεῖ, αἵματι δὲ χρή* et *d)* XXIII 13 *φεῦγε δ' ἀπὸ χρώς*.

et quinquagiens hunc in modum breves syllabae finales producuntur[1]). atque ipse Nonnus, quem ex arsibus tertia, quinta, sexta huius modi productiones prorsus expulisse Scheindler demonstravit[2]), in pedibus altero et quarto frequentissime in vocum confinio syllabam brevem ante mutam c. l. produxit. apud Theocritum vero vocalem brevem in exitu vocabuli conlocatam, etiamsi duabus consonis mutis insequentibus producatur, semper fere in arsi aut altera aut quarta reperiri infra videbimus. explicanda autem inde ea res esse videtur, quod inter voces, quae antecedunt vel secuntur primariam versus heroici caesuram, saepissime artum vinculum syntacticum intercedit. qua de re infra plura exponam.

In productionibus autem, quas adtuli, rarissime vocalis producta in arsi sexta posita est. in edylliis quidem bucol. et mim. numquam, in epicis non saepius quam semel: XXII 171; accedit ex cc. dub. v. XXIII 13. utroque loco caesura bucol. antecedit interpunctione adiuta; atque priore producitur vocula *δέ* (*αἵματι δὲ χρή*), quam in eadem versus sede et Homerus et alii similiter usurparunt; cf. Hom. *Ψ* 228 *παύσατο δὲ φλόξ*, Hes. Op. 232 *οὔρεσι δὲ δρῦς*. animum autem poetae, qui c. XXIII. condidit, cum scriberet v. 13 *τᾷ δὲ χολᾷ τὸ πρόσωπον ἀμείβετο, φεῦγε δ' ἀπὸ χρώς*, subiise videtur memoria versuum, qualis est Hom. *τ* 204, ubi in eadem sede vocalis brevis sequente voce *χρώς* producitur: *τῆς δ' ἄρ' ἀκουούσης ῥέε δάκρυα, τήκετο δὲ χρώς* vel P 733 *τῶν δὲ τράπετο χρώς*. in arsi prima, quae in universum VII productiones exhibet, sexiens articuli formas *ὁ* vel *τό* (quarum haec semel pronominis vice fungitur: V 11 *τὸ Κροκύλος μοι ἔδωκε*) productas reperimus, semel pronom. *τί* in verbis *τί πρῶτον καταλέξω*, cf. Hom. *ι* 14 *τί πρῶτόν τοι ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω*. sat pauca exempla etiam in arsibus tertia et quinta extant; sed horum quae sit natura, ut accuratius possit perspici, etiam alias rationes, quibus in his productionibus admittendis ductum esse Theocritum adparet, respiciamus necesse est.

Exempla vero productionum supra adlata si oculis perlustraveris, non fugiet te pleraque eorum ita esse comparata, ut vox a muta c. l. incipiens cum vocabulo praecedente, cuius in exitu vocalis brevis producatur, vinculo syntactico artissime copulata sit. haec eadem lex quantum valeat apud Homerum in similibus productionibus non solum ante mutam c. l., sed etiam ante solas consonas liquidas, acute demonstratur ab Hartelio l. c. I, p. 10, 79 sqq., 85 sqq., 88 sqq. apud Theocritum quidem ex omnibus locis huc pertinentibus tres tantum (III 16, XIV 53, XVIII 52) ante vocabulum a

---

[1]) Cf. Benek. l. c. p. 42.

[2]) Quaest. Nonn. I 15 sqq.

muta c. l. initium capiens interpunctionem habent; contra semper fere inter vocabula, quorum in confinio vocalis brevis producitur, arta intercedit cohaerentia. sic locis XLII vocalis in fine praepositionis posita ante substantivum cum praepositione illa conexum producitur; sunt quidem vocales finales harum praepositionum: *ἀπό*: *a*) V 95; VI 18; VII 5, 65; *b*) XIV 68; XV 85, 117, 140; *c*) XXII 120; *d*) XXIII 59; *ἀνά*: *a*) I 83, 117; *ἐνί*: *b*) II 26; *c*) XVII 3; XXV 163; *ἐπί*: *a*) I 150; III 47; VI 3, 13; VII 93, 122; IX 30; *b*) II 113; XV 115; *c*) XXIV 15; XXV 259, 276; *κατά*: *a*) VII 135; *b*) XV 38; *c*) XXIV 70; XXV 136; *μετά*: *c*) XVI 61; XXV 93; XII 12; *παρά*: *a*) VII 101, 144; *περί*: *d*) XX 23; *ποτί*: *a*) I 24; *ὑπό*: *a*) VII 88, 107; *c*) XXIV 31; *d*) XXI 7. memorandum est plus tres partes harum productionum extare in arsi quarta; haec enim aptissima, in qua praepositionum vocales finales producerentur, etiam ea de causa esse videbatur, quod Theocritus in universum elaboravit, ut ea, quibus expleretur spatium inter caesuram pedis tertii et bucol., quasi in unum coalescerent[1]). deinde haud raro articuli substantivum suum praecedentis formae in brevem vocalem desinentes producuntur: *ὁ*: *a*) I 41 *ὁ πρέσβυς*, 152 *ὁ τράγος*, V 30 id., 42 id., 90 *ὁ Κρατίδας*, VIII 52 *ὁ Πρωτεύς*; *b*) XV 86 *ὁ τριφίλητος*; *c*) XXV 236 *ὁ πρίν*; *d*) XXIII 28 *ὁ χρόνος*; *τά*: *a*) IV 31 *τὰ Γλαύκας*, epigr. I 1 *τὰ δροσόεντα*; *b*) II 59 *τὰ θρόνα*; *τό*: *a*) I 20 *τὸ πλέον*, V 11 *τὸ Κροκύλος*, 71 = I 20, VII 11 *τὸ Βρασίλα*, VIII 17 = I 20; *c*) XIII 16 *τὸ χρύσειον*, XXII 4 *τὸ τρίτον*, XXV 240 id.; *d*) XXIII 30 *τὸ κρίνον*, epigr. VI 1 et 5 = I 20. huc accedunt loci, quibus substantiva cum adiectivis reperiuntur coniuncta, velut: *a*) VII 18 *ζωστῆρι πλακερῷ*, XI 57 *ἐρυθρὰ πλαταγώνι' ἔχοισαν*; *b*) II 70 *Θρᾷσσα τροφός*; *c*) XVII 73 *Διὶ Κρονίωνι* (cf. Hom. *B* 102, *E* 869, 906 cett.), XXIV 7 *ἐμὰ βρέφεα*.

Eodem modo aut adverbii syllaba ultima ante verbum cum eo conexum reperitur producta aut vocabulis inverso ordine conlocatis ultima verbi syllaba ante adverbium a muta c. l. incipiens: XXIV 52 *αἶψα προγένοντο*, ac similiter XXV 53 *αἶψα χρέος ἐκτετέλεσται* dicitur, XXV 98 *ῥεῖα πλῆσθησαν* (cf. formulam Hom. *θεοὶ ῥεῖα ζώοντες* Z 138, *δ* 805, *ε* 122), XXII 27 *ἄρα προφυγοῦσα*, 131 *ἄρα κρατέων*, XXV 159 *ἄρα προσέειπε*, ibid. 90 *ἐλαυνόμενα προτέρωσε*, quo loco etiam forma rhythmica vocabuli *ἐλαυνόμενα* (⏑ – ⏑ ⏑ ⏑), quod nisi producta syllaba ultima in versu heroico usurpari nequit, in censum venit (in v. XXV 239 *ἔπεσε προπάροιθε* positionem debilem inserta *ν* paragogica fortiorem effici posse iam diximus). deinde huc pertinent V 69 *ἐν χάριτι κρίνης*, XXIV 121 *φίλα φρονέων*, XXV 32 *ἐποιχόμεθα πρόπαν ἦμαρ*, ubi *φίλα*, *ἐν χάριτι*, *πρόπαν*

[1]) Cf. p. 28.

ἦμαρ adverbiorum instar sunt usurpata; ceterum de vocabulis χάριτι (‿‿‿) et ἐποιχόμεθα (‿—‿‿) idem valet, quod dixi de voce ἐλαυνόμενα. etiam adverbium ἅμα in v. XV 132 ἅμα δρόσῳ cum voce insequente artissime coniunctum est.

Simili ratione coniunctionum cum sequentibus cohaerentium vocales finales producuntur, veluti in: ὅθι: XVI 75 ὅθι Φρυγός, 99 ὅθι πλατὺ τεῖχος, XXV 20 ὅθι πλατάνιστοι, 155 ὅθι πρώτιστα; ὅτε: VII 108 ὅτε κρέα, XVII 14 ὅτε φρεσίν, 59 ὅτε πρώταν; ἵνα: XXV 177 ἵνα γνώω. huc accedunt pronomina relativa et interrogativa: XV 112 ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται, XVII 11 τί πρῶτον, ex cc. dub. XXVII 27 τίνα τρομέουσι. in vv. X 32 ὅσσα Κροῖσον et XVI 68 ὅτινι θνατῶν inter pronomen et vocem sequentem, si omnino scripturae illae genuinae sunt (priore enim loco, quo lectionem vulg. Toup restituit, libri manu scr. varias praebent scripturas; altero autem codd. k et p δ' ὥτινι exhibent, m δ' ᾧγε, Brunck voluit δ' ᾧ κεν, lectio δ' ὅτινι extat in ed. Iunt.), caesura pedis tertii intercedit. etiam voculae ἔτι et ἠέ, quorum syllabae finales eodem modo producuntur, cum sequentibus arte cohaerent: ἔτι: I 28 ἔτι γλυφάνοιο, XV 141 ἔτι πρότερον, XVI 72 ἔτι τροχόν; ἠέ: XXV 91 ἠὲ Θρηκός βορέαο (cf. Hom. Θ 349 ἠὲ βροτολοιγοῦ Ἄρ., Λ 220 ἠὲ κλειτῶν ἐπικ. al.)

Praeterea ut in Homeri[1]) aliorumque poetarum carminibus, ita apud Theocritum saepe particulae δέ et τέ ante voces a muta c. l. incipientes producuntur. vocula quidem δέ viciens quater (sexiens deciens in edylliis ep.) reperitur in arsi insequente muta c. l. producta: *a*) V 53; VI 14; VIII 54 (in vocabulo compos. μηδέ); IX 19; *b*) II 92; XIV 18; XVIII 52; *c*) XIII 39, 40; XVI 4, 23 (ἅδε), 65; XVII 76, 84, 121; XXII 89, 98, 171, 198, 211; XXIV 125, 137; XXV 46; *d*) XXVII 49. vocula enclitica τέ sexiens producitur eaque semper in cc. epicis, quinquiens in arsi altera: XVI 88; XXII 41, 213; XXV 138, 226, semel in arsi quinta: XXII 100. similiter formae monosyllabae pronominum personalium quater usurpantur, bis quidem in arsi altera: IV 3. ἦ πᾴ ψε κρύβδαν, V 150 αἰ μή τυ φλάσσαιμι, bis in quarta: V 132 ὅτι με πρᾶν, XXIV 71 μάλα σε φρονέοντα.

Itaque ex omnibus productionibus, quas supra contulimus, sat paucae restant, quae rationibus propositis explicari nequeant. reperiuntur illae his in versibus: *a*) I 39 τοῖς δὲ μέτα γριπεύς τε γέρων πέτρα τε τέτυκται, ibid. 101 Κύπρι νεμεσσατά, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής, III 16 μαζὸν ἐθήλαζε(ν), δρυμῷ τέ νιν ἔτρεφε μάτηρ, VII 25 λανὸν ἔπι θρώσκεις; ὥς τοι ποσὶ νισσομένοιο, 114 πέτρᾳ ὕπο Βλεμύων, ὅθεν οὐκέτι Νεῖλος ὁρατός,

---

[1]) Cf. Hartel. l. c. I 10 et 80.

VIII 46 (pent.) *οὔθατα πλήθουσιν, καὶ τὰ νεὰ τρέφεται,* 90 *ὣς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ;* b) XIV 53 *οὐκ οἶδα. πλὰν Σῖμος ὁ τᾶς Ἐπιχάλκω ἐρασθείς;* c) XIII 3 *οὐχ ἁμῖν τὰ καλὰ πράτοις καλὰ φαίνεται εἶμεν,* XVII 132 *οὓς τέκετο κρείουσα Ῥέα βασιλῆας Ὀλύμπου,* XXIV 7 *εὕδετ' ἐμὰ βρέφεα γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον,* 50 *ἄνστατε δμῶες ταλασίφρονες. αὐτὸς ἀντεῖ;* d) XXVII 49 *μᾶλα τεὰ πράτιστα τάδε χνοάοντα διδάξω.*

Primum igitur videamus, quid de locis I 39, VII 25, 114 statuendum sit. producuntur his quidem praepositionum syllabae ultimae, sed praepositiones ipsae pertinent ad ea, quae praecedunt. extant autem haec exempla omnia in arsi altera, ubi praepositionum substantiva sua praecedentium syllabas ultimas frequenter produci supra vidimus. qua de causa, quamquam exemplorum, de quibus agitur, non prorsus eadem est condicio, tamen haud erraturum me esse puto, si Theocritum analogia, quam dicunt, ductum haec sibi contra disciplinae rationem modo inlustratam concessisse statuerim; cf. Hom. *T* 10 *τύνη δ' Ἡφαίστοιο πάρα κλυτὰ τεύχεα δέξο,* simill. ceterum praepositiones his locis cum substantivis praegressis ita cohaerent, ut quasi unam vocem cum eis efficiant; atque in vocalibus finalibus in arsi producendis omnes poetae vocibus in initio hexametri positis maiore cum licentia utebantur[1]). eodem modo productiones in vv. XXIV 50 *ἄνστατε δμῶες* et XXVII 49 *μᾶλα τεὰ πράτιστα* explicandae esse videntur. similiter res se habet in vv. XIV 53 et XVII 132. sed hoc loco syllaba ultima vocabuli *τέκετο* (⏑⏑⏑) producitur, quod alia ratione in hexametro usurpari nequit, illo autem in versu etiam interpunctio, quae vocem *οἶδα* sequitur, non nihil ad producendam syllabam finalem huius vocabuli valet. deinde tres (III 16, XIII 3, XXIV 7) ex hexametris, de quibus agitur, productionem exhibent in caesura semiquinaria. his vero locis intervallo, quod cum caesura primaria coniunctum est, insequentis mutae c. l. vis graviter infringitur. in versu quidem III 16, ubi etiam interpunctio in caesuram cadit, inserta *ν* paragogica productio firmari potest, locis ceteris ipsius caesurae vis ad vocales producendas aliquid conferre videtur. id enim ut statuatur, suadent versus huius generis: I 115 *ὦ λύκοι, ὦ θῶες, ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι,* X 30 *ἁ αἲξ τὰν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,* cf. etiam VII 85, VIII 74; XXV 57[2]). videtur de productionibus illis insequente muta c. l.

[1]) Cf. legem sextam a Hilbergio constitutam 'Princip der Silbenwäg.' p. 38 sqq.

[2]) De brevium syllabarum finalium in consonas exeuntium productionibus, quaecumque apud poetas Graecos reperiuntur, qui post Homerum in carminibus componendis hexametro usi sunt, iam Rzach accuratius egit 'Neue Beiträge zur Technik d. nachhomer. Hexam.' Sitzungsber. der Wiener k. Akad. der Wiss., phil.-hist. Cl. vol. C., fasc. 1. qua in disputatione cum loci quoque Theocritei, qui in censum veniunt, omnes tractati

idem valere, quod valet de locis Homericis velut π 23 ἦλθες Τηλέμαχε, γλυκερὸν φάος . . .[1]); in versu autem XIII 3 etiam repetitio vocabuli καλά respicienda est. itaque restant loci tres: I 101. VIII 46, 90, quorum primo ultima syllaba nominis proprii Κύπρι per anaphoram repetiti in sede caesurae semiternariae producitur; in duabus vero ceteris productionibus explicandis ipsa vocabulorum forma rhythmica in censum venit; priore enim loco, ubi τὰ νέα (⏑⏑⏑) unius vocabuli instar est, tribrachum habemus, altero legitur vox ἀνετράπετο (⏑–⏑⏑⏑), quae si in hexametro est adhibenda, ultima eius syllaba producatur necesse est.

Cum productionibus brevium syllabarum finalium ante vocabula a muta c. l. incipientia eas rationes conferre haud alienum esse videtur, quas Theocritus secutus est in producendis vocalibus finalibus ante voces a binis mutis consonis incipientes. adparebit enim etiam in huius generis productionibus admittendis certos fines terminosque Theocritum sibi constituisse[2]).

---

sint, denuo de eis agere supersedeo. de eiusdem modi locis, qui in Theocriti edylliis inveniuntur, etiam M. Kruegermann egit in 'Quaestt. Theocrit'. p. 10 sqq. similes productiones ex epigrammatis in lapidibus inventis conlegit R. Wagner 'Quaestt. de epigrammat. Graec. ex lapidibus conlectis grammaticae', Lips. 1883, p. 55 sq.

[1]) Cf. Hartelium l. c. p. 89.

[2]) Reperiuntur hae productiones: 1. in arsi prima: *d)* XX 26 τὸ στόμα. — 2. in arsi altera: *a)* I 1 τὸ ψιθύρισμα, III 48 οὐδὲ φθίμενον, IV 19 δὲ σκαίρει, V 35 οὔ τι σπεύδω, 59 δὲ σκαφίδας, VII 138 ποτὶ σκιαραῖς, 142 πωτῶντο ξουθαί, VIII 82 τὸ στόμα, IX 25 δὲ στρόμβω, XI 56 = VIII 82; *b)* II 79 δὲ στίλβοντα, XV 119 δὲ σκιάδας, XVIII 1 ἄρα Σπάρτᾳ; *c)* XVI 36 δὲ Σκοπάδῃσιν, 59 δὲ ζώοντες, XXII 61 μήτε σύ με ξείνιζε, 94 ἐνὶ στεινῷ, 124 ὑπὸ σκαιόν, 126 δὲ στόμα 134 ἔτι ξείνοισιν, 207 ὅγε στήλην, XXIV 30 αὖτε σπείραισιν, 111 ἀπὸ σκελέων, XXV 18 δέ σφισιν, 23 δὲ σταθμοί, 64 ὁ ξεῖνος, 220 κατὰ σταθμούς, XXVI 4 κισσόν τε ζώοντα, XII 21 διὰ στόματος, frgm. Ber. 5 λίνα στήσαιτο, epigr. X 2 (pent.) τὤγαλμα Ξενοκλῆς; *d)* epigr. IV 6 (pent.) ἀπὸ σπιλάδων, V 5 δὲ στάντες. — 3. in arsi tertia unam huius modi productionem inveni VII 116 Οἰκεῦντα, ξανθᾶς. — 4. in arsi quarta has: *a)* I 44 δὲ σθένος, 51 ἐπὶ ξηροῖσι, 107 ποτὶ σμάνεσσι, 143 τό τε σκύφος, V 46 = I 107, IX 3 ὑπὸ στείραισι, 11 ἀπὸ σκοπιᾶς, 19 χόρια ζέει, X 14 ἀπὸ σπόρω, XI 9 τὸ στόμα; *b)* II 16 μήτε ξανθᾶς, 25 κοὐδὲ σπόδον, 35 ἀνὰ πτόλιν, 112 ἐπὶ χθόνος, 116 τόδε στέγος, 122 περὶ ζώστραισιν, 162 παρὰ ξείνοιο, XV 16 ἀπὸ σκανᾶς, XVIII 46 ὑπὸ σκιεράν; *c)* XIII 32 κατὰ ζυγά, 34 μέγα στιβάδεσσιν, 60 μάλα σχεδόν, XVI 31 ἐπὶ ψυχροῦ, 94 ποτὶ σπόρον, XVII 79 ὅσα χθαμαλά, 84 μετὰ δέ σφισιν, 105 τὰ δὲ κτεατίζεται, XXII 6 ἐπὶ ξυροῦ, 76 ὑπὸ σκιεράς, 100 περὶ στόμα, 159 ὑπὸ σφετέροισι, 196 ἐπὶ σκαιόν, XXIV 14 ὑπὸ σπείραισι, 15 ὅθι σταθμά, 17 ἐπὶ χθονί, 42 μετὰ ξίφος, 60 ποτὶ σφέτερον, 80 ἀπὸ στέρνων, 91 ἐπὶ σχίζαισιν, 107 ἐπὶ σκοπόν, XXV 73 ἀπὸ χθονός, 85 ποτὶ ζόφον, 133 ἐπὶ σφίσι, 157 ἀπὸ σταθμῶν, 190 ἅμα σφίσι, 194 κατὰ στάθμην, 209 ὑπὸ ζαθέῳ, 232 = 73; *d)* XXIII 17 ποτὶ στυγνοῖσι, XXVII 20 σὺ δὲ ζυγόν, epigr. XI 3 ἐπὶ ξείνης. — 5. in arsi quinti pedis: *a)* X 47 ὁ σταχύς; *b)* XIV 56 ὁ στρατιώτας; *c)* XVII 115 ἀείδοντι Πτολεμαῖον, XXII 157 Ἀχαιῶν τε πτολίεθρα.

Est quidem frequentia harum productionum in singulis arsibus haec:

arses	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. epic.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in cc. dub.
I arsis	—	—	—	—	1
II „	10	3	17	30	2
III „	1	—	—	1	—
IV „	10	9	29	48	3
V „	1	1	2	4	—
	22	13	48	83	6

Ex natura autem exemplorum patet rationes, quibus Theocritus in vocalibus hoc modo producendis usus est, vel severiores esse rationibus, quas supra in similibus productionibus ante mutam c. l. observavimus. in arsi enim tertia praeter unum locum nomine proprio excusatum numquam brevis vocalis finalis ante vocem a duabus mutis incipientem longa fit neque in prima, nisi semel articulus in edyll. dub. in arsi autem pedis quinti quater tantum reperitur vocalis ratione, de qua agitur, producta, bis articulus, semel enclitica *τέ,* cuius hac in sede productio inde ab Homero sollemnis fuit [1]); cf. etiam XXV 87 *αὐλία τε σηκούς τε.* quod autem ad productionem vocalis *ι* in *ἀείδοντι Πτολεμαῖον* adtinet, in explicanda ea respiciendum est nomen proprium *Πτολεμαῖον* atque analogia formarum in *σι* (*ν*) exeuntium, quae *ν* paragogica sunt praeditae. in arsibus vero secunda et quarta semper fere eorundem vocabulorum producuntur vocales, quorum insequente muta c. l. uno tantum loco in pede quarto aliud legitur vocabulum IX 19 *χόρια ζέει,* sed habet illud formam tribrachi; in pede autem altero ad voces, quarum vocales finales ante mutam c. l. productas vidimus, accedunt: VII 142 *πωτῶντο ξουθαί* (cf. Hom. *Φ* 350 *καίοντο πτελέαι τε καὶ ἰτέαι . . .,* *Ψ* 15, cett.), XXIV *τὼ δ'αὖτε σπείραισι* (cf. versus Homericos, velut A 206 *τὸν δ'αὖτε προσέειπε θεὰ γλ. Ἀθ.,* cett.), epigr. X 2 (pent.) *τὤγαλμα Ξενοκλῆς,* ubi nomen proprium in censum venit, frgm. Ber. 5 *καί κε λίνα στήσαιτο.*

In arsibus vero altera et quarta breves vocales finales in universum, et ante mutam c. l. dico et ante duas mutas consonas, longe saepissime produci iam nemo non videt. atque eaedem duae versus sedes solae fere aptae videbantur Theocrito, in quibus vocales finales ante simplices consonas liquidas producerentur [2]). in pede enim primo soli versus epigr. I 1 *τὰ*

[1]) Cf. Gisek. 'Hom. Forsch.' p. 71 sq.

[2]) Etiam in huius modi productiones et in productiones, quae fiunt ante consonas liquidas mediis in vocabulis, Rzach diligentissime iam inquisivit 'Beiträge zur Technik des nachhomer. her. Verses'. Sitzungsber. der Wiener k. Akad. der Wiss., phil.-hist. Cl. vol. XCV. fasc. 3. cf. etiam Wagnerum l. c. p 57 sqq. loci ex Theocrito petiti tractantur a Rzachio p. 694—696, 768—770, 854. cf. praeterea Kruegerm. l. c. p. 15 sq.

ῥόδα et c. dub. XXVII 48 τί ῥέξεις vocales hunc in modum habent productas; ceterae autem productiones, quarum pleraeque reperiuntur in carminibus generis epici, extant omnes in pedibus altero et quarto. in illo quidem hae inveniuntur: c) XVI 62 ἢ ὕδατι νίζειν, XVII 72 ἀπὸ νεφέων (hoc recepit Ziegler e cod. κ, liber m habet ὑπὸ ν.), XXII 118 ἤτοι ὅγε ῥέξαι, XXV 73 τοὺς μὲν ὅγε λάεσσιν, 257 αὐτοῦ ἐπὶ λασίοιο. paulo plures extant huius modi productiones in arsi quarta: a) XI 10 οὐδὲ ῥόδῳ, 45 ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι; b) XV 128 ὁ ῥοδόπαχυς; c) XXII 121 ἐπὶ λαγόνος, XXV 10 παρὰ ῥόον, 211 ὅθι λῖς ἦεν, 235 ἀπὸ νευρῆς, 246 ὑπὸ λαγόνας, 273 ἀπὸ μελέων.

B.

Iam videamus, quae sit apud Theocritum condicio brevium vocalium finalium insequente muta c. l. in thesi positarum. quod si iam in Homeri carminibus syllabae in vocum confinio ante mutam c. l. productae plerumque in versus sedibus ictu corroboratis leguntur, multo diligentius etiam hanc legem a Theocrito esse observatam statim inde adparebit, quod vocales finales in thesi conlocatae sequente muta c. l. rarissime producuntur; longe frequentissima enim eius modi locis est correptio Attica. atque priore huius sectionis parte (α) de exemplis, quae hanc correptionem exhibent, exponemus, altera deinceps (β) inquiremus in productiones.

α[1]).

Numerus correptionum in singulis thesibus est hic:

theses		in cc. bucol.	in cc. mim.	in cc. epicis	in omnibus Theocr. cc. genuin.	in cc. dub.
I	1	2	2	2	6	2
	2	1	1	3	5	—
II	1	5	2	3	10	2
	2	—	1	7	8	4
III	1	11	5	21	37	4
	2	—	—	3	3	1
IV	1	—	1	—	1	—
	2	5	5	12	22	4
V	1	7	7	15	29	5
	2	16	2	18	36	4
		47	26	84	157	26

accedunt quinque correptiones, quae extant in pentametris.

[1]) In proponendis exemplis eadem, qua supra, utar ratione per singulas versus sedes illas digerens. ac reperiuntur hae correptiones: 1. in primae thesis parte priore:

Hos numeros si comparamus cum usu earundem correptionum Homerico, iam aliquanto liberius in vocalibus hac ratione corripiendis versatum esse

---

In universum autem si correptionum, quas tractamus, frequentiae in variis carminum Theocriteorum generibus rationem ducimus, rarissimas illas in edylliis bucol. esse eadem tabula docemur. atque hoc quoque cum spondeorum frequentia, quae in cc. bucol. est maxima[1]), congruit. praecipue in cc. I., III.—VII. correptiones illae rarae sunt, paulo frequentiores in edylliis VIII.—XI., nullum autem carmen eis prorsus caret.

Variarum vero liquidarum quae sit in correptionibus adlatis frequentia, paucis quidem iam indicavi (p. 89 sq.); accuratius autem id cognosci poterit ex hoc hoc indice, in quo aeque ac supra exempla, quae huc pertinent, per singulas consonarum iuncturas digeram:

consonarum iuncturae	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. ep.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in cc. dub.
βλ	—	—	1	1	—
γλ	—	—	—	—	1
ϑλ	—	—	1	1	—
κλ	6	7	9	22	2
πλ	—	1	5	6	1
φλ	1	—	2	3	—
χλ	1	4	—	5	—
	8	12	18	38	4
ϑμ	1	1	3	5	1
κμ	—	—	—	—	1
τμ	1	—	—	1	—
χμ	—	1	—	1	—
	2	2	3	7	2
ϑν	—	—	—	—	2
κν	2	4	5	11	1
πν	—	—	2	2	2
τν	—	1	—	1	—
φν	4	—	1	5	2
χν	1	1	1	3	1
	7	6	9	22	8

[1]) Cf. p. 8 sq., 15, 21.

consonarum iuncturae	in cc. buc.	in cc. mim.	in cc. ep.	in omnibus Theocr. cc. gen.	in cc. dub.
βρ	—	—	3	3	—
γρ	1	3	2	6	—
δρ	—	1	5	6	1
θρ	3	8	1	7	1
κρ	4	7	12	23	5
πρ	—	1	3	4	—
τρ	10	4	21	35	2
φρ	5	4	2	11	3
χρ	—	3	1	4	—
	23	26	50	99	12

ante τλ, γμ, δμ, γν, δν numquam reperitur syllaba correpta.

Magnam vero harum correptionum partem (LIII) ita comparatam esse adparet, ut syllaba correpta aut in ipsa vocabuli compositi commissura extet aut ea α sit, quod privativum dicunt, aut augmenti aut reduplicationis vocalem contineat. atque eandem rationem ab Homero quoque esse observatam La Rochii libro, quem supra adtuli, inspecto facile intelleges [1]. correptiones quidem id genus illis simillimae sunt correptionibus, in quibus vocales correptae in extremis vocabulis conlocatae sunt, eademque de causa omnium, quae mediis in vocibus reperiuntur, correptionum illae sunt lenissimae [2].

Deinde in exemplis sat multis (XLVIII) nominum propriorum formae leguntur, quas non eiusdem atque cetera vocabula iuris esse satis constat: *Ἀμφῐκλέους, Ἀμφῐτρύων, —ωνος, —ωνα, Ἀμφῐτρυωνιάδης, —αο, —η, Ἀφροδῖτα, —ας, —ᾳ, Βέβρυκες, —ων, Δᾰφνις, —ιδος, —ι, Διŏκλείδας, Ἡρᾰκλέης, —έα, Ἰφῐκλέης, Κῠκλάδεσσιν, Κῠκλωψ, —ώπων, Πᾰτρŏκλῆς*. huius vero generis correptiones etiam ceteri poetae Graeci omnes exhibent, velut Homerus *Ἀμφῐτρύωνος Ε* 392, *λ* 266 cett. *Ἀφροδίτη Ε* 370, 375 cett., *Πάτρŏκλε Τ* 287. in voce autem *Κύκλωψ* apud Homerum *υ* semper producitur; nominativus *Ἡρακλέης* ibidem omnino non reperitur, cum semper dicatur *βίη Ἡρακληείη* vocali *α* producta; sed legitur ille apud Hesiodum Theog. v. 527, apud Apollon. Rhod. Arg. *Α* 349, 426, 864 cett., apud Quintum Smyrnaeum Posthom. IV 448, V 645, VI 230 cett., apud Nonnum Dionys. XI 227, XXV 196, XXIX 240 cett.

---

[1]) De poetis eleg. cf. Goebelium l. c.; Sitzleri 'Studien zu Th.' p. 4.

[2]) Cf. Westphalii 'Metrik der Griechen[2]' II 83 sq.

Correptionum autem, quae neque in nominibus propriis extant neque ratione priore loco exposita leniuntur, pleraeque ante mutas cum liquidis ρ aut ν coniunctas inveniuntur; e vocibus enim, in quibus vocalis insequente muta cum μ vel λ liquidis copulata corripitur, hae tantum h. l. in censum veniunt: ἀρῐθμεῦντι, —εῦνται, —ητοί, —εῖ (VIII 16; XIV 48, XVII 27, epigr. dub. XIV 4), ἑπταδράχμως (XV 19), πότμος (epigr. dub. IX 3), ῥῠθμός (XXVI 23), στᾰθμά (XXIV 15); κόχλίας (XIV 17), κύκλα (XXV 249), κυκλάμινον (V 123), ὅπλα (XIII 52, XVI 96), ὄχλος, —ω (XV 5, 44, 59), τυφλός (X 19).

Si correptionum exempla, quae supra congessi, comparaveris cum locis, quibus vocales insequente muta c. l. producuntur, fugere te vix poterit nonnumquam in vocibus ab una eademque stirpe derivatis vocalem modo produci modo corripi. atque huius modi vocabula ut accuratius inspiciamus reliquum est. qua in re monitum velim earum productionum, quae in arsi extant, cum propter ipsam arsis vim aliter sint comparatae, nullam me habere rationem, sed earum modo, quae reperiuntur in thesi. voces autem, quae huc spectant, per singulas digeram consonas liquidas:

λ.

ε vocabuli ἔκλαυσε producitur I 72, corripitur in c. dub. XX 36; ε in ἔκλαιε producitur in c. dub. XXIII 17. — ε in voce ἔκλινε producitur II 139, in voce ἐκλίνθη corripitur III 44; similiter vocabulum ἀποκλινθείς (III 38) vocalem ο correptam habet. his cum locis conferas velim Hom. Ξ 510 ἤρατ', ἐπεί ῥ' ἔκλινε μάχην et φ 138 αὐτοῦ δ' ὠκὺ βέλος καλῇ προέκλινε κορώνῃ vel τ 470 ἂψ δ' ἑτέρωσ' ἐκλίθη. — ε in vocabulo ἔκλεψε(ν) producitur V 19, corripitur ibid v. 2, in voce ἐκλέπτετε producitur prima syllaba v. XXII 151. — α vocabuli Ἡρακλῆς producitur in formis genetivi et dativi —ῆος, —ῆι (XIII locis), corripitur in nominativi forma Ἡρακλέης (XIII 64, XXIV 103), nisi forte haec vox per synizesim pronuntianda est, id quod apud Quintum Smyrnaeum veri simile esse putat Ludwich[1]); sed ipse Nonnus, qui in admittenda mediis in vocabulis correptione Attica angustissimis sese continuit finibus, vocabulum illud correpta syllaba altera ursurpavit[2]). prorsus similiter atque in formis nominis Ἡρακλῆς res se habet in formis Ἰφῐκλέης (XXIV 25) et Ἰφικλῆα (XXIV 2, 61). — ε in voce κεκλήσεται producitur XXII 69, XXIV 84, in κεκλήσεαι XXII 71, in κεκλημένος XXIV 104; contra ι corripitur in κικλήσκων XXII 133. — υ in vocabulo Κύκλωψ bis producitur in v. XI 72, locis ceteris corripitur: id. ibid. 8, Κύκλωπος XVI 53, Κυκλώπων XI 38. — ε in πεπλασμένον producitur VII 44, corripitur in ἔπλασσε XXIV 109.

1) Cf. Ann. philol. CIX (1874) 234 adn.

2) Cf. Lehrsii 'Quaestt. ep.' p. 262.

μ.

ι in ἀνάριθμος producitur XVI 64, in ἀνάριθμοι XV 45, corripitur in ἀριθμεῦντι VIII 16, in ἀριθμεῦνται XVII 27, ἀριθμεῖ epigr. dub. XIV 4, in ἀριθμητοί c. XIV 48. — α in σταθμοί producitur XXV 23, in σταθμῶν ibid. 157, in σταθμούς ibid. 220, corripitur in σταθμά XXIV 15.

ν.

α vocabuli ἀφνειός producitur XXIV 108, corripitur in ἀφνειόν XIII 19. — α vocis δάφναι productum reperitur II 1 et epigr. I 3, correptum c. XI 45. — α in nomine Δάφνις productum est I 100, VIII 8, 38, 71, correptum in eadem forma I 116, in Δάφνιδος epigr. dub. IV 14, in Δάφνιν I 113, in Δάφνι VIII 6, 82, epigr. dub. III 1. — ι in ἱκνεῦνται producitur XXV 28, corripitur in ἱκνεῖται epigr. dub. VIII 3. — ε in τεθνάκαμες productum reperitur II 5, correptum in τεθνεώς epigr. dub. XI 5. — υ vocis ὕπνος producitur in formis ὕπνῳ V 51, ὕπνων in c. dub. XXI 66, ὕπνου epigr. dub. III 6, corripitur in formis ὕπνον XXIV 47, ὕπνου epigr. dub. V 6; ac similiter corripitur υ in vocabulis ἄγρυπνος XXIV 106 et ἀγρυπνίαν c. dub. XXI 37.

ρ.

α vocabuli ἄκρος productum reperitur in formis ἄκρας IX 30, XXII 185, ἄκρον XVI 77, in vocibus compositis ἄκρηβος VIII 93, ἀκρόχλοον XXIV 61, corripitur autem in formis ἄκρῳ XI 37, ἄκρον XIV 61, 66, ἄκρην XXII 196, ἄκρα c. dub. XXVII 43, in vocabulo composito ἀκρέσπερον XXIV 77. — ε in voce γεγράψεται producitur XVIII 47, corripitur in ἔγραψαν XV 81; in eodem versu ο vocabuli ζωογράφοι corripitur. — ι vocis δίφρος producitur in forma δίφρων XXII 142, corripitur in δίφρον XV 2. — ε vocabuli ἕδρα productum est in forma ἕδραν c. dub. XXIII 52 et in voce composita ἑδροστρόφοι XXIV 111, correptum in forma ἕδρα XVII 20. — ε in κεχρήσεται producitur XVI 73, in κέχρησθε XXVI 18, in κεχρημένος XXV 101, corripitur in κεχρημένος ibid. 35, in ἐχρῆν XVIII 12, eademque ratione α vocabuli διαχρησεῖται corripitur XV 54. — υ vocis Κύπρις producitur in hac ipsa forma I 95, XVIII 51, in Κύπριν II 131, Κύπρι I 101, corripitur in forma Κύπρις XVIII 51, epigr. XIII 1. — α adiectivi μακρός producitur in forma μακρήν XXV 242, corripitur in formis μακρούς XVI 43, XXII 81, μακρῶν XVIII 34, μακράν c. dub. XXI 28. — ε vocabuli νεκρός semel reperitur productum in forma νεκρῷ c. dub. XXIII 41, correptum in formis νεκρόν ibid. 53, νεκρῶν XXII 179. — α in voce πατρώια producitur XVII 104, in πατρώιον XXII 164, contra semper corripitur in genetivo πατρός (VIII 20, IX 13, 23; XXII 170, 199; in epigr. dub.

VII 4) ac similiter in vocabulis *εὐπατριδᾶν* XVIII 53, *εὐπατρίδας* ibid., *πατρῴη* XXII 205. Homerus genetivo *πατρός* ita utitur, ut modo producat modo corripiat priorem syllabam; cf. *B* 146 *ὤρορ' ἐπαΐξας πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων* et Z 479 *καί ποτέ τις εἴπῃσι πατρός γ' ὅδε πολλὸν ἀμείνων*. — *ε* substantivi *πέτρα* plerumque (noviens) producitur: in formis *πέτρα* I 39, epigr. I 4, *πέτρας* I 8, XXIV 95, XXVI 10, *πέτρᾳ* VIII 55, c. dub. XXI 42, *πέτρῃ* XII 36, *πέτραισιν* IX 16, 26; bis autem corripitur in forma *πέτρας* X 7, XXII 27. — *ε* vocabuli *τετραμμένος* productum est VII 112, correptum in forma *τετραμμένου* XIII 26.

Multitudinem vocabulorum, in quibus quamquam ab una eademque stirpe derivatis Theocritus vocales ante mutam c. l. positas modo produxit modo corripuit, si respicimus, in universum quidem sat libere eum hac in re versatum esse adparet. Quintum Smyrnaeum quidem, apud quem Attica correptio frequentissima est, in ea re severiorem sese praestitisse elucet ex eis, quae Ludwich l. c. exposuit; nam in plus octo milibus versuum, quibus Quinti Posthomerica constant, in duodecim tantum vocabulis ante mutam c. l. vocales ratione, de qua agitur, usurpantur[1]). atque ex his locis quinque a Ludwichio in dubitationem vocantur, ita quidem, ut non plus novem restent. etiam apud Homerum eius generis exempla, quae Ludwich ibidem congessit, sat pauca reperiuntur. quam rationem in eadem re secuti sint poeta tragici, a Goebelio expositum est[2]).

[1]) Ludwich quattuordecim quidem vocabula adfert, sed duo mutam c. l. initio in habent positam.

[2]) Cf. De correptione Attica p. 30 sqq.

CAPUT QUARTUM.

De hiatu.

Postquam ab hominibus doctis quaestiones institutae sunt, quibus hiatus, quem dicunt grammatici, usum in Homeri carminibus definire studebant, alii extiterunt, qui operae pretium esse putarent apud alios quoque poetas Graecos, qui in carminibus pangendis Homeri vestigia prementes versu usi sunt heroico, in eandem rem inquirere. quas disputationes hoc loco omnes adferre nil adtinet; id autem commemorandum mihi est, etiam de hiatus usu apud Theocritum nonnulla iam a Kruegermanno in 'Quaestt. Theocr'. p. 2 sqq. prolata esse. sed nihilominus ex usu mihi esse videtur denuo de ea re quaestionem instituere. primum enim hanc rem non tam accurate, quam par erat, a Kruegermanno expeditam esse censeo, quippe qui eius tantum modo generis hiatus, quod legitimum esse negant, rationem habuerit neque omnia, id quod infra videbimus, recte adtulerit. praeterea is in libello suo eadem via progreditur, quam iniit Hoffmann in 'Quaestt. Hom'.; post Hoffmannum autem hiatus usum in carminibus Homericis cum alii tum Hartel rationes prorsus alias secutus retractavit[1]), qua de causa inde quoque aliquem fructum ad quaestionem, de qua agitur, denuo tractandam redundaturum esse existimo.

In universum quidem nobis de omnibus locis, ubi vocem in vocalem desinentem altera a vocali incipiens sequitur, hac quaestione proposita agendum erit. attamen hoc loco rem tangi oportet, quae in materia huius quaestionis definienda haud parvi est momenti. etenim in Homeri carminibus digamma quondam viguisse et cum in aliis rebus tum ad hiatum tollendum satis valuisse unicuique notum est. post Homeri autem tempora cum illud annorum successu prorsus evanuisset, ea vocabula, quae olim a digammo incipiebant, nil iam differebant a vocabulis, quae semper vocales in initio habebant positas. sed inferiorum temporum poetae, cum viderent apud

[1]) Homer. Stud. II. et III.

Homerum ante vocabula a certis quibusdam stirpibus derivata longas vocum praecedentium vocales constanter non corripi, ipsi quoque talia sibi licere putabant. unde factum est, ut nonnullis vocabulis iam dudum a vocali incipientibus prorsus eadem ratione atque Homerus, cuius aetate illa a digammo initium capiebant, uterentur. loci igitur huius modi apud Theocritum similiter atque apud alios inferioris aetatis poetas non eadem ratione tractandi sunt, qua in Homeri carminibus, ubi hiatus digammo tollitur. et cum in universum de frequentia hiatuum in Theocriti carminibus quaeretur, exempla ea, in quibus voces leguntur, quarum in initio digamma olim erat positum, ceteris hiatibus adnumeranda erunt, separanda autem ab his neque tamen prorsus neglegenda erunt, ubi agetur de variorum hiatuum natura.

Cum vero prius vocabulorum, quorum in confinio hiatus extat, aut longam aut brevem vocalem in fine possit habere positam, hanc rem in distribuenda materia proposita respiciamus necesse est. quam ob rem priore huius capitis parte (I) de eo hiatus genere exponêmus, in quo voces praecedentes in longas desinunt syllabas, altera (II) de hiatibus, in quibus vocales breves leguntur.

I.

Si vox in longam vocalem vel diphthongum desinens ante vocabulum a vocali incipiens conlocatur, syllabam illam finalem apud omnes poetas Graecos inde ab Homero longe saepissime corripi satis constat. qua re factum est, ut homines docti, ubicumque lex ea observata reperiebatur, de hiatu non iam cogitandum et locos ita comparatos in quaestionibus de hiatus usu institutis silentio praetereundos esse censerent. atque eandem rationem a Kruegermanno quoque l. c. initam esse invenies. sed huius modi in quaestionibus primum ipsa ratio, quae inter numerum exemplorum legi repugnantium intercedit et eorum, quibus lex observatur, sat magni est momenti; deinde locorum, quibus vocalis corripitur, omnium nequaquam eadem est natura, atque singula illorum genera cognoscantur necesse est. quae res cum ita se habeat, etiam in legitimos illos hiatus inquiri debere manifestum est. itaque haec disputationis nostrae pars in dua distribuenda erit capita, quorum priore *(A)* eos hiatus percensebimus, in quibus tota vis ultimae syllabae vocis antegressae servatur, altero *(B)* agemus de hiatibus, in quibus longae syllabae finales corripiuntur.

A.

Longae syllabae finales in hiatu positae ut totam vim suam retineant, iam in Homeri carminibus locis longe plurimis maiore arsis vi effici videmus. cum enim duo fere milia exemplorum ibi extent, in quibus syllabae non

correptae in arsi leguntur, CLXVII tantum loci vel detractis repetitis CXLII inveniuntur, in quibus correptio in thesi neglegitur[1]). cuius rei causa unde repetenda sit, ab Hartelio hisce verbis egregie inlustratur[2]): 'Die Kraft der Arsis vermag jeden vocalisch langen Auslaut, ob dieser der Auslaut eines Nomens, Verbums oder einer Partikel ist, in seiner Quantität zu erhalten, indem sie das Zusammensprechen mit dem nächsten Vocal — die Bedingung der in der Thesis stattfindenden Verkürzung — hemmt. Das Wesen der Arsis ist Tonverstärkung, bewirkt durch Verstärkung des Ausathmungsdruckes. Der verstärkte Ton wirkt durch die für das Aussprechen einer Länge erforderliche Zeit. Folgt ein Consonant auf diese vocalische Länge, so begrenzt dieser die aufgewandte Kraft, indem das Maximum des Ausathmungsdruckes während der zu einer Articulation erforderlichen Bildung der Enge des Verschlusses eintritt. Folgt kein Consonant, so liegt der Höhepunkt der Arsis im Verlaufe des langen Vocales, der gegen den folgenden vocalischen Anlaut durch Verschlussbildung abgegrenzt wird, indem 'wir vor jedem anlautenden Vocale den Kehlkopf verschliessen, so dass unter der grösseren Spannung der Ausathmungsluft, welche hiedurch bedingt wird, die Stimmbänder prompt anlauten' (Brücke, Physiol. Grundl. der nhd. Verskunst, S. 54). Das ist Hiatus in bester Form; aber kein Hiatus, den das griechische Ohr der epischen Sänger bei dem langsamen, abgemessenen Gang des griechischen Hexameters irgend unangenehm empfand. — Jedem Diphthong und jedem Vocal selbst, der auf dem Wege der Verwitterung seiner Quantität noch nicht zu dem Normalmass der Kürze herabgesunken, ist der Zutritt zu solchen Hebungen gestattet. Die schwächsten Längen, z. B. dativisches ι und die leichtesten Diphthonge, wie οι, αι, fallen, durch die hinzutretende Tonverstärkung der Arsis unterstützt, vollgewichtig ins Ohr. Zumeist aber sind es die schwersten Diphthonge, wie ῳ und ῃ, die kräftigsten Vocale, wie ω und η, welche, nicht gedrückt durch das Gewicht nachfolgender Consonanten, hier zur vollsten Entfaltung ihres Tongehaltes gelangen.' neglectae igitur correptiones in versus sedibus ictu destitutis separandae sunt ab eis syllabis in hiatu positis, ad quas producendas ipsa arsis vis aliquid confert. quam ob rem etiam apud Theocritum priore loco (α) hiatus in arsibus extantes tractandi erunt, deinde (β) ii loci, quibus syllabarum correptiones in thesi omittuntur.

α.

Cum multum intersit, qualis ea sit syllaba, quae non corripitur, praecipue utrum vocali longa an diphthongo efficiatur[3]), aptissimum esse

[1]) Cf. Hartel. l. c. II 23.

[2]) l. c. p. 40.

[3]) Cf. de hoc discrimine Hartelium l. c. II 5 sqq., 40, 45, 48, 50, III 1 sqq.

videtur hiatus exempla, quae hoc loco in censum veniunt, per singulas vocales et diphthongos adferre. simul numeris uncis inclusis, in qua quisque hiatuum extet arsi, indicabo. hos igitur inveni hiatus:

α: *a)* X 28 ἁ γραπτὰ ὑάκινθος (V), ibid. 30 ἁ αἴξ (I); *b)* XVIII 28 ἁ χρυσέα Ἑλένα (III); *c)* XVII 79 χθαμαλὰ Αἴγυπτος (V). Kruegermann, qui Meinekii editione usus est, etiam XIV 64 βασιλέα· αἰτεῖν adfert, sed hic cum codd. e, p, k exhibeant βασιλῆα· αἰτεῖν, Stob. Floril. XLVIII 11 βασιλῆ'· αἰτεῖν, magis eorum placet ratio, qui velut Ziegler, Fritzsche, Hiller elisionem probant; nam illa neque, quod in caesuram versus primariam cadit, offensioni est neque propter insequentem interpunctionem, id quod elucet ex eis, quae protulimus p. 43 sq.; cf. Hom. *E* 252 μή τι φόβον δ' ἀγόρευ', ἐπεὶ οὐδέ . . .

ᾳ: *a)* IV 22 τᾷ Ἥρᾳ (I), V 116 μέμνᾳ, ὅκ' (II, lectio quidem vulg. est μέμνασ', sed codd. e et m habent μέμνα, idem legit scholiasta codicis k[1]), in libro a superscriptum est manu altera σ), X 33 τᾷ Ἀφροδίτᾳ (V); *b)* XV 110 Ἑλένᾳ εἰκυῖα (V); *c)* XXIV 92 μέσᾳ, ὅκα (II).

η: *a)* III 42 ὡς ἐμάνη, ὡς (III), VII 77 ἢ Ἄθω (I), ibid. 88 ἢ ὑπό (V); *c)* XVI 62 ἢ ὕδατι (I), 74 ἢ Ἀχιλεύς (II), XXII 58 ἢ ὑπερόπτης (V), XXIV 90 ἢ ἀνέμῳ (II), XXV 197 νόσφιν γ' ἢ ὅθεν (II). falso adfert Kruegermann I 51 φατὶ πρὶν ἢ ἀκράτιστον, ubi synizesis ἢ‿ἀκράτιστον statuenda est, cum in voce ἀκράτιστον (cf. ἀκρᾱτός, ἀκρᾱτίζομαι) alterum α longum sit.

ῃ: *b)* XIV 49 ἀτιμοτάτῃ ἐνὶ μοίρῃ (V); *c)* XXV 71 Ἀμφιτρυωνιάδῃ Ἡρακλέι (III), 91 ἠὲ νότοιο βίῃ ἠέ (III), 267 ὑποδρύψῃ ὀνύχεσσι (V). Kruegermann etiam XXV 212 στρεπτῇ ἐπέλασσε κορώνῃ huc rettulit, sed h. l. vix dubitari potest, quin lenissima Brodaei immutatio, qui στρεπτὴν scribendum esse censuit, cum Ahrensio, Zieglero, Hillero probanda sit.

ω: *a)* I 98 ἀργαλέω ἐλυγίχθης (V), III 36 δωσῶ οἱ (III); *b)* II 46 ἐυπλοκάμω Ἀριάδνας (V), 152 ἀκράτω ἐπεχεῖτο (II), XIV 33 κόλπω ἐπιθυμήσασα (IV, solus cod. p habet κόλπων, quod recepit Meineke), XV 7 ἑκαστοτέρω ἔμ' ἀποικεῖς (V, est haec lectio vulg. Zieglero quoque probata; sed corruptus esse videtur hic locus. cod. k exhibet ἑκαστέρω ἔμ', Briggs scriptum voluit ἑκαστέρω ὦ ἔμ' ἀπ., Boissonade ἑκ. ὤμοι ἀπ., Meineke ἑκ. ὦ μέλ' ἀπ., Hiller ἑκαστέρω ἄμμιν ἀπ.), 102 ἀενάω Ἀχέροντος (V), 123 ὦ ἔβενος (I) et λευκῶ ἐλέφαντος (V), XVIII 58 ὦ Ὑμέναιε (II); *c)* XVI 104 ὦ Ἐτεόκλειοι (I), XXII 23 ὦ ἄμφω (I), 26 ἀμφοτέρω ὑμνέων (II), 174 ἀποσχομένω ὑσμίνης (V), XXV 193 ὦ Αὐγηιάδη (I), XXVI 29 δεκάτω ἐπιβαίνοι (V).

ῳ: *b)* II 51 μαινομένῳ ἴκελος (II), 145 τήνῳ. ἀλλ' (III), XVIII 58 γάμῳ ἐπὶ τῷδε (IV); *c)* XIII 49 Ἀργείῳ ἐπὶ παιδί (II), XVII 38 τῷ

---

1) Cf. Ziegler 'Cod. Ambr. 222 schol. in Theocr.' p. 44.

οὔπω (I), 104 ᾧ ἐπίπαγχυ (I), 106 δόμῳ ἐνὶ πίονι (IV), 114 ᾧ οὐ δωτίναν (I), XXII 39 κρυσταλλῷ ἠδ' ἀργύρῳ (III), 94 Τιτυῷ ἐναλίγκιος (IV), XXIV 118 βλοσυρῷ ἐπέκειτο προσώπῳ (IV), XXV 209 ζαθέῳ Ἑλικῶνι (V). perperam his locis adnumerat Kruegermann hiatum, qui extat XXVI 29, quo in versu, si genuinus est, non δεκάτῳ scribendum, sed genetivus δεκάτω e codicibus recipiendus est.

αι: *a)* I 18 καί οἱ ἀεί (I), 127 Μοῖσαι ἴτε (IV), id. vv. 131, 137, 142, XI 12 ταὶ ὄιες (II); *b)* II 61 δέδεμαι, ὅ (III, sed extant haec verba in versu sat suspecto, qui haud scio an iure Ahrensio aliisque expellendus esse videatur); *c)* XXIV 123 καί οἱ ἀαγεῖς (V).

ει: *a)* XI 45 τηνεῖ, ἐντὶ ῥαδιναί (III); *b)* II 158 ἔχει, ἁμῶν (IV); *c)* XVII 90 ἐπεί οἱ (IV), XXIV 27 βαρεῖ ἐνεδήσατο (IV), XXV 80 εἴ οἱ καί (I), 173 εἰ ἐτεόν (I), 274 μόχθον, ἐπεὶ οὐκ (IV).

οι: *a)* III 39 ποτίδοι, ἐπεί (III); *c)* XXV 37 οἵ οἱ ἔασιν (II), 203 οἵ ἔθεν (I).

ευ: *a)* VII 7 εὖ ἐνερεισάμενος (I, in codd. legitur quidem εὖ γ' ἐνερεισάμενος, sed particula γέ h. l. supervacanea a grammaticis hiatus evitandi causa inserta esse videtur [cf. G. Herm. Opusc. V 80], quam ob rem recte illam plerique editores recentiores eiecerunt); *c)* XIII 15 αὐτῷ δ' εὖ ἕλκων (II), XVI 13 τίς εὖ εἰπόντα (IV), 25 πολλοὺς δ' εὖ ἔρξαι (II).

ου: *c)* XVI 31 ψυχροῦ Ἀχέροντος (V), 41 στυγνοῦ Ἀχέροντος (V), XXII 141 ἀποφθιμένου Ἀφαρῆος (V).

Frequentia igitur hiatuum in singulis versus sedibus est haec:

vocales et diphthongi	in I arsi	in II a.	in III a.	in IV a.	in V a.	summa	
a) in cc. bucol.							
α	1	—	—	—	1	2	10
ᾳ	1	1	—	—	1	3	
η	1	—	1	—	1	3	
ῃ	—	—	—	—	—	—	
ω	—	—	1	—	1	2	
ῳ	—	—	—	—	—	—	
αι	1	1	—	1[1]	—	3	6
ει	—	—	1	—	—	1	
οι	—	—	1	—	—	1	
ευ	1	—	—	—	—	1	
ου	—	—	—	—	—	—	
	5	2	4	1	4	16	

[1]) Hiatum I 127, qui, cum in versu extet intercalari, ter repetitur, semel tantum numeravi.

vocales et diphthongi	in I arsi	in II a.	in III a.	in IV a.	in V a.	summa	
			b) in cc. mim.				
α	—	—	1	—	—	1	13
ᾳ	—	—	—	—	1	1	
η	—	—	—	—	—	—	
ῃ	—	—	—	—	1	1	
ω	1	2	—	1	3[1])	7	
ῳ	—	1	1	1	—	3	
αι	—	—	1	—	—	1	2
ει	—	—	—	1	—	1	
οι	—	—	—	—	—	—	
ευ	—	—	—	—	—	—	
ου	—	—	—	—	—	—	
	1	3	3	3	5	15	
			c) in cc. epicis				
α	—	—	—	—	1	1	25
ᾳ	—	1	—	—	—	1	
η	1	3	—	—	1	5	
ῃ	—	2	—	—	1	3	
ω	3	1	—	—	2	6	
ῳ	3	1	1	3	1	9	
αι	—	—	—	—	1	1	14
ει	2	—	—	3	—	5	
οι	1	1	—	—	—	2	
ευ	—	2	—	1	—	3	
ου	—	—	—	—	3	3	
	10	11	1	7	10	39	
			in onnibus Theocr. cc. gen.				
in universum	16	16	8	11	20	70	

in edylliis dubiae originis nullus huius generis hiatus reperitur.

Ex tabellis propositis primo obtutu cognoscimus non eundem in variis carminum Theocriteorum generibus esse hiatuum, de quibus agitur, numerum; paucissimi quidem pro rata parte reperiuntur in edylliis bucol., plurimi in epicis. sed usum huius modi hiatus a Theocrito in universum satis angustis circumscriptum esse finibus perspicuum fit, si eiusdem generis

[1]) Versum XV 7 h. l. potius omittendum esse censui.

hiatuum frequentiam apud alios poetas comparamus cum usu Theocriteo. in Homeri quidem carminibus duo fere milia id genus hiatuum reperiri iam commemoravimus. sed apud eos quoque poetas epicos, qui aequales fuerunt Theocriti, latius patere horum hiatuum usum adparet; sic Apollonius in IↃↃDCCCXXXV Argonauticorum versibus CCCCXII similes hiatus sibi concessit [1]).

Ad singulas autem versus sedes quod adtinet, maximam partem hiatuum extare videmus in arsi quinta (XX), ad quam proxime accedunt arses prima et altera, quae hac in re nil inter se differunt (in utraque XVI reperiuntur exempla), tum sequitur arsis quarta (XI); paucissimi autem in arsi tertia extant hiatus, qui non plus VIII sunt. ac dignum est memoratu in quinque horum exemplorum (III 39, 42, XI 45; II 61, 145) hiatum convenire cum interpunctione, cum e ceteris hiatibus omnibus tres tantum interpunctione sint insignes, quorum duo (V 116, XXIV 92) reperiuntur in arsi altera, unus (II 158) in arsi quarta. in pedis sexti arsi nusquam apud Theocritum longae syllabae in hiatu positae vis servatur. ea autem res non cum Kruegermanno [2]), qui Hoffmanni vestigiis hac in causa insistit, ita explicanda esse videtur, quasi propter infirmitatem huius arsis hiatus in ea ferri nequeat; verum ut apud Homerum [3]), ita etiam in Theocriti carminibus causa eius rei ex ipsa ratione, qua versum heroicum finire solebat poeta, repetenda est. inter omnes enim Theocriti hexametros LXVII modo in voculas exire monosyllabas pag. 35 vidimus; atque ex his versibus habent XL encliticas (vel voculas *μέν, δέ, γάρ*) a consonis incipientes in exitu positas, XX substantiva (velut *Ζεῦ, πῦρ, ναῦς, χείρ, γᾶς, βοῦς, νύξ*) aut alia vocabula (velut *δεῖ, χρή, νῦν, πρίν* cett.), quae eodem modo initium capiunt, ita quidem, ut in universum non plus septem hexametri voculis monosyllabis, quarum in initio leguntur vocales, finiantur.

Ratio vero, qua apud Theocritum hiatus inter arses I—V distribuuntur, neque cum usu Homerico congruit neque cum ratione, quae apud Apollonium in eadem re observatur. in Homeri enim carminibus primum locum hac in re obtinet arsis tertia, cui soli e duobus milibus exemplorum DCCV (i. e. plus tertia pars) adtribuenda sunt, cum paucissimi hiatus extent in arsibus prima et quinta (CCXC in hac, CLXXIX in illa). in Argonauticis autem Apollonii plurimi reperiuntur hiatus in versus sede quarta (CXIX inter CCCCXII exempla), cui proxime accedit altera

---

1) Cf. Rzach 'Der Hiatus bei Apollon. Rhod.' Wiener Stud. III 53.

2) Cf. l. c. p. 3.

3) Cf. Hartelium l. c. II 24 sqq.

(XCVII); deinde secuntur tertia (XCI), quinta (LXXI), prima (XXVIII). videntur vero alii poetae alias versus arses aptiores iudicasse, in quibus longarum syllabarum finalium, quae in hiatu essent positae, vis servaretur.

In hac re autem eadem, quam alibi quoque licet observare, apud Theocritum lex valet, quod longae vocales *α, η, ω* et diphthongi *ᾳ, ῃ, ῳ* in hoc hiatus genere multo saepius pro rata parte inveniuntur quam diphthongi *αι, ει, οι, ευ, ου*. illas enim in plus duabus partibus (XLVIII) omnium exemplorum legimus, has vix in parte tertia (XXII). neque debet neglegi interpunctiones in omnibus exemplis, quae habent longas vocales (vel diphtongos *ᾳ, ῃ, ῳ*), non saepius ad hiatum accedere quam in exemplis diphthongos *αι, ει, οι, ευ, ου* exhibentibus; quaterna enim in utraque hiatuum parte exempla ita comparata invenies, ut in hiatum cadat orationis distinctio (longas vocales interpunctio sequitur in vv. III 42, V 116, II 145, XXIV 92, diphthongos leviores in vv. III 39, XI 45, II 61, 158). patet igitur etiam hac ex re in Theocriti carminibus vocales longas multo firmiores sese praestare quam diphthongos et ad vim suam servandam multo minus adiumentis eius modi, quale est interpunctio, egere. varia autem carminum genera si spectamus, in primis in edylliis bucol. et mim. diphthongos leviores rarissime in hiatu, de quo sermo est, invenimus, paulo saepius in carminibus epicis.

Ut vero ad singula hiatuum exempla tractanda accedamus, in primis ii hiatus a ceteris separandi sunt, qui extant ante voces, quarum littera initialis olim fuit digamma. ac saepissime ante pronomen tertiae personae (*οἷ, ἕθεν*), cui omnes poetae Homerum secuti maiorem vim tribuerunt, longae syllabae in hiatu positae vis servatur: *a)* I 18 *καί οἱ ἀεί* I (Hom. *Λ* 789 *καί οἱ σημαίνειν* I), III 36 *δωσῶ οἱ* III; *c)* XVII 90 *ἐπεί οἱ* IV (Hom. *M* 407 id. II = *P* 577), XXIV 123 *καί οἱ ἀαγεῖς* V (Hom. *K* 328 *καί οἱ ὄμοσσεν* V), XXV 37 *οἵ οἱ ἕασιν* II (Hom. *κ* 349 *αἵ οἱ δῶμα* II), 80 *εἴ οἱ καί* I (Hom. *Ψ* 832 id. I), 203 *οἵ ἕθεν* I (Hom. *Y* 305 *οἷ ἕθεν* I). praeterea syllabarum productiones eiusdem generis his locis leguntur: *b)* II 51 *μαινομένῳ ἴκελος* II (Hom. *Ω* 758 *κεῖσαι, τῷ ἴκελος* II, Apollon. Rhod. *Δ* 1678 *τηκομένῳ ἴκελος* II), XV 110 *Ἑλένᾳ εἰκυῖα* V (Hom. *μ* 79 *περιξέστῃ ἐικυῖα* V, cf. etiam Arat. 854, 892, Quint. Smyrn. *α* 306); *c)* accedunt tres hiatus ex edylliis epicis, in quibus omnibus legitur vocula *εὖ:* XIII 15 *εὖ ἕλκων* II, XVI 13 *εὖ εἰπόντα* IV, 25 *εὖ ἕρξαι* II.

In hiatibus, qui extant ante voces, quae semper vocales habebant in initio, apud Theocritum similiter atque in Homeri carminibus[1]) in universum

[1]) Cf. Hartel. l. c. II 32 sqq., 39, 43 sq.

ea valet lex, ut vocabula, quorum syllabae finales in hiatu sunt conlocatae, maiore quodam sono sint praedita. atque in primis in censum veniunt voces monosyllabae, velut *ἤ*, quae vocula septiens ratione illa usurpatur: VII 77 (I), 88 (V); XVI 62 (I), 74 (II), XXII 58 (V), XXIV 90 (II), XXV 197 (II); cf. Hom. *O* 605, *Π* 12, *P* 227 cett. similiter res se habet in voculis: *ὤ* XV 123 (I), *ὦ* insequente vocativo: XVI 104 (I), XVIII 50 (I), XXII 22 (I), XXV 193 (I), cf. Hom. *A* 74, *Δ* 430 all., *εὖ*: VII 7 *εὖ ἐνερεισάμενος* I (Hom. *τ* 460 *εὖ ἰησάμενοι* I), *εἰ*: XXV 173 *εἰ ἐτεόν περ* I (Hom. *N* 375 *εἰ ἐτεὸν δή* I). eodem modo in hiatu articuli formae longis syllabis terminatae iam apud Homerum tum potissimum usurpantur, cum pronominis demonstrativi vice funguntur; hanc quidem significationem exhibet apud Theocritum vocula *τῷ* in v. XVII 38 *τῷ οὔπω* I (Hom. *Ξ* 126 *τῷ οὐκ ἄν* I). sed Theocritus etiam formas articuli tali vi carentes nonnumquam eadem ratione adhibuit: IV 22 *τᾷ Ἥρᾳ* I, X 30 *ἁ αἴξ* I, 33 *τᾷ Ἀφροδίτα* V, XI 12 *πολλάκι ταὶ ὄιες* II. bis legitur in hiatu huius generis dativus pronominis relativi *ᾧ*: XVII 104 *ᾧ ἐπίπαγχυ* I, ibid. 114 *ᾧ οὐ δωτίναν* I (Hom. *A* 162 *ᾧ ἔπι* I).

Dignum vero est, quod memoretur, duas partes horum hiatuum (XIV inter XXI) reperiri in arsi pedis primi. etiam in Homero ex hiatibus, in quibus monosyllabae extant voculae, plurimi (LXXX inter CCXXX) inveniuntur in arsi prima; sed apud Theocritum hunc usum etiam latius patere videmus.

Graviore sono voces quoque plus unam syllabam complectentes instructae esse possunt. atque hoc valet in primis de epithetis, quorum etiam quae tritissima sunt eamque ob causam multum pristini sui ponderis amiserunt, apud Homerum saepissime, praesertim si aliis vocabulis a substantivis suis seiunguntur, in hiatu, quem tractamus, posita reperiuntur. e Theocriti carminibus huc referendi sunt hi loci: *a)* I 98 *Ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέω ἐλυγίχθης* (V), X 28 *ἁ γραπτὰ ὑάκινθος* (V); *b)* II 46 *ἐυπλοκάμω Ἀριάδνας* (V), XIV 49 *ἀτιμοτάτη ἐνὶ μοίρῃ* (V), XV 102 *ἀενάω Ἀχέροντος* (V), 123 *λευκῶ ἐλέφαντος* (V), XVIII 28 *ἁ χρυσέα Ἑλένα* (III); *c)* XIII 49 *Ἀργείῳ ἐπὶ παιδί* (II), XVI 31 *ἐπὶ ψυχροῦ Ἀχέροντος* (V), 41 *στυγνοῦ Ἀχέροντος* (V), XVII 79 *χθαμαλὰ Αἴγυπτος* (V), XXII 141 *ἀποφθιμένου Ἀφαρῆος* (V), XXIV 27 *βαρεῖ ἐνεδήσατο δεσμῷ* (IV), 118 *βλοσυρῷ ἐπέκειτο προσώπῳ* (IV), XXV 209 *ὑπὸ ζαθέῳ Ἑλικῶνι* (V). similia exempla et apud Homerum et in aliorum poetarum carminibus sat multa reperiuntur; cf. Hom. *α* 426 *περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ* (V), ibid. 253 *ἀποιχομένου Ὀδυσῆος* (V) all.; Hes. Op. 540 *δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ* (V), Theog. 980 *πολυχρύσου Ἀφροδίτης* (V) all.; Apollon. Arg. *Δ* 60 *σκοτίῃ ἐνὶ νυκτί* (V), *A* 644 *ἐποιχομένου Ἀχέροντος* (V), *Γ* 1342 *ὑπ' ἀκαμάτῳ ἀροτῆρι*

(V) all. addi potest locis illis Theocriteis XXVI 29 *εἴη δ' ἐνναέτης ἢ καὶ δεκάτω ἐπιβαίνοι* (V), ubi in pronuntianda voce *δεκάτω* vox intenditur. videmus vero pleraque ex his exemplis (XII inter XVI) extare in arsi quinta ac saepissime hexametros, in quibus illa inveniuntur, ita esse comparatos, ut in altero hemistichio nisi in hiatus sede nulla insit incisio. atque hoc de his quoque valet hiatibus: XIV 33 *κόλπω ἐπιθυμήσασα* IV (Callim. hymn. III 237 *πολέμου ἐπιθυμήτειραι* IV); XXII 174 *ἀποσχομένω ὑσμίνης* V (Hom. *Δ* 462 *ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ, Ε* 712 idem, cett.), XXV 267 *ὑποδρύψῃ ὀνύχεσσι* V.

Nonnulli hiatuum, qui restant, eo excusantur, quod cum hexametri caesuris interpunctione adiutis congruunt. id quod saepissime fieri in caesura semiquinaria iam supra indicavimus: III 39 *καί κέ μ' ἴσως ποτίδοι, ἐπεὶ οὐκ* . . ., 42 *ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς* . . . (h. l. etiam repetita particula *ὡς,* cuius ex usu in carminibus Homericis conligitur a consona spirante eam olim incepisse, in censum venit), XI 45 *ἐντὶ δάφναι τηνεῖ, ἐντὶ ῥαδιναὶ* (neque hoc in versu anaphora verbi *ἐντί* neglegenda est); II 61 *ἐκ θυμῷ δέδεμαι, ὁ δέ μευ* . . ., 145 *οὔτ' ἐγὼ αὖ τήνῳ. ἀλλ' ἦνθε* . . . conferas quaeso cum his exemplis Hom. *ι* 534 *ὀψὲ κακῶς ἔλθοι, ὀλέσας* . . . (III), I 62 *μῦθον ἀτιμήσει, οὐδέ* . . . (III), *Β* 515 *Ἄρηϊ κρατερῷ· ὁ δέ οἱ* . . . (III) cett.; Hes. Op. 363 *ὃς δ' ἐπ' ἐόντι φέρει, ὁ δ' ἀλύξεται* . . . (III), Theog. 277 *ἡ μὲν ἔην θνητή, αἱ δ'* . . . (III) all.; Apollon. Arg. *Δ* 21 *φάρμακα πασσαμένη, Ἥρης* . . . (III), *Β* 28 *τῶν μὲν ἔτ' οὐκ ἀλέγει, ἐπὶ* . . . (III) all. bis cum hiatu in arsi altera convenit interpunctio: V 116 *ἦ οὐ μέμνᾳ, ὅκ' ἐγώ* et XXIV 92 *νυκτὶ μέσᾳ ὅκα* (Hom. *Η* 335 *οἴκαδ' ἄγῃ, ὅτ' ἄν* II, Apollon. *Γ* 1163 *ἐν χώρῃ, ὅθι* II), semel in arsi quarta: II 158 *τερπνὸν ἔχει, ἁμῶν δὲ λέλασται* (Hom. *Α* 446 *τίθει, ὁ δ' ἐδέξατο χαίρων* IV). in caesuram versus primariam etsi interpunctione carentem cadunt etiam hi duo hiatus: XXV 71 *Ἀμφιτρυωνιάδῃ Ἡρακλέι* III, ibid. 91 *ἠὲ νότοιο βίῃ ἠέ* III. ceterum priore loco nomina quoque propria aliquid adferunt excusationis, altero extat hiatus ante voculam *ἠέ*; huius autem particulae ea est natura atque vis, ut non solum ipsa (*ἤ*), id quod modo vidimus, in hiatu posita saepissime non corripiatur, sed etiam efficiat, ut praecedentes syllabae finales maneant integrae[1]) (cf. Hom. *θ* 206 *ἢ πὺξ ἠὲ πάλῃ ἢ καί* III cett.).

Hiatibus, quibus ab intervallo cum caesura coniuncto excusatio venit, haud inepte hi possunt adici: I 127 *Μοῖσαι ἴτε* IV; II 152 *ἀκράτω ἐπεχεῖτο* II; XXII 26 *ἀμφοτέρω ὑμνέων* II. primo enim loco producitur ultima syllaba vocabuli *Μοῖσαι,* quod, cum vocativus sit, haud ita arte

---

[1]) Cf. Hartel. l. c. II 33 sq.

cum sequentibus cohaeret; ceteris locis extat hiatus in sede incisionis semiternariae ac vocabulum *ἀμφοτέρῳ* graviore sono effertur.

Itaque ex omnibus hiatus, de quo nunc verba fiunt, exemplis haec quattuor superant: XVIII 58 *γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης* IV; XVII 106 *δόμῳ ἐνὶ πίονι χρυσός* IV, XXII 94 *Τιτυῷ ἐναλίγκιος ἀνήρ* IV, XXV 274 *ἐπεὶ οὐκ ἔσκε σιδήρῳ* IV; quos hiatus omnes extare videmus in arsi quarta. in versu quidem XXII 94 graviore pondere vocis *Τιτυῷ* hiatus explicatur, cum versibus autem XVIII 58 et XVII 106 conferas velim exempla Homerica, velut *E* 479 *Ξάνθῳ ἔπι δινήεντι* IV, *M* 168 *ὁδῷ ἔπι παιπαλοέσσῃ* IV cett.; hiatui, qui est in v. XXV 274, duo prorsus similes in Odyssia extant: *ε* 364 *νήξομ', ἐπεὶ οὐ μέν τι* et *ϑ* 585 *ἐσϑλός; ἐπεὶ οὐ μέν τι,* quos locos Hoffmann[1]) legi, quam sibi finxerat, nimis indulgens iniuria immutandos esse statuit.

β.

S y l l a b a s   f i n a l e s   i n   h i a t u   c o n l o c a t a s   etiam in thesi produci posse iam p. 99 memoravimus. Theocritus autem, qui severiores in admittendo hiatu sequebatur leges, eius modi productiones syllabarum rarissime sibi concessit. inveniuntur quidem in carminibus eius haec exempla: *a*) I 74 *πολλαί οἱ* (I)[2]), IX 19 *χόρια ζεῖ, ἐν πυρί* (IV); *b*) XV 129 *ὀκτωκαιδεκέτης ἢ ἐννεακαίδεχ' ὁ γαμβρός* (III); *c*) XVII 17 *καί οἱ χρύσεος* (II), XXV 57 *ἥ οἱ νήριϑμος* (III), 170 *ἀτρεκέως ἢ Ἄργεος* (III), 275 *τμητὴ οὐδὲ λίϑοις* (I); XII 30 *αἰεί οἱ περὶ τύμβον* (I). in edylliis incertae originis nullum hiatus exemplum, quod huc pertineat, invenitur. sunt igitur VIII hiatus, quorum duo extant in pede primo, totidem in altero, tres in tertio; in thesi quarta unus huius generis hiatus reperitur; sed quid statuendum sit de hoc loco, infra videbimus.

In naturam singulorum exemplorum si inquirimus, ante omnia memorandum est quattuor ex his octo locis (I 74; XVII 17, XXV 57, XII 30) ita esse comparatos, ut hiatum excipiat dativus pronomis personae tertiae *οἱ*. huic vero pronomini poetae Graeci, quo quisque propius ad usum Homericum accedit, eo maiorem vim in hiatu tollendo syllabisque producendis tribuunt. atque apud Theocritum tanta eiusdem pronominis vis observari potest, ut duobus locis in carminibus epicis vel breves vocales dativum *οἱ* praecedentes in arsi positae producantur: XXIV 42 *ὅ οἱ ὕπερϑεν* V (Hom. *X* 307 *τό οἱ ὑπὸ λαπάρην* I) et XXV 138 *καὶ σϑένεϊ ᾧ* VI (= Hom. *Π* 542); de brevibus autem syllabis finalibus, quae exeunt in consonas, insequente eodem

---

[1]) Cf. Quaestt. Hom. p. 72.

[2]) Ut supra numeris additis arses, ita in hoc hiatus genere theses significantur.

pronomine in thesi productis conferas quaeso p. 80. itaque minime mirandum est Theocritum ad usum Homericum se adplicantem quater correptiones longarum vocalium vel diphthongorum ante voculam οἷ in thesi neglexisse; cf. Hom. *Ο* 349 αὐτοῦ οἱ (I), *Ζ* 91 καί οἱ πολύ (III), *Γ* 387 ἥ οἱ Λακεδαίμονι II cett.

Restant quattuor exempla, in quibus hiatum vocabula, quae semper a vocalibus initium capiebant, secuntur. in his exhibent duo (XV 129 et XXV 170) particulam ἠ in thesi productam, cuius quae sit vis in huius modi hiatibus, ab Hartelio expositum est[1]). in utroque versu illud ἠ conlocatum est in thesi tertia. atque hiatus ab omni parte similes et apud Homerum inveniuntur et apud alios poetas epicos; cf. Hom. *Α* 151 ἐλθέμεναι ἢ ἀνδράσιν (III), *Θ* 514 ἰῷ ἢ ἔγχει (III) cett.; Hes. Theog. 6 κρήνης ἢ Ὀλμειοῦ (III), Scut. 407 ὀρεσσινόμου ἢ ἀγροτέρης (III); Apollon. Argon. *Β* 698 κεμάδων ἢ ἀγροτεράων (III) all. maiore licentia usus est Theocritus in v. XXV 275 τμητὴ οὐδὲ λίθοις. ac Meineke[2]) facile aliquem suspicari posse dicit τμητή γ' οὐδέ legendum esse particulam illam notissimam h. l. non inutilem esse existimans; posse autem etiam transpositis vocabulis scribi οὐδὲ λίθοις τμητή. sed ipse in verbis traditis nil mutavit idque iure eum fecisse arbitror. primum enim respiciendum est hunc locum inesse in carmine epico omnium, quae extant, edylliorum Theocriti amplissimo, in quo poeta proxime ad liberiorem in admittendis hiatibus usum aliorum poetarum epicorum accessit. adde quod extat hiatus ille in thesi pedis primi, in quo spondeorum usum latissime patere frequentissimeque breves syllabas finales produci supra vidimus. accedit repetitio vocis οὐδέ: ἐπεὶ οὐκ ἔσκε σιδήρῳ | τμητὴ οὐδὲ λίθοις πειρωμένῳ, οὐδὲ μὲν ὕλῃ. ex Homeri carminibus conferas quaeso cum hoc hiatu α 329 κούρη Ἰκαρίοιο (I), *Π* 734 σκαιῇ ἔγχος ἔχων (I) all., ex Apollon. Arg. *Α* 251 δειλὴ Ἀλκιμέδη, quamquam hoc loco similiter atque in versu Hom. α 329 etiam nomen proprium in censum venit.

Prorsus diversa est condicio hiatus, qui restat. invenitur is in carminibus bucol. IX 19 χόρια ζεῖ, ἐν πυρὶ δ' αὖαι (IV). hic vero hiatus solus in thesi quarta extat; inter exempla autem quattuor, in quibus hiatum voces excipiunt, quae semper vocales habebant in initio, in illo hiatu solo diphthongi correptio neglegitur eiusque levissimae. huc si addimus offensionem, quam in versu illo spondeus pedis quarti praebet[3]), non possumus non probare Brunckii coniecturam, qui lenissima immutatione facta ζέει pro ζεῖ scribendum esse proposuit.

---

1) l. c. II 33.
2) Cf. edit. eius p. 385.
3) Cf. p. 57 sq.

B.

Inlustratis rationibus, quas Theocritus observasse videtur in producendis syllabis in hiatu positis, iam ad id hiatuum genus percensendum transeamus, in quo syllabae longae corripiuntur quodque, cum sit frequentissimum, vulgo pro legitimo habetur [1]. atque quotiens in singulis

---

[1]) In adferendis exemplis huc spectantibus ut eandem, quam supra, viam ineamus, ipsa ratio postulat. atque indicabo etiam, in quibus versus sedibus singuli hiatus reperiantur, qua in re huius modi signis uti mihi in animo est: I 1, I 2, II 1, II 2 e. q. s. significabo igitur, ut rem exemplis inlustrem, numeris I 2 alteram primae thesis partem, signo II 1 priorem alterius thesis partem, signo IV 2 alteram quartae thesis partem e. q. s. iam habes locorum singulorum indicem:

α: *a)* III 39 *ἀδαμαντίνα ἐστίν* (V 2), V 48 *σκιὰ οὐδέν* (IV 2), 124 *Ἱμέρα ἀνθ'* (I 2), VII 67 *πεπυκασμένα ἔστ'* (IV 2), 75 *Ἱμέρα αἶτε* (I 2), VIII 72 *κόρα ἐχθές* (IV 2), X 46 *ἁ τόμα ὔμμιν* (V 2), XI 2 *Νικία οὔτ'* (I 2), 20 *ἀπαλωτέρα ἀρνός* (V 2), 21 *σφριγανωτέρα ὄμφακος* (IV 2), 25 *κόρα, ἀνίκα* (IV 2); *b)* II 38 *ἁ δ' ἐμὰ οὐ* (I 2), 64 *μώνα ἐοῖσα* (II 1), 127 *θύρα εἴχετο* (IV 2), 131 *δευτέρα ἐκ* (IV 2), XIV 10 *Αἰσχίνα, ἀσυχᾷ* (IV 2), 58 *Αἰσχίνα. εἰ* (I 2), 65 *Αἰσχίνα. ὥστ'* (I 2), XV 1 *φίλα, ὡς* (IV 2), 2 *Εὐνόα αὐτῇ* (V 2), 27 *Εὐνόα, αἶρε* (I 2), 53 *ἀνέστα ὁ πυρρός* (II 1), 54 *Εὐνόα, οὐ* (I 2), 67 *Εὐνόα Εὐτυχίδος* (I 2), 68 *Εὐνόα ἀμῶν* (V 2), 76 *Εὐνόα ἄμιν* (II 2), 146 *ὀλβία ὅσσα* (I 2) et *πανολβία ὡς* (IV 2), 147 *ὥρα ὅμως* (I 2), XVIII 20 *οἵα Ἀχαιϊάδων* (I 1); *c)* XIII 2 *Νικία, ᾧ τινι* (I 2), XVI 12 *ἕδρα, ἐπήν* (III 1), XVII 21 *τετυγμένα ἐξ* (IV 2), 61 *βεβαρημένα ὠδίνεσσιν* (IV 2), XXIV 135 *τετυγμένα ἄγχοθι* (IV 2), XII 4 *λασιωτέρα ἀρνός* (V 2); *d)* XX 27 *γλυκερωτέρα ἢ μέλι* (IV 2), XXI 34 *σχολά ἐστι* (II 2).

ᾳ: *a)* I 63 *οὔ τι πᾳ εἰς* (I 2), V 10 *δεσπότᾳ ἧς* (IV 2), VII 114 *πέτρᾳ ὕπο* (I 1), VIII 45 *παντᾷ ἔαρ* (I 2), X 2 *δύνᾳ, ὡς* (IV 2), 9 *ἐργάτᾳ ἀνδρί* (V 2); *b)* XIV 2 *Αἰσχίνᾳ. ὡς* (I 2), 10 *ἀσυχᾷ ὀξύς* (V 2), 27 *ἀσυχᾷ οὑτῶς* (V 2); *c)* XXIV 110 *πυξίνᾳ ἐν* (I 2), epigr. VIII 3 *Νικίᾳ, ὅς* (I 2).

η: *a)* I 152 *μὴ ὁ τράγος* (III 2), IV 48 *εἰ μὴ ἄπει* (I 1), V 83 *δὴ ἐφέρπει* (V 1), VIII 54 (pentam.) *εἴη ἔχειν* (I 1); *b)* XIV 17 *ἐξηρέθη, ἧς* (IV 2), XV 25 *τῷ μὴ ἰδόντι* (V 1), 26 *εἴη. ἀεργοῖς* (III 1), XVIII 30 *ἢ ἅρματι* (III 2); *c)* XXII 6 *ἤδη ἐόντων* (V 1), 11 *πρῴραθεν, ἢ ὅππᾳ* (III 2), 155 *ἤδη ἑτοῖμοι* (V 1), 168 *πνοιὴ ἔχουσ'* (I 1), XXV 33 *ἢ δίκη οἰκήων* (I 2), 89 *νέφη ὑδατόεντα* (IV 2); *d)* XXVII 43 *τιμίη ἐσσί* (II 2), epigr. XVI 5 *Περιστέρη, ὡς* (*Περιστέρη* exhibet cod. c, — *στερή* cod. k, Ziegler edid. *Περιστερί*).

ῃ: *a)* XI 71 *ἀνιαθῇ, ἐπει* (III 1); *b)* XVIII 57 *κελαδήσῃ ἀνασχών* (III 1); *c)* XXII 14 *εἰκῇ ἀποκλασθέντα* (I 1), 205 *ἐστίῃ εἶδε* (IV 2), XXIV 78 *ἔσῃ Ἀργείαισι* (IV 2), XXV 20 *κείνῃ, ὅθι* (I 1), XII 36 *Λυδίῃ ἶσον* (I 2).

ω: *a)* I 115 *ὦ ἀν' ὤρεα* (III 1), 147 *Αἰγίλω ἰσχάδα* (IV 2), III 25 *τηνῶ ἀλεῦμαι* (V 1), 28 *μεμναμένω, εἰ* (IV 2), V 25 *ἴσω ἀμίν* (V 2), 72 *Θουρίω ἐστί* (IV 2), 98 *ἐγὼ ἐς* (I 2), 134 *ἐγὼ Εὐμήδευς* (I 2), VII 27 *τὸν δ' ἐγὼ ἀμείφθην* (I 2), 33 *ὄλβω ἀπαρχόμενοι* (I 1), 40 *Σάμω οὐδέ* (IV 2), VIII 3 *πυρροτρίχω, ἄμφω* (IV 2) et *ἄμφω ἀνάβω* (V 1), 4 *δεδαημένω, ἄμφω* (IV 2) et *ἄμφω ἀείδεν* (V 1), 7 *θέλω αὐτός* (IV 2), 18 *ἔχω ἐννεάφωνον* (IV 2), 19 *κάτω, ἶσον* (IV 2), 21 = 18, IX 30 *μή πω ἐπί* (I 1), X 5 *μέσω ἄματος* (IV 2), 12 *ἐγὼ ὦ Μίλων* (I 2), 13 *ἐκ πίθω ἀντλεῖς* (I 2) et *ἔχω οὐδ'* (IV 2), 14 *σπόρω ἄσκαλα* (IV 2), 37 *ἔχω εἰπεῖν* (V 2), XI 14 *αὐτῶ ἀπ' αἰόνος* (I 1), 51 *ὑπὸ*

versus sedibus variae syllabae in hiatu positae corripiantur, his ex tabellis facile potest perspici:

σποδῷ ἀκάματον (IV 2); *b)* II 95 *νόσω εὗρέ* (IV 2), 145 *οὔτ' ἐγὼ αὖ* (I 2), XIV 7 *ὀπτῶ ἀλεύρω* (V 1), 36 *ἔξω ἀπῴχετο* (I 1), 46 *ἐξ ὧ ἀπ'* (I 1), 53 *Ἐπιχάλκω ἐρασθείς* (V 1), 69 *ἐπισχερὼ ἐς* (IV 2), XV 24 *ὀλβίω ὄλβια* (IV 2), 47 *ἐξ ὧ ἐν* (I 1), 123 *ὦ ἐκ λευκῶ* (III 2), 131 *χαιρέτω ἄνδρα* (V 2); *c)* XIII 38 *ἄμφω ἑταῖροι* (II 1), XVI 18 *ἀπωτέρω ἤ* (IV 2), 64 *χαιρέτω ὅς* (I 2), XVII 11 *καταλέξω; ἐπεί* (III 1), 135 *ἐγὼ ἶσα* (IV 2), XXII 35 *ἄμφω ἐρημάζεσκον* (I 1), 68 *σύνερείσω ἱμάντας* (V 1), 139 *ἀδελφεὼ υἷ'* (IV 2), 170 *ἀνεψιὼ ἐκ* (IV 2), XXIV 8 *ἀδελφεώ, εὔσσα* (IV 2), 9 *ἀῶ ἴδοιτε* (V 1), 94 *ῥιψάτω εὖ* (I 2), XXV 4 *Ἑρμέω ἀζόμενος* (I 2), 235 *τῷ δ' ἐγὼ ἄλλον* (I 2); *d)* XXI 24 *κοὐδέπω ἀώς* (V 2), XXVII 15 *χαιρέτω ἁ* (I 2), 17 *βαλλέτω ὡς* (I 2), 46 *βουκόλω ἔργα* (IV 2), epigr. XV 3 *χαιρέτω οὗτος* (I 2).

ῳ: a) I 31 *καρπῷ ἕλιξ* (I 1), 53 *σχοίνῳ ἐφαρμόσδων* (I 1), 57 *Καλυδωνιῳ αἶγα* (IV 2), 86 *αἰπόλῳ ἀνδρί* (IV 2), V 96 *παρθένῳ αὐτίκα* (IV 2), VI 4 *μέσῳ ἄματι* (III 2), VII 14 *αἰπόλῳ ἔξοχ'* (IV 2), 61 *διζημένῳ ἐς* (IV 2), VIII 80 *βουκόλῳ αἰ* (IV 2), X 56 *ἁλίῳ ἄνδρας* (IV 2), XI 10 *ῥόδῳ οὐδέ* (IV 2); *b)* II 2 *φοινικέῳ οἰός* (V 2), 54 *ἀγρίῳ ἐν* (IV 2), XIV 59 *ἐλευθέρῳ οἷος* (IV 2), XV 1 *χρόνῳ. ἔνδοι* (V 2), 73 *ἐν καλῷ εἰμές* (V 2), 74 *ἐν καλῷ εἴης* (V 2), 117 *ὑγρῷ ἐλαίῳ* (V 1), 127 *τῷ Ἀδώνιδι* (III 1) et *καλῷ ἁμά* (V 2), 132 *δρόσῳ ἀθρόαι* (IV 2); *c)* XIII 17 *αὐτῷ ἀριστῆες* (III 1), 40 *ἡμένῳ ἐν χώρῳ* (I 2), XVII 57 *Πτολεμαίῳ ἀρίζηλος* (III 1), 117 *ὀλβίῳ ἤ* (I 2), XXII 13 *ἱστίῳ ἄρμενα* (IV 2), 38 *ἀκηράτῳ· αἱ δ'* (IV 2), 39 *ἀργύρῳ ἰνδάλλοντο* (IV 2), 94 *χώρῳ ἐνί* (I 1), 198 *σκαιῷ· ὁ δέ* (I 1), XXIV 31 *τροφῷ αἰέν* (IV 2), 43 *πασσάλῳ αἰέν* (IV 2), 98 *θαλλῷ ἐπιρραίνειν* (I 1) et *ἐστεμμένῳ ἀβλαβές* (IV 2), 99 *καθυπερτέρῳ ἄρσενα* (IV 2), 125 *προβολαίῳ ὑπ' ἀσπίδι* (III 1), XXV 90 *οὐρανῷ εἶσιν* (II 2), 133 *ἐν νομῷ· ὧδ'* (I 2), 143 *αὐτῷ ἔπειτ'* (I 1) et *ἐνσκόπῳ Ἡρακλῆι* (IV 2), 148 *ὤμῳ ἐπιβρίσας* (I 1), 228 *ἐν τρίβῳ ὑλήεντι* (I 2), 261 *ὀστέῳ ἐγκεφάλοιο* (IV 2), 275 *πειρωμένῳ, οὐδέ* (IV 2), XII 15 *ζυγῷ. ἦ ῥα* (IV 2), fr. Beren. 2 *κείνῳ ἄροτρα* (V 1), 3 *θεῷ ἱερόν* (IV 2), epigr. XIII 3 *οἴκῳ ἐν* (I 1); *d)* XXI 8 *φυλλίνῳ· ἐγγύθι* (IV 2), XXVII 21 *κακωτέρῳ ἀνέρι* (IV 2), 47 *παρθένῳ ἄλσεα* (IV 2), epigr. XVI 1 *ἑβδόμῳ ἦδ'* (IV 2).

αι: *a)* I 1 *καὶ ἁ πίτυς* (III 2), 2 *μελίσδεται, ἁδύ* (IV 2), 8 (IV 2), 17 (IV 2), 26 (IV 2), 29 (IV 2), 31 (III 1), 33 (III 2), 35 (V 2), 36 (IV 2), 55 (IV 2), 64 (IV 2, qui versus iteratur 70, 73, 76, 79, 84, 89 [108, 111]), 82 (IV 2), 85 (IV 1), 88 (I 2), 91 (I 2), 95 (III 2), 103 (IV 2), 130 (V 2), 134 (III 2), 145 (III 1), 147 (III 1); III 2 (III 1), 8 (IV 2), 11 (III 2), 13 (III 2), 17 (III 1), 20 (I 2), 21 (III 2), 26 (IV 2), 31 (I 2), 35 (I 2), 37 (I 2), 50 (IV 2); IV 10 (III 2), 12 (IV 2), 14 (III 2), 16 (IV 2), 21 (IV 2), 23 (IV 2), 25 (III 2), 28 (IV 2), 31 (IV 2), 39 (IV 2), 54 (V 2), 55 (III 2), 57 (III 2); V 22 (IV 2), 25 (IV 2), 31 (IV 2), 33 (IV 2), 34 (III 2), 35 (IV 2), 39 (V 1), 40 (III 2), 42 (III 2), 44 (III 2), 48 (III 2), 49 (III 2), 50 (III 2), 54 (III 2), 60 (III 2), 63 (IV 2), 65 (IV 2), 89 (III 2), 99 (V 2), 120 (IV 2), 128 (III 2), 129 (III 2), 131 (III 2); VI 15 (I 2 et IV 2), 17 (III 2), 25 (I 2), 27 (IV 2); VII 1 (III 2), 5 (V 2), 24 (IV 2), 31 (I 2), 35 (V 2), 43 (IV 2), 45 (IV 2), 52 (I 2), 62 (III 2), 70 (III 2), 74 (III 2), 107 (V 2), 110 (III 2), 116 (I 2), 131 (III 2), 141 (III 1); VIII 11 (V 1), 12 (V 1), 25 (V 2), 47 (IV 2), 55 (IV 2), [77 (IV 2)], 82 (III 1), 85 (II 2), 88 (III 1), 90 (III 1); IX 4 (III 2), 6 (IV 2), 22 (III 2), 32 (V 2), 35 (IV 2); X 5 (III 2), 15 (IV 2), 17 (IV 2), 20 (I 2), 28 (III 2), 34 (III 2), 47 (IV 2); XI 3 (V 2), 12 (V 1), 27 (III 1), 28 (III 2), 38 (IV 2), 42 (III 2), 51 (III 1), 58 (IV 2), 63 (III 2),

vocales et diphthongi	I thesis		II thesis		III thesis		IV thesis		V thesis		summa	
	1	2	1	2	1	2	1	2	1	2		
					a) in cc. bucol.							
α	—	3	—	—	—	—	—	5	—	3	11	60
ᾳ	1	2	—	—	—	—	—	2	—	1	6	
η	1	—	—	—	—	1	—	—	1	—	3	
ῃ	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	
ω	3	5	—	—	1	—	—	14	3	2	28	
ῳ	3	—	—	—	—	1	—	8	—	—	11	
αι	—	12	—	1	12	40	1	42*	4	12	124	178
ει	—	1	—	—	—	3	—	6	1	—	11	
οι	5	8	1	1	3	3	—	10	3	5	39	
ευ	—	—	—	—	2	—	—	2	—	—	4	
ου	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	12	31	1	2	19	48	1	89	12	23	238	

* Versum intercalarem I 64 semel tantum numeravi.

67 (V 2), 78 (III 1), 79 (V 2); *b)* II 3 (V 2), 9 (IV 2), 10 (IV 2), 11 (IV 2), 14 (III 2), 18 (IV 2), 34 (III 2), 40 (IV 2), 41 (IV 2), 44 (IV 2 et V 2), 49 (III 1 et V 2), 50 (III 2), 55 (I 1), 72 (III 1), 77 (III 2), 90 (III 2), 101 (IV 1), 102 (III 2), 113 (III 2), 127 (III 2), 132 (I 2), 141 (III 2), 143 (III 2), 149 (III 2), 150 (V 2), 152 (III 2), 159 (IV 2); XIV 12 (III 1), 18 (V 1), 45 (V 1), 66 (III 1), 69 (III 1); XV 12 (IV 2), 25 (III 1), 27 (III 2), 57 (V 2), 64 (III 2), 68 (I 1), 72 (IV 2), 73 (IV 2), 76 (I 2), 77 (III 1), 79 (I 1), 82 (III 2), 88 (V 1), 89 (V 2), 91 (IV 2), 92 (I 1), 99 (V 2), 100 (III 2), 104 (IV 2), 111 (V 1), 112 (III 1), 118 (III 2), 120 (V 1), 132 (V 2), 135 (III 1), 136 (III 2), 142 (III 2), 143 (III 2), 144 (III 2), 149 (III 2); XVIII 7 (III 1), 14 (IV 1 et V 1), 28 (I 2), 31 (I 2), 32 (IV 2), 35 (IV 2), 36 (III 2), 39 (III 2), 40 (IV 2), 41 (IV 2), 43 (IV 2), 47 (IV 2); *c)* XIII 3 (V 2), 5 (I 2), 9 (III 1), 37 (III 2), 42 (III 2), 44 (I 1 et IV 2). 47 (I 1 et V 1), 75 (III 2); XVI 3 (II 2 et IV 2), 6 (V 2), 9 (III 1), 16 (V 2), 18 (III 1), 20 (III 1), 21 (V 2), 24 (V 1), 25 (V 2), 27 (IV 2) 28 (III 1), 30 (I 2), 31 (III 1), 42 (III 2), 46 (III 2), 51 (III 2), 58 (IV 2), 66 (III 2), 67 (III 2), 73 (I 2), 81 (I 2), 99 (IV 1), 101 (V 2), 103 (III 2), 104 (IV 2), 105 (III 1); XVII 1 (III 2), 8 (III 2), 10 (V 2), 25 (III 1), 27 (III 1), 28 (I 1), 33 (I 2), 77 (I 2 et III 2), 86 (IV 2), 88 (III 2), 91 (V 2), 96 (V 2), 105 (V 2), 113 (V 1), 115 (III 1), 118 (I 2), 120 (III 1), 121 (III 2), 122 (V 2), 131 (I 2) 133 (V 2), 135 (V 2), 136 (I 2), 137 (I 2); XXII 1 (III 2), 8 (III 2), 11 (I 2) 16 (III 2), 17 (III 2), 24 (III 1), 32 (IV 1), 41 (III 2), 51 (III 2), 63 (I 2), 67 (III 1), 71 (IV 2), 109 (III 2), 117 (I 2 et III 2), 124 (IV 1), 129 (III 1), 140 (IV 1), 150 (I 2 et III 2), 153 (III 2), 158 (II 2), 160 (I 2), 164 (II 1), 169 (III 1), 173 (II 1), 193 (III 2), 202 (III 2), 213 (III 2), 214 (III 2), 215 (III 2), 221 (II 1), 222 (III 2); XXIV 3 (III 2), 7 (IV 1), 9 (III 2), 24 (III 1), 34 (IV 1), 67 (III 1 et V 1), 69 (III 2), 75 (V 2), 76 (I 1), 81 (III 2), 84 (IV 2), 87 (III 1), 101 (I 1), 107 (III 1 et V 1), 109 (III 2), 119 (III 1), 126 (V 1), 128 (III 2), 130 (III 2), 137 (III 2); XXV 3 (IV 2), 8 (III 1), 9 (III 1), 11 (V 2), 19 (I 2), 24 (IV 1), 28 (III 1), 30 (III 1), 35 (I 2), 37 (I 2), 39 (I 2 et V 2), 44 (III 2), 58 (IV 2), 59 (V 2), 67 (V 2), 79 (IV 2), 81 (V 2),

vocales et diphthongi	I thesis		II thesis		III thesis		IV thesis		V thesis		summa	
	1	2	1	2	1	2	1	2	1	2		
					b) in cc. mim.							
α	2	7	2	1	—	—	—	5	—	2	19	48
ᾳ	—	1	—	—	—	—	—	—	—	2	3	
η	—	—	—	—	1	1	—	1	1	—	4	
ῃ	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	
ω	3	1	—	—	—	1	—	3	2	1	11	
ῳ	—	—	—	—	1	—	—	4	1	4	10	
αι	4	4	—	—	9	25	3	18	6	8	77	117
ει	1	—	—	—	—	—	—	6	—	4	11	
οι	2	7	—	—	3	—	—	9	3	4	28	
ευ	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1	
ου	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	12	20	2	1	15	27	3	47	13	25	165	
					c) in cc. epicis							
α	—	1	—	—	1	—	—	3	—	1	6	60
ᾳ	—	2	—	—	—	—	—	—	—	—	2	
η	1	1	—	—	—	1	—	1	2	—	6	
ῃ	2	1	—	—	—	—	—	2	—	—	5	
ω	4	1	1	—	1	—	—	5	2	—	14	
ῳ	6	4	—	1	3	—	—	12	1	—	27	
αι	7	24	3	2	30	51	7	19	10	28	181	295
ει	4	1	—	—	2	2	—	7	1	—	17	
οι	11	11	3	5	5	—	—	27	4	6	72	
ευ	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	2	
ου	7	3	1	—	—	—	—	10	—	2	23	
	42	49	8	8	42	54	7	88	20	37	355	
					in omnibus Theocr. cc. gen.							
in universum	65	100	11	11	76	129	11	224	45	85	757	

83 (III 2), 84 (I 2), 88 (IV 2 et V 1), 94 (IV 2), 112 (I 2), 113 (III 1), 119 (V 2), 132 (I 1), 166 (III 2), 172 (V 1), 173 (IV 2), 174 (I 2 et IV 2), 178 (IV 2 et V 2), 180 (V 2), 187 (III 1), 196 (V 1), 216 (III 2), 218 (V 2), 224 (III 2), 246 (V 2), 253 (III 1), 254 (III 1), 259 (III 1), 276 (I 2), 278 (III 2), 281 (III 2); XXVI 2 (V 1), 4 (III 2), 15 (V 2), 23 (III 2), 25 (IV 2), 26 (III 2), 30 (III 2), 35 (I 1 et V 2), 36 (IV 2); XII 1 (V 2); fragm. Ber. 1 (III 1 et V 2), 5 (III 2); epigr. I 1 (III 2), VIII 1 (I 2); *d)* XIX 4 (III 2), 6 (III 2); XX 13 (III 2), 28 (III 2), 36 (III 2), 39 (III 2); XXI 11 (III 2), 45 (IV 2), 51 (III 2); XXIII 3 (III 2), 6 (III 2), 14 (V 2), 20 (II 1), 25 (I 2), 27 (IV 2), 28 (III 2), 30 (IV 2), 31 (IV 2), 39 (III 2); XXVII 4 (I 2), 5 (III 1), 8 (IV 2), 9 (III 2), 16 (III 2), 18 (III 2), 23 (I 1), 31 (V 2), 35 (III 2), 36 (V 2), 40 (III 2), 44 (V 2), 52 (III 2), 56 (IV 2), 63 (III 2); epigr. III 3 (III 1), 5 (IV 2), IV 7 (III 2), VI 3 (I 2), 6' (pent. IV 2), VII 1 (V 2), 4 (pent. IV 2), VIII 1 (I 2), IX 1 (V 2), 4 (pent. IV 1), XV 1 (I 1 et V 1), XVI 5 (I 1).

vocales et diphthongi	I thesis		II thesis		III thesis		IV thesis		V thesis		summa	
	1	2	1	2	1	2	1	2	1	2		
d) in cc. dubiae orig.												
α	—	—	—	1	—	—	—	1	—	—	2	13
ᾳ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
η	—	—	—	1	—	—	—	1	—	—	2	
ῃ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
ω	—	3	—	—	—	—	—	1	—	1	5	
ῳ	—	—	—	—	—	—	—	4	—	—	4	
αι	3	4	1	—	2	20	—	7	1	6	44	59
ει	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	2	
οι	—	1	—	—	3	1	—	5	—	1	11	
ευ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
ου	—	—	—	—	—	1	—	—	1	—	2	
	3	8	1	2	5	22	—	21	2	8	72	

ει: *a)* I 52 *πλέκει ἀκριδοθήραν* (IV 2), III 39 *ἐπεὶ οὐκ* (III 2), 52 *μέλει· οὐκέτ* (IV 2), IV 43 *πέλει αἴθριος* (III 2), V 62 *κρινεῖ; αἴθ'* (I 2), 85 *λέγει ›αὐτὸς ἀμέλγεις‹* (IV 2), VII 14 *ἐπεὶ αἰπόλῳ* (III 2), VIII 17 *ἔξεῖ ὁ νικῶν* (V 1), XI 2 *δοκεῖ, οὔτ'* (IV 2), 29 *μέλει, οὐ* (IV 2), 36 *θέρει οὔτ'* (IV 2); *b)* XIV 7 *δοκεῖ, ὀπτῶ* (IV 2), 29 *ἐν βάθει ἧμες* (V 2), 58 *δοκεῖ ὥστ' ἀποδαμεῖν* (IV 2), 64 *δεῖ οὐκ* (IV 2), 70 *δεῖ, ἅς* (IV 2), XV 13 *λέγει ἀπφῦν* (V 2), 31 *ἔγχει ὕδωρ* (I 1), 40 *δάκνει ἵππος* (V 2), 55 *μένει ἔνδον* (V 2), XVIII 20 *πατεῖ οὐδέ* (IV 2); *c)* XVI 1 *μέλει, αἰέν* (IV 2), 96 *ἀχεῖ ἐν* (I 1), XVII 22 *ἔχει οὐρανίδαισι* (IV 2), 45 *κάλλει ἀριστεύουσα* (I 1), 79 *φύει, ὅσα* (III 1), 81 *ἔχει ἔργα* (IV 2), XXII 43 *ἐπιβρύει ἂν λειμῶνας* (IV 2), 80 *οἱ δ' ἐπεὶ οὖν* (I 2), 171 *ποθεῖ, αἵματι* (IV 2), XXIV 35 *ἴσχει ὀκνηρόν* (V 1), 73 *θάρσει ἀριστοτόκεια* (I 1), 79 *μέλλει ἐς* (III 1), 123 *Ἄργει ἐν* (I 1), XXV 38 *ἐπεὶ οὐ* (III 2), 40 *ἐπιπρέπει. ἦ ῥά νυ* (IV 2), 184 = 38, XXVI 31 *ἔχει αἰετός* (IV 2); *d)* epigr. XIV 1 *νέμει ἥδε* (IV 2), XV 3 *ἐπεὶ Εὐρυμέδοντος* (IV 2).

οι: *a)* I 18 *καί οἱ ἀεί* (I 1), 33 *πὰρ δέ οἱ ἄνδρες* (V 2), 43 (I 2), 53 (IV 2), 71 (IV 2), 80 (V 2), 115 (I 2); III 1 (V 2), 11 (V 2), 22 (I 1), 36 (III 1 et IV 2), 53 (IV 2); IV 1 (I 2), 2 (IV 2); V 8 (I 1), 11 (II 1), 18 (I 2), 72 (I 2); VII 20 (IV 2), 43 (I 1), 50 (V 1), 87 (I 1); VIII 6 (V 1), 41 (IV 2), 86 (V 2); IX 10 (V 1), 16 (IV 2), 20 (IV 2); X 10 (III 1), 14 (III 1), 32 (I 2), 33 (I 2), 45 (II 2); XI 16 (III 2), 40 (IV 2), 47 (III 2), 50 (I 2), 54 (I 1), 56 (IV 2); *b)* II 6 (V 2), 72 (IV 2), 98 (IV 2), 138 (IV 2), 145 (IV 2), 149 (I 2), 154 (I 2), 161 (I 2); XIV 36 (V 1), 48 (IV 2); XV 6 (V 2), 35 (V 1), 44 (I 2), 46 (I 2), 49 (IV 2), 61 (IV 2), 87 (III 1), 112 (I 2), 113 (IV 2), 120 (III 1), 121 (I 1), 122 (IV 2), 124 (I 2), 125 (V 2), 141 (I 1); XVIII 17 (III 1), 21 (V 1), 37 (V 2); *c)* XIII 11 (IV 2), 18 (IV 2), 38 (III 1), 46 (I 1), 57 (II 2), 66 (I 2); XVI 4 (II 2 et IV 2), 12 (V 1), 34 (I 1), 47 (IV 2), 64 (V 2); XVII 41 (IV 2), 62 (I 2), 75 (IV 2), 94 (IV 2); XXII 23 (IV 2 et V 2), 36 (IV 2), 49 (III 1 et IV 2), 54 (IV 2), 95 (I 1), 118 (I 1), 135 (III 1), 154 (II 2), 155 (IV 2), 162 (V 2), 163 (IV 2), 179 (I 2), 180 (II 1), 210 (IV 2); XXIV 9 (I 2 et IV 2), 20 (IV 2), 23 (I 1), 29 (IV 2), 33 (IV 2), 42 (V 1), 44 (I 1), 54 (I 1), 88 (III 1),

accedunt sex huius modi hiatus exempla, quae in pentametris reperiuntur; atque quattuor eorum extant in epigrammatis dubiae originis.

Cum in hiatibus supra tractatis multo plura viderimus exempla, quae longas vocales (vel diphthongos *ᾳ, ῃ, ῳ*) quam quae diphthongos *αι, ει, οι, ευ, ου* exhibent, in hoc hiatus genere res prorsus diversa est. itaque etiam hinc conligere licet vocales longas firmiores esse quam diphthongos; hae enim cum e binis constent partibus, facile in eas dissolvuntur, ita quidem, ut pars posterior vim accipiat litterae consonantis, prior autem non plus quam syllaba brevis valeat[1]). in primis diphthongi *αι* et *οι* hac in re nominandae sunt; nam etsi negari nequit harum terminationum omnino in lingua Graeca amplissimos esse fines, tamen recte se habere iudicium, quod protulimus de earum vi, iam ex comparatione hiatuum, in quibus corripiuntur syllabae, cum hiatibus, in quibus producuntur, elucet. eaedem diphthongi etiam apud alios poetas epicos in hiatu saepissime corripiuntur[2]).

Quod si de discrimine quaeritur, quod inter varia carminum Theocriteoorum genera intercedit, reperiuntur correptiones hiatu factae

a)	in centenis	vv.	carminum	bucolicorum	27·3,
b)	„	„	„	mimicorum	37·0,
c)	„	„	„	epicorum	33·5,
d)	„	„	„	dub. orig.	25·1.

---

100 (IV 2), 113 (I 1), 111 (IV 2), 114 (I 2), 123 (V 1), 124 (I 1); XXV 12 (IV 2), 14 (II 2), 16 (IV 2), 20 (III 1), 27 (IV 2), 34 (II 1), 37 (II 1), 60 (IV 2), 66 (I 2), 78 (I 2), 120 (I 2), 130 (I 2), 151 (V 2), 191 (IV 2), 223 (I 1), 236 (II 2), 243 (V 2), 260 (V 2), 276 (I 2); XII 14 (V 1), 17 (IV 2), 22 (IV 2), 28 (I 2), 31 (I 1); epigr. I 4 (pent. IV 2); *d)* XX 9 (IV 2), XXIII 20 (V 2), 45 (IV 2); XXVII 32 (I 2), 43 (IV 2), 51 (III 2), 56 (III 1), 69 (IV 2); epigr. III 5 (IV 2), IV 10 (pent. I 2), IX 1 (III 1), XI 3 (III 1).

ευ: *a)* III 37 *ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός* (III 1), VI 36 *καλὰ δέ μευ ἁ μία* (IV 2), VIII 83 *μελπομένω τευ ἀκουέμεν* (III 1), X 22 *ἀμβάλευ. ἅδιον* (IV 2); *b)* XV 68 *ἔχευ Εὐνόα* (IV 2); *c)* XVI 21 *ἐμεῦ οἴσεται* (IV 2), XXII 61 *ἐξ ἐμεῦ οὐκ* (IV 2).

ου: in cc. bucol. et mim. nullum reperitur exemplum, in ep. (*c*) extant haec: XIII 26 *τετραμμένου εἴαρος* (IV 2), 50 *οὐρανοῦ ἤριπεν* (IV 2), XVI 20 *ἄλλου ἀκούσαι* (II 1), XVII 32 *λευκοσφύρου Ἥβης* (V 2), XXII 6 *ἐπὶ ξυροῦ ἤδη* (IV 2), 8 *οὐρανοῦ ἐξανιόντα* (IV 2), 14 *οὐρανοῦ ὄμβρος* (V 2), 17 *ἐκ βυθοῦ ἕλκετε* (IV 2), 40 *ἐκ βυθοῦ· ὑψηλαί* (I 2), 202 *ὀμφαλοῦ· ἔγκατα* (IV 2), 207 *Ἀφαρηίου ἐξανέχουσαν* (IV 2), 208 *τύμβου ἀναρρήξας* (I 1), XXIV 16 *οἴκου, ἀπειλήσασα* (I 1), 24 *κοίλου ὑπέρ* (I 1), 33 *δεσμοῦ ἀναγκαίου* (I 1), 38 *ἀωρί που, οἱ δέ* (IV 2), 88 *ὑπὸ σποδοῦ εὔτυκον* (IV 2), 90 *ἢ βάτου ἤ* (I 2), XXV 15 *Μηνίου ἀμμέγα* (I 2), 146 *σκαιοῦ ἄφαρ* (I 1), 244 *θυμοῦ ἐνεπλήσθη* (I 1), 248 *ἐρινεοῦ εὐκεάτοιο* (IV 2), 257 *αὐτοῦ ἐπί* (I 1); *d)* XXVII 32 *γάμου ἄξιον* (III 2), epigr. V 5 *ἄντρου ὄπισθεν* (V 1).

1) Cf. etiam, quae exposuit Hartel Annal. gymn. Austr. XXVII (1876), p. 632 sq.

2) Cf. Rzach 'Der Hiatus bei Apoll. Rhod.' p. 55.

Ea igitur ex edylliis Theocriti, quae bucolici sunt generis, rarissime syllabas hiatu correptas exhibent; poetae autem edylliorum originis incertae non solum nullum hiatum ita comparatum admiserunt, in quo syllaba longa maneret integra, sed etiam huius, qui legitimus dicitur, hiatus usum artioribus circumscripserunt cancellis. longas vero vocales cum diphthongis ᾳ, ῃ, ῳ si spectamus, multo saepius in edylliis bucol. et mim. quam in ep. eas corripi e tabellis propositis patet.

Si in sede hiatuum, quibus syllabae corripiuntur, oratio distinguitur, uno loco excepto semper illud fit aut in caesuris bucolica et tertii pedis trochaica aut in pede primo (vel post priorem vel post alteram thesis partem). interpungitur enim in genuinis Theocriti carminibus in hiatibus huius generis in universum centiens undeciens, in caesura bucol. septuagiens bis. e reliquis locis, qui sunt numero XXXIX, exhibent XX interpunctionem in caesura pedis tertii trochaica, V post priorem, XIII post alteram primae thesis partem. in uno versu (XV 1) syllabam in fine pedis quinti hiatu correptam sequitur interpunctio; sed hunc locum repetitione vocabuli ἔνδοι excusari iam p. 61 ostendimus. in edylliis originis dubiae noviens interpungitur, septiens post pedem quartum, bis (epigr. VIII 3, XV 1) post alteram brevem primi pedis syllabam.

Quod vero ad frequentiam hiatuum, de quibus est quaestio, in singulis pedibus adtinet, in aliis versus sedibus aliam esse tabellis propositis docemur. primum quidem locum hac in re obtinet altera pars thesis quartae, praesertim si eorum exemplorum habemus rationem, in quibus leguntur longae vocales et diphthongi ᾳ, ῃ, ῳ. nam in huius modi exemplis e CLXVIII locis (in cc. gen.) exhibent LXV vel 38·7 % hiatum in fine pedis quarti; contra exemplorum DXC, in quibus leguntur leviores diphthongi, CLIX modo vel 26·9 % in illa versus sede hiatum praebent. monendum autem est etiam apud alios, qui hexametro utebantur, poetas maximam id genus hiatuum partem reperiri in altera brevi syllaba pedis quarti[1]).

Ad hanc versus sedem in Theocriti edylliis proxime accedit altera pars thesis tertiae; hoc tamen sola multitudine exemplorum, in quibus inest diphthongus αι, efficitur. exhibent enim e locis CXXVIII huc pertinentibus CXVI illam diphthongum; atque in his exemplis omnibus legitur vocula καί, quae propter antecedentem caesuram primariam in ea sede hexametri est frequentissima. e reliquis XII exemplis exhibent V diphthongum ει

---

[1]) In Apollonii Argonauticis inter MDCXLIII eius modi hiatus extant CCCCXXVIII in eadem versus sede; cf. Rzach. l. c. ac similiter rem se habere apud Hesiodum elucet ex eis, quae exposuit idem progr. Micropragens. a. 1876 p. 11 sqq. (Hesiodische Untersuchungen).

correptam (IV in vocula ἐπεί: III 39, VII 14, XXV 38 et 184, unum in vocabulo πέλει: IV 43 πέλει αἴϑριος); locis II corripitur οι (semel in dativo οἵ: XI 16, semel in μοί: XI 46) locis III η (bis in vocula ἤ: XVIII 30, XXII 11, semel in μή: I 152); semel corripitur vocula ὦ (XV 123), semel ῳ vocis μέσῳ (VI 4 μέσῳ ἄματι). eodem modo in edyll. dubiae originis, ubi in altera tertii pedis syllaba brevi hiatus huius generis sunt frequentissimi (XXII inter LXXII), semper fere αι voculae καί ea in sede hexametri correptum reperitur.

Deinde in pede primo, praecipue in altera primae thesis parte[1]) syllabae hiatu, de quo agitur, frequenter corripiuntur. rarissime autem tale quid Theocritus admisit in priore parte thesis quartae et in pede altero. illa quidem in sede versus heroici undeciens tantum eius modi hiatus invenitur ac semper in eo legitur vocula καί (I 85; II 41, 101; XVIII 14; XVI 99; XXII 32, 124, 140; XXIV 7, 34; XXV 24), quae exemplorum paucitas haud dubie cum studio vitandae incisionis trochaicae quarti pedis cohaeret. sed eandem, quae est in priore brevi syllaba pedis quarti, etiam in utraque thesis alterius parte horum hiatuum esse frequentiam (in edylliis dico Theocriti gen.) tabula, quam proposuimus, ostenditur. ex ambabus igitur huius thesis partibus XXII hiatus exempla in censum veniunt. atque XVI eorum ita sunt comparata, ut diphthongi levissimae αι et οι in eis corripiantur. illa corripitur quinquiens in vocabulo καί: VIII 85 (II 2); XXII 158 (II 2), 164 (II 1), 173 (II 1), 221 (II 1), semel in nom. plur. ϑεαί: XVI 3 (II 2); οι corripitur sexiens in vocabulis μοί, τοί, οἵ: V 11 (II 1); XIII 57 (II 2), XXII 180 (II 1), XXV 34 (II 1), 37 (II 1), 236 (II 2), quater in nom. plur.: X 45 σύκινοι (II 2); XVI 4 βροτοί (II 2), XXII 154 φίλοι (II 2), XXV 14 νόμοι (II 2). semel corripitur in pede altero diphthongus ου: XVI 20 ἄλλου ἀκούσαι (II 1). itaque restant loci quinque, quibus leguntur longae vocales vel graviores diphthongi. ac ter ᾱ correptum reperitur: II 64 μώνα ἐοῖσα (II 1; sic edidit Ziegler e Brunckii coniectura, codd. m et p habent μούνη, quae est lect. vulg.), XV 53 ἀνέστα ὁ πυρρός (II 1), 76 Εὐνόα ἄμιν (II 2); semel corripitur ω: XIII 38 ἄμφω ἑταῖροι (II 1), semel ῳ: XXV 90 οὐρανῷ εἶσιν (II 2).

In universum in eo hiatus genere, quod tractamus, observari potest multo saepius syllabas in fine dactyli quam in priore thesis parte corripi. quae res ex indice, quem proponam, facillime poterit cognosci. corripiuntur enim accedente hiatu:

---

[1]) Apud Apollonium haec versus sedes, si de frequentia huius generis hiatuum agitur, proxime ad alteram quartae thesis partem accedit; inveniuntur enim in ea hiatus CCXXXIV.

	α	ᾳ	η	ῃ	ω	ῳ	summa	αι	ει	οι	ευ	ου	summa	summa omnium correption.
a) in cc. bucol.														
in priore thesis parte:	—	1	2	1	7	2	13	17	1	13	2	—	33	46
in fine dactyli:	11	5	1	—	21	9	47	107	10	27	2	—	146	193
b) in cc. mim.														
in priore thesis parte:	4	—	2	1	5	2	14	22	1	8	—	—	31	45
in fine dactyli:	15	3	2	—	6	8	34	55	9	20	1	—	85	119
c) in cc. epicis														
in priore thesis parte:	1	—	3	2	8	10	24	57	7	23	—	8	95	119
in fine dactyli:	5	2	3	3	6	17	36	124	10	49	2	15	200	236
in omnibus Theocriti cc. gen.														
in priore thesis parte:	5	1	7	4	20	14	51	96	9	44	2	8	159	210
in fine dactyli:	31	10	6	2	33	34	117	286	29	96	5	15	431	549
d) in cc. dubiae orig.														
in priore thesis parte:	—	—	—	—	—	—	—	7	—	3	—	1	11	11
in fine dactyli:	2	—	2	—	5	4	13	37	2	8	—	1	48	61

Itaque cum in omnibus carminum generibus tum maxime in edylliis bucol. et dub. eorum hiatuum numerum, qui in mediis dactylis extant, longe superari videmus numero hiatuum, qui reperiuntur in dactylorum confinio. intercedit enim inter frequentiam hiatuum, qui in priore thesis parte, et eorum, qui in dactylorum confiniis sunt positi,

a) in cc. bucol. eadem ratio, quae inter numeros 1 et 4·2,
b) „ „ mim. „ „ „ „ „ 1 „ 2·6,
c) „ „ ep. „ „ „ „ „ 1 „ 2·0,
d) „ „ dub. „ „ „ „ „ 1 „ 5·5.

Sed Homerus quoque aliique poetae epici multo saepius in dactyli fine quam post priorem thesis partem hiatus, quibus syllabae corripiuntur, admiserunt. cuius rei causa e poetarum studio singulos hexametri pedes inter se artissime conectendi repetenda esse videtur[1]). nam si longa syllaba finalis insequente voce a vocali incipiente corripienda est, vitetur necesse

[1]) Cf. Hartelium l. c. II 49.

est inter vocabula illa vocis intermissio; cf. quae dixit Hartel l. c. II 45 'Sobald die langen Vocale und Diphthonge, in die Senkung des Verses gestellt, der mächtigen Stütze des Ictus entbehren, schrumpfen sie zu Kürzen zusammen, offenbar in Folge des schnellen Zusammensprechens mit dem nächsten vocalischen Anlaut.'

Quod si apud Theocritum terminationes *η* et *ῃ* non rarius, immo frequentius etiam in priore brevi syllaba dactyli quam in altera corripiuntur, propter ipsam exemplorum vocales illas exhibentium paucitatem ea res minoris momenti esse videtur; minime vero ita premenda est, ut pressit O. Grulich[1]) similem diphthongorum *ᾳ* et *ῃ* in Homeri carminibus rationem. ceteras autem terminationes haud multum in re, de qua agitur, inter se differre ex indice proposito satis patet.

II.

Iam de eo hiatuum genere disputaturi sumus, in quo breves vocales finales insequente voce a vocali incipiente elisione non removentur. hic vero vocalium concursus propria ac principali significatione hiatus a multis grammaticis vocatur. et cum in hiatibus, in quibus longae syllabae integrae manent, admittendis Theocritum semper fere ad exemplum aliquod Homericum sese adplicasse vidimus, tum in huius generis hiatu et ferendo et vitando plurimum valuisse Homeri auctoritatem statim adparebit. ac priore quidem loco *(A)* verba nobis facienda erunt de hiatibus, quos vocabula, quae apud Homerum digamma in initio habebant, excipiunt, altero *(B)* de neglectis brevium vocalium elisionibus ante voces, quae omnibus temporibus initium capiebant a vocalibus.

A.

Inter vocabula, quorum littera initialis quondam fuit consona spirans, longe saepissime hiatum, quem tractamus, pronomen excipit personae tertiae ac semper fere dativus *οἷ*: *a)* I 43 *ὧδέ οἱ* (I 1), 53 *μέλεται δέ οἱ* (IV 1), V 133 *ὅκα οἱ* (III 2), VII 17 *ἀμφὶ δέ οἱ* (I 2), 20 *γέλως δέ οἱ* (IV 1), 82 *οὕνεκά οἱ* (I 2), XI 16 *τό οἱ ἥπατι* (III 1); *b)* II 6 *ἦ ῥά οἱ* (V 1), 72 *ἐγὼ δέ οἱ* (IV 1), 98 *τηνεῖ δέ οἱ* (IV 1), 138 = 72, 153 *καὶ φάτο οἱ* (I 2), 161 *τοῖά οἱ* (I 1), XV 130 *ἔτι οἱ* (III 2); *c)* XIII 57 *τό οἱ αἰέν* (II 1), XVI 64 *ἀνάριθμος δέ οἱ* (IV 1), XVII 62 *ἡ δέ οἱ* (I 1), 75 *πολὺς δέ οἱ* (IV 1), XXII 210 *χερῶν δέ οἱ* (IV 2), XXIV 82 *δώδεκά οἱ* (I 2), 136 *μάλα οἱ* (III 2), XXV 2 *ἔργοιο, τό οἱ* (III 2), 66 *μή τί οἱ* (I 1), 109 *ἥντινά οἱ* (I 2), 120 *καί ῥά οἱ* (I 1), 148 *ὁ δέ οἱ* (III 2), 243 *πᾶς δέ οἱ* (V 1), 260 *ὅσσε οἱ* (V 1), 270 *μέχρι οἱ* (I 1); *d)* XXVII 69 *κρα-*

---

[1]) In 'Quaestt. de quodam hiatus genere in Homeri carm.', Halis Sax. 1876, p. 59 sqq.

δίῃ δέ οἱ (IV 1). sunt in universum XXX exempla, quae inter singulas hexametri sedes hunc in modum distribuuntur:

I 1—6, II 1—1, III 1—1, IV 1—8, V 1—4,

I 2—5, II 2—0, III 2—5, IV 2—0, V 2—0.

id vero, quod maxima horum hiatuum frequentia est in priore parte thesis quartae, inde videtur esse explicandum, quod vocula οἱ similiter atque aliae encliticae in fine pedis quarti propriam habet sedem[1]). ex Homeri carminibus conferas quaeso cum hiatibus adlatis locos: Γ 312 πὰρ δέ οἱ (I 1), E 300 πρόσθε δέ οἱ (I 2), Θ 129 δίδου δέ οἱ (IV 1), Α 291 τούνεκά οἱ (I 2), Υ 289 σάκος, τό οἱ (III 1), K 19 εἴ τινά οἱ (I 2) all.

Semel brevem syllabam finalem in hiatu positam sequitur pronomen possessivum ὅς: XXV 45 παρὰ οἷσι πολίταις (IV 2); cf. Hom. P 133 περὶ οἷσι τέκεσσιν (IV 2), Δ 428 κέλευε δὲ οἷσιν ἕκαστος (IV 2).

Praeterea Theocritus etiam ante alia vocabula digammo quondam praedita hiatum sibi concessit; sed plerumque hoc fit in cc. ep., in bucol. autem et mim. sexiens tantummodo (I 41, 86; VI 24; X 28; XV 46, 146). sunt quidem hae voces: ἄναξ: XVII 135 χαῖρε ἄναξ (I 1) (quae formula in hymnis Homer. saepius sub finem carminis usurpatur; cf. hymn. XV 9, XXXII 17), XXV 150 αὐτός τε ἄναξ (III 1); cf. Hom. Α 7 Ἀτρείδης τε ἄναξ (II 1), E 38 πρῶτος δὲ ἄναξ (III 1) all. — ἁνδάνω: XVII 38 φαντὶ ἁδεῖν (III 1); cf. Hom. ε 153 οὐκέτι ἥνδανε νύμφῃ (IV 2), Hes. Theog. 926 κέλαδοί τε ἅδον' (III 1). — ἄστυ: XVI 84 μέγα ἄστυ (II 2), XXV 45 κατὰ ἄστυ (II 2); cf. Hom. Z 392 μέγα ἄστυ (V 2), η 40 κατὰ ἄστυ (II 2). — εἶδος: XXV 40 μέγα εἶδος (II 2); cf. Hom. Γ 55 τό τε εἶδος (II 2). — εἰπεῖν: XVII 7 καλὰ εἰπεῖν (V 2), 11 μυρία εἰπεῖν (V 2); cf. Hom. Δ 404 σάφα εἰπεῖν (V 2), π 151 πρὸς μητέρα εἰπεῖν (V 2). — ἔοικα: I 41 ἀνδρὶ ἐοικώς (V 1), 86 ἀνδρὶ ἔοικας (V 1), XVII 63 πατρὶ ἐοικώς (V 1); cf. Hom. E 604 ἀνδρὶ ἐοικώς (V 1), ϑ 166 ἀνδρὶ ἔοικας (V 1). — ἕκαστος: XXV 195 τὰ ἕκαστα (II 1)[2]); id. Hom. Α 706, ξ 375. — ἔργον: XV 46 καλὰ ἔργα (V 2), XVII 6 id. (II 2), 13 μέγα ἔργον (V 2), XXII 42 φίλα ἔργα (IV 2), 118 = XVII 13, XXVI 37 τόδε ἔργον (I 2); cf. Hom. Θ 453 μέρμερα ἔργα (V 2), Α 518 λοίγια ἔργα (II 2), N 366 μέγα ἔργον (V 2), K 303 τόδε ἔργον (II 2); Apollon. Rhod. Δ 61 φίλα ἔργα (IV 2). — ἔολπα: XXV 115 οὐδὲ ἐώλπει (V 1); cf. Hom. ε 379 οὐδ' ὧς σε ἔολπα (II 2); Hes. Op. 475 καί σε ἔολπα (V 1). — ἴον: X 28 καὶ τὸ ἴον (I 1); in cc. dub. XXIII 29 id. (I 1); conferri forsitan possit Theogn. v. 250 (pent.) δῶρα ἰοστε-

---

[1]) Cf. quae exposui p. 61 sq.

[2]) Minime vero τὰ ἕκαστα per crasin, id quod opinatur Kruegermann l. c. p. 6, legendum esse videtur.

φάνων (IV 1); hiatus, qui extat apud Hom. ε 72 *λειμῶνες μαλακοὶ ἴου ἠδὲ σελίνου,* alius est generis. — *οἶδα*: XV 146 *ὅσσα ἴσατι* (II 1), XVII 18 *φίλα εἰδώς* (V 2), XXV 37 *σάφα εἰδώς* (V 2); cf. Hom. γ 277 *φίλα εἰδότες* (III 2), *O* 632 *σάφα εἰδώς* (V 2), ο 557 *ἤπια εἰδώς* (V 2). — *οἶκος*: VI 24 *φέροι ποτὶ οἶκον* (II 2; hanc lectionem, quam editt. vett. praebent, Meineke in ed. III. suo iure revocavit pro scriptura *φέροιτο ποτ' οἶκον,* quae extat in libris m, p, s; sed cod. k exhibet *φέρει ποτὶ οἶκον*), XXIV 22 *ἀνὰ οἶκον* (IV 2); cf. Hom. ω 358 *προτὶ οἶκον* (II 2), δ 717 *κατὰ οἶκον* (IV 2).

B.

Hiatus, quorum ea est natura, ut brevis vocalis, qua vocabulum terminatur, insequente voce, quae semper in initio habebat vocalem, non elidatur, in duas distribuendi sunt classes. atque in alteram eos referemus hiatus, in quibus elisio neglecta excusationem habet metricae versus heroici rationis, in alteram eos, ubi propter ipsam vocaliüm finalium firmitatem elisio omittitur. ac primum quidem (α) de hoc hiatuum genere exponemus, deinde (β) de illo.

α) In vocibus, quarum vocales finales elisioni repugnant, primum voculae monosyllabae nominandae sunt, velut pronomina interrogativum *τί* et indefinitum *τὶ*: III 24 *τί ὁ δύσσοος;* (III 1), V 10 *ἧς τι ἐνεύδειν* (V 1), XXV 36 *ἠέ τι Αὐγείην* (I 2; lectio quidem vulg. libris manu scr. comprobata est *ἠέ τοι Αὐγ.*, sed cum sermonis rationi ea non conveniat, recte se habere videtur coniectura *ἠέ τι Αὐγ.* ab Ahrensio [in ed. II.] proposita: neque hiatus offendit. Hermann scriptum voluit *ἠὲ σύ γ' Αὐγ.*); cf. cum his locis Hom. *E* 465 *ἐς τί ἔτι* (I 1), ο 83 *δώσει δέ τι ἕν γε* (IV 2), Hes. Theog. 182 *οὔ τι ἐτώσια* (III 1). similis naturae pronominum illorum est ratio voculae *ὅτι,* quae quam raro adficiatur elisione notum est[1]): I 88 *ὅτι οὐ* (III 2), 91 = 88; cf. Hom. *Ω* 593 *ὅτι Ἕκτορα* (III 2).

Huc adiciendos esse censeat forsitan quispiam hos quoque locos: XXII 191 *κολεοῖο ἐρυσσαμένω* (III 1), XXIV 77 *κατατρίψοντι ἀκρέσπερον* (III 1), XII 23 *ἐθέλοντι. ἐγώ* (III 1). sed extant hi hiatus omnes in ea versus sede, in qua etiam infirmissimas vocales, quae facillime patiuntur elisionem, in hiatu positas esse a Theocrito infra videbimus; atque ι in terminatione *-οντι* tertiae pers. plur. act. ab ipso Theocrito semel (XXII 19 *αἶψα δ' ἀπ̆ολήγοντ' ἄνεμοί* . . .) eliditur. qua de causa satius esse videtur locos illos alteri hiatuum generi, quod statim tractabimus, adnumerare.

Iure autem hiatus XV 30 *μὴ πουλὺ ἄπληστε* (V 1) propter vocalem υ elisionis impatientem h. l. in censum veniret, si omnino haec lectio

[1]) Neque tamen elisio a coniunctione *ὅτι* apud Theocritum prorsus aliena est; eliditur quidem ι huius voculae XI 54 *ὤμοι ὅτ' οὐκ ἔτεκέ μ'*, ibid. 79 *δῆλον ὅτ' ἐν τᾷ γᾷ.*

probanda esset. verum ea magnas praebet difficultates. codices ipsi variant: k exhibet μὴ δὴ πολὺ (vel πουλὺ) ἁπλ., in libris e, p, a extat μὴ δὲ πολὺ ἁπλ., quas scripturas, cum metro repugnent, vitiosas esse nemo non videt. in lectione autem vulg. forma epica πουλύ offensioni est, quia dialecto, qua hoc carmen conditum est, repugnat. M. Haupt scribendum esse coniecit μὴ πολλὸν ἁπλ., aliis alia placuerunt; haud inepte Buecheler comparativi notionem h. l. desiderare mihi quidem videtur scripsisse poetam suspicans μὴ πλεῖον ἁπλ.

β) Ubi vocalis finalis in hiatu posita ita est comparata, ut facile removeri possit elisione, eget hiatus excusatione ex ipsa versus ratione metrica petita, ac magni est momenti, qua in versus sede ille reperiatur. atque in Theocriti carminibus etiam huius generis hiatus fines sat angusti sunt. in certis enim tantum versus sedibus, quae cum temporis intervallis coniunctae esse solent, talia Theocritus sibi concessit. atque in primis sedes incisionum trochaicae pedis tertii et bucolicae, deinde prior pars thesis primae aptae ei videbantur, in quibus Homeri auctoritatem secutus[1]) hiatus illos admitteret. saepe vero hos etiam cum interpunctionibus convenire videbimus. in sede igitur caesurae trochaicae tertii pedis hi inveniuntur hiatus: VII 8 πτελέαι τε ἐύσκιον (III 1); XIII 24 λαῖτμα· ἀφ' οὗ (III 1), XXII 116 οἶσθα· ἐγώ (III 1), 191 κολεοῖο ἐρυσσαμένω (III 1), XXIV 72 βασίλεια· ὁ δ' ἀνταμείβετο (III 1), 77 κατατρίψοντι ἀκρέσπερον (III 1), XII 23 ἐθέλοντι. ἐγώ (III 1). in cc. dub. versu XXIII 42, quem paucis iam p. 26 tetigimus, Meineke οὐ δύναμ' ἀντιφιλεῖν σε. ἀπαλλάξεις . . . (III 1) edidit, quae lectio num vera sit, etsi non certum est, tamen hiatus in ea non offendit. cf. cum hiatibus illis Hom. β 120 Ἀλκμήνη τε ἐυστέφανος (III 1), φ 217 (ψ 73) σῆμα ἀριφραδές (III 1), Θ 503 ἐφοπλισόμεσθα· ἀτάρ (III 1), Φ 175 κρημνοῖο ἐρύσσαι (III 1), Ξ 209 ἀνέσαιμι δμωθῆναι (III 1), hymn. in Ap. 156 θαῦμα, ὅου (III 1) all.

In fine pedis quarti hos invenimus hiatus: I 67 τέμπεα; ἢ κατὰ Πίνδω (IV 2); II 154 μυθήσατο. ἔστι δ' ἀλαθής (IV 2); in cc. dub. XIX 5 μέμφετο, ὅττι γε τυτθόν (IV 2), XXIII 48 ἀπηνέα εἶχεν ἑταῖρον (IV 2); cf. Hom. Ε 568 ἔγχεα ὀξυόεντα (IV 2), Μ 320 μελιηδέα. ἀλλ' ἄρα καὶ ἴς (IV 2), Φ 234 ἐπέσσυτο οἴδματι θύων (IV 2), Ω 508 ἀπώσατο ἦκα γέροντα (IV 2) cett.

In priore brevi syllaba pedis primi duo reperiuntur hiatus: XV 32 παῦε. ὁκοῖα (I 1), 149 χαῖρε Ἄδων (I 1), quorum prior graviore interpunctione insignis est, alter ad formulam χαῖρε ἄναξ, de qua modo verba

---

[1]) De frequentia eiusdem generis hiatuum in variis versus sedibus apud Homerum cf. Hartelium l. c. III 71.

fecimus, conformatus esse videtur; ceterum cf. Hom. *P* 16 τῷ με ἔα (I 1), *T* 194 δῶρα ἐμῆς (I 1) all.

In ceteris versus locis inveniuntur hiatuum exempla quattuor, quae qualia sint, ut videamus, reliquum est. sunt quidem haec: VIII 14 ἰσομάτορα ἀμνόν (V 2), 15 ϑησῶ ποκα ἀμνόν (II 2), XVI 2 κλέα ἀνδρῶν (V 2); in cc. dub. XXIII 3 οὐδὲ ἕν (IV 1). hiatum vero κλέα ἀνδρῶν imitatione Homeri, apud quem saepius hexametri in haec verba habent exitum (I 189, 524, ϑ 73), explicandum esse perspicuum est. atque is, qui carmen XXIII. composuit, in v. 3 hiatum admisit Atticorum ritu (cf. Aristoph. Lys. 1044; Plut. 37, 138, 115, 1182; Ran. 927), qua in re memorandum est verba οὐδὲ ἕν quasi in unum coalescere. maiorem autem praebent difficultatem hiatus, qui insunt in versibus inter se excipientibus VIII 14 et 15. rationem enim, qua Iacobs [1]) eos excusare studuit vocabulo ἀμνός digamma vindicans, haud quisquam hisce temporibus probabit[2]). itaque asperitates, quas exhibet, si rem metricam spectamus, carm. VIII., hiatibus illis haud mediocriter augentur.

---

[1]) Cf. Wuestemanni comm. p. 136.

[2]) Cf. G. Curtii 'Grundz. der griech. Etym.[5]' p. 590.

INDEX.

LOCI

in hoc libello tractati:

DE SYLLABARUM IN TRISEMAM LONGITUDINEM PRODUCTARUM USU AESCHYLEO ET SOPHOCLEO

SCRIPSIT

SIGOFREDUS REITER

De syllabis in trisemam[1]) longitudinem productis, quae in eis versibus obviam fiunt, in quibus singulae theses[2]) interceptae versus aequabilitatem interrumpunt, si hoc opusculo disputaturus sum, nemo puto mirabitur, qui quo loco hodie ea sit quaestio, meminerit. quamvis enim haud exiguam inde ab huius saeculi initio operam conlocaverint viri eruditi in tenebris discutiendis, quibus canticorum Graecorum structurae metricae scientia obvoluta erat, tamen quis quaeso harum rerum peritus in hoc campo saepe numero non spicilegium, sed integram messem relictam esse nobis negabit?

Dubitans autem, num omnino virium mearum sit hanc quaestionem difficilem sane et lubricam ad finem perducere, operam meam nunc quidem artioribus limitibus ita circumscripsi, ut hoc libello cantica Aeschyli Sophoclisque, qui ambo summam nobis repraesentant artis rhythmicae perfectionem, in disceptationem vocarem, ingruentem vero huius artis labem inlustrandam, quae iam in Euripidis sese obfert fabulis, in posterius tempus reservarem.

Nunc igitur provinciam meam ita administrandam suscipio, ut scribendi principium sumam a recensendis libris virorum, qui hoc saeculo de mensura trisema egerunt. qua in re exponenda si longior esse videbor, memineris quaeso id factum esse, ne in ipsa disputatione iterum iterumque sententiae adversariae perstringerentur. et primum quidem de pleni pedis longitudinisque trisemae responsione antistrophica (– ᴗ : └), deinde de syllabarum in tetrasemam longitudinem productarum usu disseram. paucis denique praemissis de paenultima versuum in trochaeo vel spondeo desinentium producenda novissima parte locos ipsos ordine dispositos suppeditabo, quibus quo modo in trisemis usurpandis rhythmizomenon cum rhythmo conciliaverint poetae, eluceat.

In versibus Aeschyleis adferendis excellentissima usus sum editione Weckliniana, Berolini 1885 in lucem emissa, quae eo ceteris omnibus praestare mihi videtur, quod religiosissime ad antiquissimi Medicei

---

[1]) De ‚trisemis' ubique loquor syllabis quasi ‚e potiori', quod hae fere solae in usu fuisse videntur.

[2]) De thesi et arsi semper eo, quo Bentley, sensu loquar.

scripturam accedit neque Aeschylus in Aeschylo quaeritur. atque quamquam iam Kirchhoff Aeschyli fabulis editis exemplum proposuit ,eorum usibus accommodatum, quorum interest rerum veritatem intueri', ut alia taceam eo praeferenda est Wecklinii editio, quod in versibus dispescendis ,colometria codicis Medicei reducta bonam memoriam sequitur, non incertam doctrinam et arbitrium'. librum enim Mediceum genuinam plerisque locis suppeditare colometriam — multa enim id genus vitia, ut vocabula per binos versus porrigenda a librario saepe uni tantum modo versui adtributa sint, facillime corriguntur — mihi persuasissimum est et unusquisque sibi persuadebit, qui unum alterumve canticum hac de re in examen vocaverit. prorsus igitur adsentimur Wecklinio haec adserenti praef. p. XIII: ,itaque in dividendis versibus melicis nihil mutavi, nisi quod ubi amplitudo stropharum et antistropharum discrepabat, versus inter se aequabam. hoc uno modo etiam editionum in versibus numerandis varietas ad certam legem non ex arbitrio alicuius editoris, sed ex memoria libri Medicei repetendam redigi potest.'

CAPUT PRIMUM.

Diutissime cum iam aliis artis philologae disciplinis clara accensa esset lux, res metrica poetarum veterum nocte caliginosa pressa iacebat, usque dum Ricardus Bentley novam nullique temptatam viam iniit in schediasmate, quod de Terentii metris conscripsit (1726). quamquam vero vir ingeniosus ad comicorum Latinorum simpliciora tantum modo metra animum adverterat, tamen universae doctrinae metricae haud parum profuit tactus quandam aequabilitatem statuens, ita ut tribus in trimetro, quattuor in tetrametro ictibus constitutis inter singulos accentus parem temporis mensuram servandam esse primus doceret. attamen de Graecorum arte metrica plurimas, ne dicam, omnes subtilioris doctrinae regulas investigandas posteriorum ingeniis reliquit. sed neque illi, qui in edendis Graecorum tragoediis casu potius quam data opera ad haec studia ducebantur, metricis quibusdam et prosodiacis normis constitutis aliud quicquam adsecuti sunt, quam ut syllabis longis brevibusque signatis poetas in canticis pangendis metris quibusdam usos esse docerent, neque Porson multum profuit melicis systematis regulis duabus, quas secutus curavit primum, ut quodque carmen ad nota et poetis lyricis usitata, si facile fieri posset, versuum genera redigeretur; deinde ut eadem aut similis versuum species quam saepissime recurreret[1]). quid quod vel Godofredus Hermann, ‚unus ille vir, qui ab instaurata arte metrica clarum ad posteritatem habebit nomen'[2]), quippe qui primus universam doctrinam ad severioris artis leges redigeret et ad iustam rationem revocaret, nihil moratus veterum rhythmicorum praecepta satis tenui aquae vena tunc temporis fluentia ex amplo, minime vero puro fonte hausit, in primis ex Hephaestione et Latinis rei metricae scriptoribus, unde in canticorum metris signandis monosemis disemisque solum syllabis agnitis numeravit potius syllabas quam numeros dimensus est. quo factum

[1]) Cf. praef. ad Eur. Hec. p. XI ed. Angl.
[2]) Cf. Seidler de vers. dochm. I. p. VIII.

est, ut in illa principali rei rhythmicae regula peccaretur, qua unumquemque numerum suam habere certam atque immutabilem naturam neque per se commutari cum alio posse statuitur. quod etsi ipse Hermann (E D M p. 21) rectissime intellexit, nihilo minus tamen in metris adumbrandis neglexit neque (liceat mihi hoc unum pro multis adferre), ut numerum antispasticum, meram illam posteriorum magistellorum hariolationem nullis veterum rhythmicorum unice hac in re audiendorum testimoniis fultam, e doctrina eliminaret, a se impetravit, quem pedem subtili ductus sensu per se asperum esse docuit, quia e duobus brevibus ordinibus eisque talibus constaret, qui non perpetuitate unius numeri cohaererent, sed compositi magis quam coniuncti essent atque ideo paene luctari secum viderentur (E D M p. 227).

Cum igitur res ita comparatae essent, minime miraberis Augustum Apelium, virum non tam grammaticam quam musicam artem professum, haec in praefatione libri primi statuisse, qui ab eo de re metrica scriptus est: ‚Wir haben zuviel Beweise von dem Kunstsinn des klassischen Alterthums, als dass wir uns überreden könnten, die Griechen hätten ein so wunderliches Gewirr von Lang und Kurz, wie uns die Gelehrten vorzeigen, für schönen Rhythmus angesehen.' idemque, ut erat prudens, cognoverat omnium metricarum quaestionum, quatenus ad lyricam Graecorum poesim pertinerent, cardinem in eo versari, eamne rhythmi proprietatem habuissent veteres, quem tactum nostri nuncupant, ex qua pedum rhythmicorum intervalla nullam habere in contextu varietatem, sed in praefinito temporis spatio ad finem usque decurrere necesse esset. merito enim quaeras, quo modo in cantici cuiuslibet pedum discrepantia ars numerorum ac modorum tam accurate servata et percepta sit, ut in his, si paulum modo sit ita offensum, ut aut contractione brevius fieret aut productione longius, theatra tota reclamarent (cf. Cic. de or. III 50, 196). attamen hanc proprietatem a veterum choricis abfuisse tam pervulgata apud viros eruditos erat sententia, ut vel Hermann in rei metricae enchiridio vernacule scripto (1799) pro certo venditaret Graecorum musicam omni tactu destitutam melodiae solum rhythmo adstrictam fuisse (p. XX), cuius doctrinae argumentum hoc Pindari exemplum in usum suum convertit (p. XXII):

$\frac{3}{8}$ χϱυσε | $\frac{2}{4}$ α φοϱ | $\frac{3}{8}$ μιγξ Α | $\frac{2}{4}$ πολλω |
$\frac{2}{4}$ νος και ι | $\frac{2}{4}$ οπλοκα | $\frac{1}{4}$ μων [1]).

[1]) Suo igitur iure recentiores musici, quid in antiqua musica comparata cum nostra adeo esset admirandum, se non intellegere ingenue confessi sunt; cf. J. N. Forkel Allg. Gesch. d. Musik. I. (Lipsiae 1788) p. 384: ‚Ein Hauptfehler in der griechischen Rhythmik war unstreitig dieser, dass nur zweierlei Arten von Zeiten angenommen wurden . . .; keine Kunst der Melodie ist im Stande, eine solche steife und ängstlich

et hanc quidem notandi rationem rhythmi legibus adversa fronte oppositam esse scire nequivit vir egregius, ut qui intra simplex et duplex syllabarum tempus subsisteret. Apel contra primus docuit tactum etiam in veterum musica locum habere, cuius consequendi causa poetas in canticis componendis syllabas, prouti rhythmi lex postulasset, modo in breviores mensuras corripuisse, modo in trisemam aliasque produxisse, id quod in ea cadere exempla, ubi theses ita supprimerentur, ut duae arses essent contiguae[1]).

Haec autem fere est novae doctrinae summarium: ut dipodia trochaica in tribrachos sive dactylos correptos dissolvi potest, ita rursus contrahi potest in rhythmum principalem –́, –, qui per se spondei aequans imaginem in metro trochaico gravior est spondeo. manifeste igitur hodiernae musicae notis adhibitis hanc contractionem ita signavit Apel ♩. ♩. = ♩ ♪ ♩ ♪ dicens: ‚wenn also ein scheinbarer Spondeus die ganze Reihe einer Dipodie erfüllt, so hat jede seiner Längen die Dauer eines ganzen Trochäen und erfüllt drei Zeiten. Diese Erkenntnis der dreizeitigen Länge und des flüchtigen, den Trochäen repräsentirenden Daktylus gibt allein den Aufschluss über die Natur der antispastischen Verse, welche die Theorien vergebens auf andere Art zu erklären suchen' (Aphorismen p. 173). neque aliter bacchios, ionicos, creticos, choriambos e dipodia trochaica derivandos atque explicandos esse censuit, modo alterutrum trochaeum contractum

abgemessene Quantität der Sylben erträglich zu machen, und eine gehörige Abtheilung der ganzen Zeile in gleiche miteinander im Verhältnis stehende Takte ist gänzlich unmöglich. Die Griechen haben also den wahren inneren Verhalt der Sylben nicht gekannt und beobachtet, oder sie mussten wie wir mehrere Arten von kurzen und langen Sylben annehmen.' .

[1]) Ut suum cuique tribuatur, concedendum est iam J. H. Vossium, elegantissimum metrorum iudicem, huius doctrinae quodam modo antesignanum fuisse in libro, quem de mensura syllabarum in lingua Germanica scripsit (Regiomonti 1802). cf. p. 180 sq. et p. 201: Es erhellt, dass im geraden Takte die letzte Sylbe des Choriambs durch den verweilenden Abschnitt 4 Zeiten bekommt, und dass der choriambische Vers ‚Labt mich Wein und Gesang, Seligen leb' ich gleich' mit der Länge in ‚Gesang' den ganzen Takt einnimmt; cf. etiam p. 247. ac primum quidem Apel trisemorum doctrinam eruit in disputatione brevissima tragoediae suae ‚Die Aitolier' (Lipsiae 1806) appendicis loco adiecta, cui inscripsit ‚Aphorismen über Rhythmus und Metrum' (p. 159—188). quo in libello primis tantum modo lineis adumbratam invenimus eam rationem, quam uberius deinde explicavit in commentatione inscripta ‚Ueber Rhythmus und Metrum' ephemeridibusque, quorum index est ‚Allg. Musik-Ztg.', X. 1807/8 inserta, et ad severiores leges redactam simul respectis Hermanni Boeckhiique potissimum sententiis absolvit in libro de re metrica perquam dilucide atque eleganter conscripto, ita ut ne hodie quidem sine ulla utilitate legatur, cuius pars prior Lipsiae a. 1814 publici iuris facta est, altera post auctoris obitum praematurum a. 1816 edita.

sive plene servatum sumas. versum igitur talem: ,Unholde trübsinn'ge Kümmernis', quem metrici syllabas numerantes in bacchiorum loco posuerunt, idem valere statuit ac versum trochaicum priore utriusque pedis dimidia parte in trisemam magnitudinem producta, ac si ,namloser Schmerz' 𝅗𝅥. ♩ ♪ | 𝅗𝅥 pro ,namenloser Schmerz' ♩ ♪ ♩ ♪ | 𝅗𝅥 pronuntiaretur (Ueber Rh. u. M. p. 22).

Quid vero ad haec Hermann, ,liberi ille laudator oris'? is enim in primis, quid de his inventis cogitaret, indicare debebat, quandoquidem in eum potissimum invectus erat Apel, cuius doctrina demonstrata extraque dubitationem posita, illius ratio, qua Graecos in canendo eisdem numeris usos esse docebatur, quibus in recitando — eos dico quos versus ipsi ostenderent — concidere debebat. iam videas, quo modo se gerat. Apelii igitur dissertationem, acutam quin dicat, facere non potest. tantum autem abest, ut ei adstipuletur, ut rationibus ab illo probatis se adsentiri posse neget. digna sane quae audiantur Hermanni verba plus uno nomine mihi videntur: quippe quod censuram illam in ephemeridibus hodie vix lectis sepultam frustra in opusculorum serie quaeras,[1]) deinde quod, quantum ego sciam, in libris amplioribus de re metrica scriptis ne uno quidem verbo Apelii iniecit mentionem Hermann;[2]) denique intelleges exemplo manifesto ne sagacissimum quidem errore non implicari, si quidem ,a priori', ut aiunt, alterius sententias reicere quam argumentis apte accitis, quid verum sit, quid falsum malit examinare. en habes Hermanni ratiocinationem: ,Die Anwendung dieser Theorie auf die Verse der Alten muss ich verbitten. Denn bei uns, wo die Musik auf einen bewunderungswürdigen Grad der Vollkommenheit gekommen ist, die Metrik dagegen noch äusserst vernachlässigt liegt, ist es kein Wunder,

---

[1]) Cf. Ueber Herrn D. Apels Abhandlung über Rhythmus und Metrum ,Allg. Musik. Ztg.', XI. 1808/9. p. 289.

[2]) Occulte Apelium innuere videtur eos carpens, qui contemptu veterum vel levitate quadam ducti omnia novis commentis perturbent (E D M p. 5) neque alium quemquam nisi Apelium dicit his verbis, quae in dissertatione ,de metrorum quorundam mensura rhythmica' edita 1815 (Op. II. p. 105) leguntur: ,si qui nuper recentioribus magis quam Graecis litteris imbuti nullamque nisi ingenii ad negata animosi laudem sectantes, cum aequalem pedum mensuram Graecis vindicare conarentur vel editis magnis de re metrica voluminibus, vel in diariis quibusdam asseclarum suorum rudimenta commendantes, omnem argutandi calumniandique sollertiam adhibuerunt, ut audientiam sibi fecisse crederentur, naturam numerorum in quadam imagine imaginisque imagine positam ostensuri: nos quidem aliis quaerendum relinquamus, quis Musarum sacerdos pedem Jonicum a maiore in duabus syllabis unave modulans carmina non prius audita virginibus puerisque cantet, daturus aliquando, ut sperare licet, etiam monosyllabum versum heroicum.'

wenn man, um eine Regel für seine Verse zu haben, zu der Musik, wo es an festen Regeln nicht fehlt, seine Zuflucht nimmt. Bei den Griechen hingegen gieng die Poesie der Musik voraus; die Musik war bloss Dienerin der Poesie und ohne dieselbe nichts. Es können daher die Gesetze griechischer Verse nicht von der Musik entlehnt sein, sondern umgekehrt musste die Musik ihre Gesetze von den Versen hernehmen. Wie viel weniger wird man also die Regeln der griechischen Versmasse nach dem Takt der heutigen Musik bestimmen können. Sollte die Urgrossmutter von der Urenkelin tanzen gelernt haben? Meint aber der Verfasser, dass unsere Musik nur das anschaulicher darstelle, was schon in der alten Metrik vorhanden war, so fehlt seiner Behauptung aller Beweis. Denn da die Möglichkeit, einige alte Versmasse auf unseren Takt zurückzuführen, noch kein Beweis ist, dass unser Takt überhaupt die Regel der alten Versmasse sei, zumal da mehrere derselben nur mit grossem Zwang und durch willkürliche den alten Auctoren geradezu widerstreitende Hypothesen mit unserm Takt in Einstimmung gebracht werden können: so müsste nothwendig ein historischer Beweis geführt werden. Diesen aber hat nicht nur der Verfasser nicht geführt, sondern es wird überhaupt Niemand je einen solchen Beweis führen können. Ich sage dieses, nicht unbekannt mit dem, was nächstens ein scharfsinniger Mann [1]) als einen Versuch dieser Art beibringen wird. Vielmehr leiten sowohl die historischen Data als eine unbefangene Ansicht der alten Metriker geradezu auf die Behauptung, dass die alten Versmasse mit unserm Takt nichts zu thun haben. Der Takt ist an sich kein nothwendiger Theil des musikalischen Rhythmus. Er ist nur ein Mittel, ohne welches die jetzige Musik in ihrer Vollkommenheit nicht bestehen könnte . . . Wenn nun, wie bei den Griechen, die Worte des Gesangs den Rhythmus der Noten haben und die begleitenden Instrumente auch diesen Rhythmus, und keinen andern, angeben, wozu sollte nebenher noch der Rhythmus des Taktes nöthig sein? Vom Unnöthigen waren die Griechen keine Freunde.' haec igitur disputavit Hermann immemor veterum magistrorum tactum in antiquis rhythmis locum suum habuisse docentium, quos si vellem adferre, acta agerem, cum iam ab aliis, ut posthac ostendetur, satis superque huic rei sit consultum. atqui magno Hermanno tribuendum est honori, quod ‚diem diem docere' si ulla in re certe in his litteris intellegens, non eadem pertinacia novam doctrinam respuit in posterioribus libris, quos de re metrica conscripsit, sed hic illic in usum suum convertit et in disciplina explicanda eis locum dedit. prorsus enim diversas fuisse

---

[1]) Sine dubio Boeckhium dicit, qui a. 1810 edidit librum his verbis inscriptum ‚Ueber die Versmasse des Pindaros'.

rhythmicam et metricam adfirmat[1]. et metricam, quae ad solam versuum compositionem spectaret, in solis duplicibus mensurae varietatibus consistere, rhythmicam autem, quae ad cantum pertineret, cum mensurarum habere varietatem, tum pedibus uti et aliis et aliter consociatis. ,inde metricae artis propriae perhibentur productiones correptionesque syllabarum, et longitudines et brevitates, rhythmicae autem tarditates ac celeritates.' omnino autem ipsam rei naturam postulare, ut pluribus quam simpli et dupli mensuris usam esse musicam Graecorum credamus, quod nimis iners et rudis foret cantus, qui nisi duplicis mensurae varietatem non admitteret; mensuramque metrica maiorem exhibere trochaeos semantos, qui e duabus longis syllabis constantes, priorem octo, posteriorem quattuor temporum habeant eaque re integri ex pluribus pedibus membri officio fungantur. nonne igitur Hermann iam ab obstinata tactus detrectatione recessit, cum non improbabile per se esse diceret rhythmum aliquam similitudinem habuisse cum eo, quem hodie tactum musici appellarent (E D M praef. p. VII)? nam ut taceam ab ipso Hermanno iam concedi dactylum vel anapaestum (in versibus trochaicis vel iambicis) ,aperte' temporum mensura minores esse iusto dactylo vel anapaesto — id quod primi Voss et Apel e Dionysii praeceptis statuerant — nonne propius fortasse, quam ipse fateri voluit, ad Apelii doctrinam accessit in arsi nuda definienda (p. 68), quam si apud poetas scaenicos in monosyllabis in primis interiectionibus reperiatur, non carere numero, sed suum habere numerum, qui non possit non in arsi ipsa consistere? nonne subtilissimo sensu rhythmico ductus paeonicum numerum (⏗⏑⏑⏑) a cretico (⏗⏑–) diversissimum esse duxit (E D M p. 196 sqq.)? ,primum enim', inquit, ,fatendum erit, cum alii versus fere toti cretico pede incedant, alii autem constanter solum paeonem habeant, non id temere vel casu factum videri. deinde si primi paeones cretici essent, maxime mirum foret, posteriorem potius arsim solvi quam priorem . . . denique hoc quoque observatu dignum est tragicos creticis potius quam primis paeonibus usos esse, paeones autem illos reliquisse comicis. contra quartis paeonibus (⏑́⏑⏑–), in quibus multo maior vis ac vehementia quam in primis cernitur, usi videntur tragici, cum comici, quod ego sciam, eis abstinuerint.' hac vero distinctione subtili instituta sensisse potius Hermannum, quo erat elegantissimo aurium iudicio, quam pronuntiasse putamus alteram cretici et quarti paeonis arsim non duarum morarum repraesentare vim, sed per se pedem explere catalecticum, cuius moram deficientem nos quidem aut ultimae syllabae tone aut pausa supplemus.

---

[1]) V. dissertationem: de metr. q. m. rh. l. c. p. 106 sq. (a. 1815), E D M p. 660 sqq. Epit. D. M. c. VII ,de numeri musici cum metrico coniunctione' §. 50 sq. p. 15 sqq.

Miranti vero tibi — ac sane iure miraberis — de tali discrepantia, quae inter priores et posteriores Hermanni de re metrica editos libros intercessit, ratio erit habenda Augusti Boeckhii, cuius inventis primum quasi fundamentum totius aedificii rhythmici positum est; huius aedificii artificiosi lapides nonnullos Hermann quoque in rem suam non potuit non convertere. non insistens igitur Hermanni vestigiis Boeckh, cum de numeris veterum, in primis Pindari scripsit [1]), fundamentum metri rhythmum esse docuit artisque rhythmicae scriptoribus Graecis accuratissime et ingeniosissime in examen vocatis facem praetulit, qua huic disciplinae plus uno loco tenebris tectae lux adfusa est. quamquam enim Boeckh Pindari praecipue spectavit carmina, tamen, quantum res patiebatur, universae artis praecepta quam brevissime dedit. ac rhythmi continuitatem, quam in versibus lyricis componendis severissime observasse veteres Apel Boeckhio prorsus probaverat, ut adsequerentur poetae, in versibus per varia rhythmi genera compositis punctorum et silentiorum artificiis pedes aequandos esse censuit. itaque creticos aequiparandos dipodiae trochaicae ($\bar{2}\,\breve{1}\,\bar{3}$) ultimamque syllabam trium habendam morarum, ita ut *ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι* eandem obtineret vim rhythmicam atque *ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἦν κάκιστον* ⏑ – ⏑ – – ⏑ – ⏓ = ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏓ neque minus choriambos catalecticas esse formas dipodiae dactylicae $\bar{2}\,\breve{1}\,\breve{1}\,\bar{4}$ vel trochaicae altera arsi pro tetrasema vel trisema accepta. atque haec Boeckhii erat de Apelio sententia, cum lingua patria librum de Pindari metris edidit [2]). sed postea in latina disputatione mireris profecto eum sibi non constitisse rationesque, quas antea commendavit musicae nostrae exemplo inductus, a continua Graecorum rhythmopoeia statuisse alienissimas (cf. p. 35 et 36). haec enim dicit p. 19: ‚longam syllabam a poetis musicisque veterum in trisemam longitudinem productam esse, quamquam viri harum rerum peritissimi opinantur, qui me quoque auctoritate sua in errorem olim induxerunt: tamen nunc perreptatis iterum musicorum libris nego hoc fortiter, quod nihil usquam eiusmodi traditur, ubi, si factum esset, reticeri non poterat.' et inde profectus universam Apelii doctrinam ut desperatam prorsus reliquit. attamen haec non nimis sunt premenda, utpote qui Apel Boeckhium prorsus habeat consentientem, cum ne ipse quidem veterum versibus tactum infuisse negaverit: nam sine illa temporum aequalitate compositionem rhythmicam ullam nec recitari posse nec cantari, nedum

---

[1]) ‚De metris Pindari libri III' Lipsiae 1811.

[2]) Cf. Ueber die Versmasse des Pindaros. Mus. d. Alterthumswissenschaft ed. Fr. A. Wolf et Phil. Buttmann Vol. II. Berol. 1810, p. 171—362. ad rem, de qua agimus, spectant potissimum p. 266. 294. 321. 345 sq. 347. eadem commentatio eodem anno seorsim edita mihi non praesto fuit.

saltari, ‚nisi primam rhythmi legem, hoc est unitatem variorum temporis articulorum, violare et confusam inconditamque syllabarum prolationem, qua et animus et motus corporis disturbetur magis quam regatur, rhythmum contenderis esse' (p. 105). quam ob rem iam alia via usus, atque illa, qua olim ingressus erat cum Apelio Vossioque, aequalem per diversas species rhythmi divisionem vindicavit veteribus in libri I. capite XVIII, cui titulum praefixit: de rhythmopoeia aequales temporum divisiones per diversos numeros effectrice. quod caput sane maximi est momenti ad Boeckhii rationes recte intellegendas. etenim cum e veterum tum grammaticorum tum musicorum disciplina duas tantum dicit esse mensuras, longam et brevem, non negat breves illas longasque posse varias esse pro ductus varietate corrigensque quodam modo, quae de metris Pind. p. 19 sq. exposuerat, quod hanc rem iam ad ductum referret, qui syllabarum magnitudinem mutaret manente proportione, trisemos sonos veteribus haud recte abiudicatos esse ipse ingenue est confessus [1]). pedem igitur fieri ex trisema longitudine et monosema brevi negavit; si brevis sit monosema, longam esse disemam, si brevis disema vel trisema vel tetrasema, longam esse tetrasemam, hexasemam, octasemam, si brevis morae et semissis, longam esse trisemam contendit, ita ut syllabae brevis ad longae proportio semper simpli ad duplum sit. hac igitur ratione veteres non mutatis syllabarum rationibus neque admisso alienis locis silentio in diversis rhythmi generibus aequalem consecutos esse mensuram. itaque creticum inter dipodiam trochaicam positum iam non cum Apelio ita aequandum esse duxit, ut altera arsis in trisemam extenderetur, sed ut ope agoges et longa et brevis cretici longior fieret ($\underset{2}{-}\underset{1}{\smile}\underset{2}{-}\underset{1}{\smile} = 6$ temporum morae: $\underset{2^2/_5}{\acute{-}}\underset{1^1/_5}{\smile}\underset{2^2/_5}{\acute{-}} = 6$). choriambos autem, si veri sint choriambi, ternis duorum temporum procedentes gradibus, per se aequales esse dipodiae trochaicae, si vero pro dactylicis dimetris sint, post catalexim suppleta prosthesi aequandos dactylicis. sed cum ne ipse quidem Boeckh adfirmet rhythmi unitatem agoges ope hunc in modum ubivis servatam esse, et rursus arsium conlisione veteres maxime delectatos esse non possit non concedere, tamquam ultimo refugio utitur arrhythmia, quae vehementissima arsium conlisione animi concitati affectum aptissime expresserit [2]) (p. 80). et haec quidem arsium concursio in rhythmo videtur ei idem esse, quod in harmonia est dissonantia, hoc est sonorum non consonantium coniunctio. ipse vero huius doctrinae probabilitatem aliquatenus infregit, quandoquidem numerosam non esse hanc arsium conlisionem optime sensit: quapropter rhythmicos quoque ait, quemadmodum dissonantiam praeparent ac solvant melopoetae, diluere et obscurare solitos esse arrhythmiam aut

[1]) Cf. commentationem ‚de Doriis epitritis' in prooemio semestris aestivi a. 1825, nunc insertam Opusc. Vol. IV. Lips. 1874, v. p. 218 adn. 2.

[2]) Ne verba mea prave intellegantur, loco illo non de versibus dochmiacis agi diserte dico.

antecedentibus aut subsequentibus iucundissimis rhythmis. de terminis autem, intra quos poetae arrhythmiae locum dedissent aut ductu rhythmico temporum aequalitatem servassent, nihil, quod sciam, definivit.

Cum igitur neque Hermann neque Boeckh, cum rerum grammaticarum omnium tum metricarum inter philologos tunc temporis signiferi, quos magna sequebatur caterva, ad novum illud aedificium metricum exaedificandum lapides adferrent, sed potius ab Apelio adlatos ad aedificium solidum exstruendum adhiberi posse praefracte negarent, ne oblivione sepeliretur Apelii inventum una cum inventore, magnopere verendum erat.

Post quattuor demum lustrorum intervallum primus novam dimetiendi rationem acutis coniecturis divinatam magis quam certis veterum testimoniis demonstratam adripuit Henricus Feussner in dissertatione inaugurali quam ,de antiquorum metrorum et melorum discrimine' scripsit (Hanoviae 1836). qua in scriptione inde exordium sumpsit, ut veterum auctorum locos adponeret, qui praecipue ad trisemam et omnino ad alias syllabarum mensuras quam simplicem et duplicem probandas referendi essent (p. 5 sqq.). missa deinde de syllabarum tempore quaestione ad duo versuum genera comprobanda accedit, quorum temperatum alterum, in quo syllabae vulgari suo simplici et duplici tempore metrum compleant, versusque a praefinito modo numquam recedant, dictum est metrum perfectum sive simpliciter metrum sensu strictiore, alterum fervidum genus, in quo syllabae consueta mensura taxatae legitima rhythmi intervalla plerumque non expleant, sed ad ea explenda in diversas alias mensuras modulandae sint, appellatum est melos. tum profert locos strictim explicatos, quibus re vera veteres magistros duo illa versuum genera distinxisse intellegitur (p. 13—18), tactumque ab Apelio argumentis e rei natura sola petitis comprobatum testimoniis e veterum libris desumptis apud Graecos locum habuisse extra dubitationem posuit [1]). denique in commentationis fine quasi summam enuntiat, si eo modo carmina lyrica tractaveris, quo modo metrici fecerint, modulatione sublata nihil aliud remanere quam prosam orationem [2]).

---

[1]) De Feussneri libello in Jahnii Annal. XIX (1837), p. 371 sqq. censuram scripsit G. Hermann, in qua quantum mutatus ab illo, qui permultis annis ante Graecorum musicam tactu prorsus destitutam dixerat, iam tactum Feussneri testimoniis demonstratum esse concessit. en habes ipsius verba: ,Den Takt kann man der alten Musik nicht absprechen; denn dann müsste man ihr den Rhythmus überhaupt absprechen' (p. 378).

[2]) Arte cum his studiis cohaeret eaque continuat Aristoxeni Elem. Rhythm. ab eodem Feussnero editio confecta in libell. schol. gymn. Hanoviensis a. 1840, quo in libello Aristoxeni verba p. 284 Mor. *ἀσύνθετον δὲ χρόνον πρὸς τὴν τῆς ῥυθμοποιίας χρῆσιν βλέποντες ἐροῦμεν οἷον ὅταν τι χρόνου μέγεθος ὑπὸ μιᾶς ξυλλαβῆς ἢ ὑπὸ φθόγγου ἑνὸς ἢ σημείου καταληφθῇ* ita rectissime interpretatur: ,dieses findet bei der ganzen Taktgrösse als-

Sed maxime ut vetus doctrina labefactaretur, Frederici Bellermanni inventis palmaribus effectum est, qui primus in Graecorum musicam inquirens, cuius e tanto naufragio paucissima ad nos pervenerunt fragmenta, trisemam syllabae longae mensuram veteribus musicis probe notam fuisse praeclare demonstravit. summa enim instructus harum rerum scientia subactoque ductus iudicio schemata musicorum tribus hymnis (ad Musam, ad Solem, ad Nemesim), qui Dionysii cuiusdam et Mesomedis nomina prae se ferunt, suprascripta e notis explanavit[1]), quae exempla si intueris, syllabam trisemam manifeste ante oculos habes positam. deprehendis enim sexiens in hymno altero tertioque signa quaedam supra paenultimas paroemiacorum syllabas scripta, quae non ad musicam modulationem significandam, sed ad syllabas longas extendendas spectare probabile est. cumque signa illa (˥ et λ) obviam non fiant nisi in paenultima syllaba, his trisemam longitudinem significari summa probabilitate coniecit Bellermann. neque multo post fortuna favit Bellermanno, quod primus ex anonymi cuiusdam — qui nunc ex inventore Bellermannianus nuncupatur — scriptione certiores nos fecit de polysemorum signis a veteribus adhibitis, qua re mirum quantum ponderis huic disciplinae additum est[2]).

---

dann statt, wenn sie von einer einzigen lang gehaltenen Sylbe . . ausgefüllt wird z. B. wenn im $^4/_4$ Takt der neuern Musik statt der gewöhnlichen Taktformen die Form der ganzen Taktnote eintritt | ○ |, ein Vorgang, der gewiss auch in der alten Musik vorgekommen und unter dem Namen der von den Rhythmikern (Euclid. Introd. Harm. p. 22) so genannten *τονή*, d. i. Dehnung, Halt, mitbegriffen sein wird' (p. 43).

[1]) Hymni illi unicae veteris musicae genuinae reliquiae, ex quibus ad veterum artem cognoscendam certi vel saltem veri similis nonnihil colligitur, editi sunt a Bellermanno Berolini 1840. talia autem signa horum versuum paenultimae syllabae suprascripta sunt in antiquis editionibus et in codice Neapolitano s. XV: II 8 *ῥοδόεσσαν ὃς ἄντυγα πώ-λων*, 9 *πτανοῖς ὑπ' ἴχνεσσι δι-ώ-κεις*, 21 *γλαυκὰ δὲ πάροιθε Σε-λά-να*, III 3 *ἃ κοῦφα φρυάγματα θνα-τῶν*, 10 *γαυρούμενον αὐχένα κλί-νεις*, 13 *ζυγὸν μετὰ χεῖρα κρα-τοῦ-σα*. signa vero ˥ et λ e palaeographica ratione ita explicat Bellermann, ut utrumque e corrupto illo trisemae (⌙) signo aliunde noto ortum esse dicat. ac priorem formam extitisse eo, quod librarius, qui inversum quasi gamma agnoscere sibi visus esset, alio modo gamma inversum ˥ scripsit, alteram eo, quod librarius pro latino L graecum λ substituit. propius tamen ad veritatem accedimus, si in signo illo λ pausae signum *Λ* apud anonymum traditum agnoscimus. neque enim verendum erat, ne hunc in modum tone cum pausa ipsa permutaretur, quippe cum in paroemiacorum illorum paenultimam non verbi finis caderet, id quod, ut nunc video, recte sensit Fr. Aug. Gevaert in libro ‚Histoire et Théorie de la musique de l'antiquité'; cf. II (Gand 1881) p. 13, idemque statuerunt Westphal ‚Mus. d. griech. Altert.' p. 297 et Fr. Hanssen, qui de hac re disputavit in actis philol. conventus a. 1884 Dessaviae habitae p. 214.

[2]) Cf. *Ἀνωνύμου σύγγραμμα περὶ μουσικῆς* etc. Berolini 1841, p. 18 Bell.: p. 49 W.

Iam illuc pervenimus, ut in harenam producamus viros optime de his studiis meritos Augustum Rossbachium et Rudolphum Westphalium, qui Boeckhii quodam modo vestigia secuti universam doctrinam rhythmicam et metricam ex ipsis fontibus haustam[1]) explicarunt. neque satis sibi fecerunt in eo, ut praecepta, quae hodiernae rei metricae fundamenta sunt, primis tantum lineolis adumbrarent, sed quae de vera rhythmi vi ac natura exposuerant, ad ipsa carmina tractanda summo adhibuerunt fructu schematisque metricis adscriptis demonstrarunt nihil nos, quominus etiam difficiliora Graecorum cantica ad aequabilitatem revocaremus, impedire. iam demum vera versuum plurimorum ratio, quorum antehac obscurata erat structura artificiosa, aperiebatur monstraque illa horrenda informiaque, quibus re vera omne artis rhythmicae lumen erat ademptum, sub doctis versuum antispasticorum, iambico-creticorum, iambico-trochaicorum, ischiorrhogicorum nominibus credulos captantia inque labyrinthum ducentia, in quo frustra Ariadnae quaeras filum, explosa sunt et in exilium missa[2]). simul hi comprobare studuerunt non modo non per se cantici cuiuslibet versus rei rhythmicae legibus non repugnare debere, sed singula strophae uniuscuiusque membra ‚eurythmiae' vinculo inter se conecti, id quod numeris artis mathematicae accitis omnium oculis subiecerunt.

Quam normam non ex intima poetarum arte plerumque conclusam, sed extrinsecus in eam adlatam tametsi Westphal posthac artissimis circumscripsit cancellis[3]), nisi hac lege adhibita veterum cantica in antiquum nitorem

---


[1]) Lipsiae 1854—65; ed. II. 1867/8; ed. III. 1885/6.

[2]) Rossbachii Westphaliique praecepta amplexus primus Aeschyli metra omnia inlustravit Henricus Weil in conspectu metrorum lyricorum, quem editioni (1858—67) adiecit, idem iam prius in aliquot censuris huius doctrinae exstiterat patronus (cf. Annal. philol. 71. (1855) p. 396—402. 85 (1862) p. 333—356, 91 (1865) p. 649—656. quam Weil in Aeschylo, eandem Hugo Gleditsch in Sophocle administravit provinciam: ‚Die Sophokleischen Strophen' (Progr. gymn. Gulielmi regis Berol. 1867/8). contra tironum mentes, quibus id potissimum destinatum est, perturbantur potius quam erudiuntur Dindorfii opere (‚Metra Aeschyli Soph. Eur. et Aristoph. descripta' Oxonii 1842), ut qui neglectis rationibus rhythmicis longas dumtaxat brevesque notaverit syllabas strophasque simplicissimis compositas numeris diversissimis conglutinatas esse metris sibi finxerit. inspicias quaeso mecum p. 36, ubi in una Agamemnonis stropha (v. 379 sqq.) describenda Aeschylo tales insinuat versus: antispasticum, iambicum, iambico-trochaicum, ischiorrhogiacum, iambico-trochaicum cum antispasto, clausulam choriambicam, dactylicum glyconeosque. nonne si tales admisisset numeros Aeschylus, qui inter ceteros tragicos rhythmorum excellit simplicitate ac perspicuitate, in eum caderent Aristidis Quintiliani verba p. 99 Meib. *τούς γε μὴν τούτοις ἅπασιν ἀτάκτως χρωμένους οὐδὲ τὴν διάνοιαν καθεστῶτας, παραφόρους δὲ κατανοήσεις?*

[3]) Cf. de re metr. II² 615; ‚Allgemeine Theorie der musikal. Rhythmik seit J. S. Bach auf Grundlage der antiken etc.' Lipsiae 1880, p. 105 et 127; ‚Aristoxenus

restitui posse negavit J. H. Henricus Schmidt[1]) omnesque damnavit periodos, quae non mathematica constitutae essent ratione[2]). quae versuum aequabilitas quamquam saepe sese obfert naturali quadam necessitate ei, qui nulla opinione praesumpta ad rem accessit, tamen in eo erravit ille, quod eurythmiam in aliquot carminibus summa cum veri specie adparentem ubique statuendam esse censuit — tria quattuorve ex tanta canticorum excepit copia — quod nisi summa in verbis poetarum constituendis audacia ac maiore, quam quae probari possit, in syllabis polysemis accipiendis licentia fieri nequit.

Neque dissimiliter Mauricius Schmidt non reputans regulas ex exemplis accuratissime perpensis abstrahendas, minime vero praesumptas intrudendas esse exemplis, nescio quibus nisus testibus omnia omnium stropharum systemata prorsus ad arbitrium suum ita refingenda esse pro certo venditavit, ut ubique tetrapodias (colaria) aut tetrametros (cola) statueret[3]). quae ratio temeraria ut uno tantum inlustretur exemplo, Pind. Ol. III v. 4 verba *ἵππων ἄωτον,* (– –́ ⏑ – –) pausis pleionosemisque mensuris prorsus ad libitum adhibitis in tetrametri formam M. Schmidt porrexit:



nihil curans anonymi praecepta, syllabam arte rhythmica extentam quinque,

---

von Tarent. Melik und Rhythmik des klass. Hellenenthums' Lipsiae 1883, p. XVII, Rhythmik³ p. 10.

1) Doctrinam suam explicavit libris quattuor, quibus in universum titulum praefixit: ‚Die Kunstformen der griech. Poesie und ihre Bedeutung' Lipsiae 1868—72. summis elata sunt laudibus haec opera a Carolo Lehrsio, Schmidtii praeceptore, in censuris de unoquoque deinceps conscriptis, cf. ‚Liter. Centralbl.' 1868, 921 sqq.; 1869, 360; 1870, 152; 1871, 855; 1872, 1449 sq. perinde ac Lehrs Gevaert, quem in universum nimis anxie Schmidtii vestigia pressisse puto, Schmidtium praedicat l. c. II. préf. p. XIV et p. 88. contra alii, quam debili fundamento Schmidtii exstructum esset aedificium, detexerunt, veluti G. Brambach: ‚Rhythmische u. metrische Untersuchungen' Lipsiae 1871 p. 55 sq. C. Hofman in Ann. Heidelberg. 1871, p. 409, G. Christ in censuris insertis Ephem. gymn. bavar. VI (1870) p. 36—42 (ad haec Schmidt respondit p. 137—139), VIII (1872) p. 116—124.

2) I. p. 69: ‚Als falsch müssen alle Perioden gelten, die nach keinem mathematischen Princip gebaut sind.'

3) Cf. Pindars Siegesgesänge. Mit Prolegomenis über pindarische Kolometrie etc. Jenae 1869, p. III: Jeder *πούς*, welcher 4 Ikten hat, ist ein *κῶλον*. Wie viel Sylben, wie viel Einzelpodes er hat, ist dabei ganz gleichgiltig (! !). atque hercule in gyrum circumagimur, si haec legimus: ‚Auch die Pentapodie, weil sie nur 4 Ikten zu beanspruchen hat, ist ein *κῶλον* und eine Tripodie hört sofort auf, eine Tripodie zu sein (scil. in Schmidtii doctrina non in eorum, qui maiore utuntur cautione), wenn sie als Kolon verwendet wird, d. h. sie hat dann nicht mehr 3, sondern 4 Ikten'.

pausam quattuor morarum non excessisse modum docentis [1]. iam talibus hariolationibus, quas nemo, si quid video, adsensu comprobavit, effrenatae coniectandi libidini patefacta esset via verendumque fuisset re vera cum Hermanno, ne quis etiam monosyllabum versum heroicum in medium proferret [2].

His atque talibus recentiorum argutiis prorsus se abstinuit Gulielmus Christ [3], qui, qua est religione, mediam ingressus viam inter Hermanni doctrinam metricam recentiorumque rationem rhythmicam, quid in utraque haberet probabilitatis vim, caute examinavit meruitque, ut principem locum obtineat inter eos, quos cum Aristide Quintiliano (p. 40—42 M. = 38 W.), iam veteres magistros distinguente *συμπλέκοντας τῇ μετρικῇ θεωρίᾳ τὴν περὶ ῥυθμῶν* possis nominare; contra alteri classi — dico *χωρίζοντας τῆς μετρικῆς τὴν περὶ ῥυθμῶν θεωρίαν* — adnumerandi sunt M. Schmidt aliique, quos hoc loco adferre nihil adtinet.

---

[1]) Ex ipsius Schmidtii hortulo deprompta sunt haec: ,Da die Alten nur die Zeichen bis zur *πεντάσημος* angeben, wird die falsche Vorstellung erweckt, als ob in der Musik nicht auch eine Sylbe den Werth einer weit grösseren Morenzahl habe empfangen können, als ob z. B. keine *ὀκτάσημος* zur Verwendung gekommen sei. Es lag aber in der That für die alte Semeiotik gar kein Bedürfnis vor, über die *πεντάσημος* hinauszugehen, da jede schwere Länge durch zwei solcher Zeichen, welche, umsomehr durch *ὑφ' ἕν* zu verbinden waren, als wohl nur in den wenigsten Fällen eine einzige Note auf sie fiel, in den meisten mehrere, ausgedrückt werden konnte' (praef. p. XIX).

[2]) Talium nugarum, ut par erat, a viris doctis reiectarum (cf. Brambach ,Kritische Streifzüge' Mus. Rhen. XXV (1870) p. 232—252, Henr. Schmidt III p. 23 sqq.) auctor quodam modo fuit Carolus Lachmann in libro, cuius nunc fere extincta est memoria: ,de choricis systematis tragicorum Graecorum' Berolini 1819, ubi hanc primam omnium legem esse statuit, ,ut singula stropharum systemata, e quotcumque partibus composita sint, in talem versuum numerum extendi debeant, quali dividendo septenarius numerus sufficiat h. e. ut aut quattuordecim versibus constent aut uno et viginti aut duodetriginta aut ultra eadem ratione.'(p.37.) ceterum, ut haec addam, non facimus cum M. Schmidtio, qui in Lachmanni libro ait tam multa egregie observata esse, ut etiam nunc bonorum seminum instar non inter vepres abiecta sperni, sed ad novos fructus ferendos disseminari mereantur (v. commentationem: ,de Caroli Lachmanni studiis metricis recte aestimandis'. Ind. schol. universitatis Jenensis 1880).

[3]) Praeter artem metricam, cuius altera editio 1879 prodiit, plurimum luminis adtulit trisemorum rationi inlustrandae disputatione egregia: ,Die rhythmische Continuität der griechischen Chorgesänge' Act. acad. bavar. class. I. vol. XIV. pars III. Monachii 1878.

CAPUT ALTERUM.

De pleni pedis arsisque trisemae responsione antistrophica.

Rem accuratius tractandam nobis proposuimus hoc capite nimis adhuc neglectam ab hominibus doctis, fierine potuerit et reapse factum sit, ut antistrophica ratione responderent inter se pes acatalectus catalectusque, strophaeque pleni pedis vicem subiret arsis polysema, cuius thesis sit suppressa, in antistropha aut invicem. atque hoc sane e rhythmi natura nihil habere, quo offendaris, nemo non fatebitur, qui non tam pedes digitis numerabit, quam ad rei rhythmicae leges exiget numeros. nam si in una eademque stropha versus diversissimae formae metricae, sed eiusdem rhythmicae notionis, in quibus theses suppressae vel non suppressae sunt, sescentiens sese excipere nemo non ignorat, veluti in Agamemnonis stropha v. 1532—1538 quater variatae trimetri formae obviam fiunt[1]), nonne necessitate quadam cogimur, ut in hanc rem inquiramus, num antithetice varias illas formas reduxerint poetae? nihil enim video, quod nos impediat, quominus ad antistrophica recte perspicienda valere verba illa dicamus, quae Mallius Theodorus p. 586 K. profert: ,si qua apud poetas lyricos aut tragicos quispiam reppererit, in quibus certa pedum conlocatione neglecta sola temporum ratio considerata sit, meminerit ea, sicut apud doctissimos quosque scriptum invenimus, non metra sed rhythmos appellari oportere.'

Verum tamen ii, qui in artis rhythmicae fundamento rem metricam construxerunt, et Westphal et Christ, hanc rem silentio premunt et Aeschyli

---

[1]) ἀμηχανῶ φροντίδος στερηθεὶς ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – ∧ 1.
εὐπαλάμων μεριμνᾶν –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⊔́ –
ὅπα τράπωμαι, πίτνοντος οἴκου. ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ –
δέδοικα δ' ὄμβρου κτύπον δομοσφαλῆ ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – 2.
τὸν αἱματηρόν· ψεκὰς δὲ λήγει. ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ –
Δίκα δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θήγει βλάβης ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ – 3.
πρὸς ἄλλαις θηγάναις μάχαιραν. ⏑ ⊔́ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – ∧ 4.

Sophoclisque editores in tragoediis recensendis hanc rationem secuti sunt, ut et in stropha et in antistropha ad amussim pedes inter se respondere iuberent. qua re factum est, ut liberioris illius responsionis iam ne umbra quidem sit relicta. ego vero nihil desperans de hac re ad eos potissimum locos animum adplicui, qui per se sanissimi unius metri causa a criticis sunt vexati, et cum primum in eam rem inquisivi, paucissima dumtaxat exempla, quae nunc quidem rhythmica eorum structura non intellecta coniecturis oppressa sunt, enotavi. sed cum iterum iterumque canticis perlectis exemplorum horum numerus magis magisque accresceret, non potui non mirari tot locis corpus sanissimum adfectum esse volneribus a medicis istis, qui liberioris responsionis naturam non perspexerant, inlatis. denuoque perlustrans hominum doctorum libros verae doctrinae quodam modo auctorem inveni Apelium, qui in Aetolorum tragoediae suae appendice brevissime adnotavit: ‚Jede der vier Formen der trochäischen Dipodie (die bakcheische, ionische, kretische, choriambische) kann im Verse mit dieser, und folglich, wo der Charakter des Verses nicht das Fortführen einer bestimmten Form fordert, mit jeder andern Form der trochäischen Zusammenziehung und Auflösung wechseln' (p. 174). quibus mox haec addit verba: ‚Dass die Kenntnis der verschiedenen Formen jeder Versgattung auch auf die Kritik der antistrophischen Gesänge, und ihre Charakterisirung von bedeutendem Einfluss sei, scheint einleuchtend' (p. 188). idemque in tragoediis suis, quas ad veterum exemplar choricis adhibitis finxit, respondentes inter se fecit hos versus;

e. c. in Aetolis:

p. 70 str. Sandtest du schon vom lichtlosen Thron   –́ ⏑ – ⏖ –́ ⏖ –
ant. Lichtlosem Gebiet der Nacht.   ⊔́ – ⏖ –́ ⏑ –
p. 28 str. Den heiligen Dienst deines Altars   – –́ ⏖ – ⏖ ⊔́ –
ant. Mit segnender Hand der Menschen Brust.   – –́ ⏖́ – ⏑ –́ ⏑ –

e veterum autem tragoediis exemplum ab Apelio adlatum ne unum quidem invenies. quo quidem officio primum functum esse video Ludovicum Bellermannum in commentatione, quam de metris Sophoclis veterum rhythmicorum doctrina explicandis scripsit (progr. Gymn. Leucophaei Berolinensis 1864). p. 29 sqq., cui adiungendi sunt Freder. Goldmann in dissert. inaug. ‚de dochmiorum usu Sophocleo', Halis 1867, p. 70 et 79, Justus Seebass ‚de versuum lyricorum apud Sophoclem responsione', Lipsiae 1880, p. 28 sqq. [1]). sed cum illi Sophoclis paucissima (vix decem apud eos invenias), Aeschyli

---

[1]) Ne quid silentio transeam, hic adscribam verba, quae in Bergkii historia litterarum III 152, adn. 500 leguntur: ‚Zuweilen werden verschiedene Versformen als Aequivalent gebraucht, eine Freiheit, die besonders den Logaöden eigen ist. Ebenso wechseln synkopirte Verse mit nicht synkopirten in Strophe und Anti-

nullum omnino protulissent exemplum, non mihi rem actam agere videbar, si hanc quaestiunculam iterum tractarem, sperans nonnihil inde lucelli ad antistrophicorum crisim rite factitandam redundaturum esse. si qui vero in eo haereant, quod nihil, nisi egregie fallor, aperte traditum sit apud veteres doctores de antithetica syllabae trisemae plenique pedis responsione, tali argumentationi quis quaeso fidem habebit? nam etsi neges rem ipsam sponte patescere ita, ut commemoratione iam non opus fuerit, tamen certe omnium magistrorum praeceptis anteponenda sunt ipsa poetarum opera, quae ultro unicuique obferunt regulas, quibus in versibus componendis illi sese adstrinxerunt; memores igitur eius, quod effatus est immortalis Hermann, disciplinam artis artem ipsam praecedere, e largissimo ipsorum poetarum fonte hauriamus et pro viribus nostris etsi imbecillis id agamus, ut aliquot saltem versus, qui nunc criticorum commentis deformati leguntur, pristino reddamus nitori.

Iam ordine dabo disposita liberioris responsionis exempla, quotquot apud Aeschylum et Sophoclem inveni:

Ag. 1537=1564:

str. *Δίκα δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θήγει βλάβης* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⌞_ –́ ⏑ –
ant. *τίς ἂν γονὰν ἀραῖον ἐκβάλοι δόμων.* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

versus strophici lectio ab omni labe immunis, ut ad amussim responsio restitueretur, ab Hermanno ita mutata est, ut *θηγάνει* ederet, quod ita adrisit omnibus editoribus, ut neque Kirchhoff neque Wecklein hanc verbi formam recipere dubitarint. atqui insolentem huius verbi formam si exemplis confirmare velis, te non fugiet hoc verbum apud unum Hesychium legi in glossa *θηγάνει· ὀξύνει*, neque ullo alio scriptoris cuiuslibet loco obviam fieri, contra *θήγειν* usu tritum esse (cf. Ag. 1261, Sept. 702), id quod sine dubio intellexerunt qui coniecere: *Δίκη . . θήγεται . . Μοίρας* (Emperius), vel *Δίκᾳ δ' . . δὴ θήγει βέλος* (Th. Heyse), *Δίκη δ' ἐπ' ἄλλου πράγματος θήγει βλάβας | πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοίρας* (Paley), *Δίκῃ δ' . . πρᾶγμ' ἄορ θήγει βλάβης πρ. ἀ. θηγάναισι Μοῖρα* (Heusde).

Cho. 42=53:

str. *τοιάνδε χάριν ἄχαριν ἀπότροπον κακῶν* ⏑ ⌞–́ ⏑⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –
ant. *σέβας δ' ἄμαχον, ἀδάματον, ἀπόλεμον τὸ πρὶν.* ⏑ –́ ⏑⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –

---

strophe, oder die Stelle der Synkope ist veränderlich. supra autem haec docet: ‚Man hat in neuerer Zeit oft höchst willkürlich die Überlieferung abgeändert, um eine vollständige Responsion auch da herzustellen, wo sie der Dichter gar nicht beabsichtigt hatte. Es kommt eben hier nicht nur auf die Eigenthümlichkeit des Versmasses und den besonderen Charakter des Liedes an, sondern auch ob ein Dichter seine Arbeit sorgsam feilte oder rasch hinwarf, war von Einfluss.' atqui idem contra haec praecepta peccavit, cum Sophoclem edidit, id quod postea ostendam.

,Metro postulante' omnes fere editores atque in his adeo Kirchhoff et Wecklein restituerunt *χάριν ἀχάριτον* ex Elmslei coniectura, quod ne cum magno rhythmi verborumque dispendio fecerint, magno opere vereor: rhythmi, cum delitescat adiectivi *τοιάνδε* vis fortissime auribus se inculcans tones ope intenta (,Und sólche Liebe liebelos'), verborum, cum nemo non videat huius dictionis *χάριν ἄχαριν,* qua nihil gravius potest cogitari, non nihil infringi robur, si una syllaba adiecta *χάριν ἀχάριτον* legas. idque optime sensisse mihi videntur poetae, quorum unus Euripides, nisi fallor, uno dumtaxat loco Phoen. 1757 *χάριν ἀχάριτον εἰς θεοὺς διδοῦσα* dixit, altero vero loco et ipse cum ceteris *χάρις ἄχαρις* praetulit; cf. Eur. J. T. 566 *κακῆς γυναικὸς χάριν ἄχαριν ἀπώλετο,* Aesch. Prom. 561 *φέρ' ὅπως ἄχαρις χάρις,* Ag. 1545 *ψυχῇ τ' ἄχαριν χάριν ἀντ' ἔργων* (Arr. Exp. IV 8, 4 *χάριν ταύτην ἄχαριν προστιθέναι Ἀλεξάνδρῳ,* Plut. Mor. p. 583 E *ἄχαρις γὰρ ἂν οὕτως ἡ χάρις,* Anth. Pal. IX 322, 2 *τὰν ἄχαριν χάριτα*). alii vero critici particulas, ut fieri solet, inseruerunt (*τοιάνδε δὲ χάριν ἄχαριν* Hartung), vel magis etiam locum immutaverunt: *ἄχαριν ἀναπότροπον* (Weil). ac ne defuerunt quidem, qui antistrophae manus correctrices admoverunt scribentes v. 53 *σέβας ἄμαχον* (Bothe) hac mensura: ⏖⏑⏑⏖⏑⏑ ⏑́⏑– vel *σ. δ' ἄ. ἄδαμον* (Lenhoff), ut antistrophae numeri aequarentur strophicis.

Perinde atque h. l. vv. dd., praeterquam quod a Medicei codicis scriptura recesserunt, verbum insuper veteribus inusitatum finxerunt Eum. 529 = 541:

str. *μήτ' ἄναρκτον βίον* –́⏑⏗–́⏑–

ant. *ἐς τὸ πᾶν δέ σοι λέγω.* –́⏑–⏑–́⏑–

pluribus enim valde probabile visum est Wieseleri *ἀνάρχετος,* cuius adiectivi verbalis nullum omnino exemplum proferre potuerunt, nisi quod similia in auxilium advocarunt: *ἄπευκτος* Ag. 643, Suppl. 797 et *ἀπεύχετος* Cho. 155, 623. contra alii aut strophae particulas intruserunt, veluti (*ἄναρκτον*) *αὖ* Scaliger, (*ἄναρκτον*) *οὖν* Heath, aut antistrophae aliquid detraxerunt, velut Lachmann, qui *δέ,* et Burney, qui *σοι* expunxit, hic *δ' ἔτι λέγω,* ille *ἐς τὸ πᾶν σοι λέγω* recepto.

Pers. 638 = 645:

str. *βάρβαρα σαφηνῆ* ⏗́⏑⏑⏗́–

ant. *δαίμονα μεγαλαυχῆ.* –́⏑⏑⏑⏗́–

omnes ad unum editores scioli cuiusdam grammatici coniecturae *μεγαυχῆ,* quam unus e libris recentioribus servavit, Medicei fidem postposuerunt. atqui lexica praeter hunc locum et Pind. Nem. XI 21 *μεγαυχεῖ παγκρατίῳ* (ubi libri *μεγαλαυχεῖ* praebent) nullum huius vocis suppeditant exemplum praeter Anth. Pal. VII 427, 7. quidni igitur *μεγαλαυχῆ* praeponamus, quod Medicei stabilitur auctoritate et duobus Aeschyli locis quodam modo fulcitur (Pers. 536 et Sept. 1046. cf. praeterea Orph. H. LXIII, 3, Manetho III

34)? unus H. Schmidt I 356 particula *γε* in versu strophico[1]) *βάρβαρά* ⟨*γε*⟩ *σαφηνῆ* interposita, antistropham intactam relinquens ita metitur: — ⏑⏑ ⏑⏑ | — —, ut per choriambum procedat oratio, cuius altera dissoluta est arsis. sed neque prioris arsis choriambicae dissolutae neque alterius esse exemplum apud tragicos ipse fatetur II 66, ubi praefert mensuram, quam nos in antistropha proponimus. haud parvi autem momenti est, quod Sophoclis exemplis prorsus geminis recte perspectis haec Aeschyli versuum metiendorum ratio omni exempta est dubitationi. legitur enim

O. R. 1195 = 1203:

str. *οὐδένα μακαρίζω* ⏗ ⏑ ⏑⏑ ⌞ —

ant. *Θήβαις ἀνάσσων.* ⌞ — ⏑ ⌞ —

quo loco omnes genuinam scripturam cum Hermanno in deterius mutarunt, cum optimum sensum *βροτῶν οὐδένα μακαρίζω* neutro posito *βροτῶν οὐδὲν μακαρίζω* corrumperent difficultatibusque, quas ipsi intulerant, artificiosis explicationibus succurrere studerent. aliam rationem secutus est Bellermann, qui Pindari Sophoclisque exemplis nisus dactyli logaoedici proceleusmaticique responsionem commendavit. librorum igitur scriptura non mutata respondere inter se *δενα μακα* ⏑⏑⏑⏑ et *βαισιν ἀ* — ⏑⏑ contendit. iam num re vera Pindarus talem sibi concesserit licentiam, h. l. perscrutari nihil adtinet, cum ea res nimis recedat a materia nostra: at ab Aeschyli Sophoclisque manu tale quid profectum esse praefracte nego. nam quos adtulit Bellermann locos, ii omnes eam admittunt explicationem, ut syllabae trisemae ratione antithetica oppositus sit trochaeus. en habes primum ex eis:

Ant. 787 = 797:

str. *καί σ' οὔτ' ἀθανάτων φύξιμος οὐδεὶς* ⏗ — — ⏑⏑ ⌞ — ⏑⏑ ⌞ —

ant. *νύμφας, τῶν μεγάλων πάρεδρος ἐν ἀρχαῖς.* ⏗ — — ⏑⏑ ⏗ ⏑ ⏑⏑ ⌞ —

labanti, ut omnes putabant, metro alii aliter succurrerunt. Meineke *v. τ. μ. ἀρχιπάρεδρος* proposuit, Emperius *τῶνδε πάρεδρος,* Gleditsch *ματρὶ πάρεδρος,* uterque verbis *ἐν ἀρχαῖς* tamquam emblemate eiectis. Bellermann ut verba tradita meo quidem iudicio recte interpretatur, ita falso hoc schema metricum adscribit: — — — ⏑⏑ ⌞ ⏑⏑⏑ ⌞ —, quamquam iam a Dindorfio poterat discere, solutam arsim choriambicam ab elegantia veteris tragoediae plane alienam esse neque ullo idoneo confirmari posse exemplo. alia vero virorum doctorum commenta refellere supersedeo. omnes enim, qui in codicum scriptura haesitant, in scirpo nodum quaerere mihi persuasum est, cum nemo

1) Dum pagellas iam typothetae commissas corrigo, apud Wilamowitzium (Philol. Unters. IX (1886) p. 151) de str. versu haec lego: ‚In dem Jonikus ist die 2. Länge durch eine Kürze vertreten. Das ist seltener aber ganz gesichert (?): Musterbeispiel der Dimeter — ⏑⏑⏑ — — *βάρβαρα σαφηνῆ* in einem schweren und verdorbenen, aber sicher jonischen Lied.' quorum verborum probabilitas nostra recepta ratione valde imminuitur.

non intellegat hunc locum a Wendtio (Sophokles Tragödien übersetzt, Stuttgart 1884) optime in sermonem nostrum translatum:

‚Siegreich strahlt der leuchtende Reiz | Aus der lieblichen Jungfrau Blick.
Neben den hohen Gesetzen thront | Er gleich jenen gebietend.'

Alterum, quod Bellermann protulit exemplum, est

Ant. 970=981:

str. *Σαλμυδησσός, ἵν' ἀγχίπολις Ἄρης* ⏗ — — ⏑⏑ — ⏑ ⏑⏑ —
ant. *ἃ δὲ σπέρμα μὲν ἀρχαιογόνων.* ⏗ — — ⏑⏑ ⊔ ⏑⏑ —

nos eodem modo explicamus. Dind. in ed. Oxon. III. haec adnotat: ‚si in antistropha recte quinque tantum legerentur syllabae *ἀρχαιογόνων,* in stropha *ἀγχίπολις* pro alius vocabuli glossemate habendum foret, velut *ἄγχουρος.* neque enim soluta arsis choriambica ferri potest. sed . . vix dubitari potest, quin in versu antistrophico vitii sedes sit quaerenda', qua re in Poet. scen. ed. V. restituendum esse suspicatur in ant. *ἀρχαιογόνοιο* . . *'Ερεχθείδα.* ita vero haesitans in stropha vel antistropha ipse indicavit nihil per se in poetae verbis displicere. si autem magistro meo dilectissimo Carolo Schenkelio probavero, ne *τοι* quidem in fine v. 981 addito opus esse (haec enim versuum est forma: ⏗ — — ⏑⏑ ⊔ — ⏑⏑ ⊔ —, in str. *ἀγχίπτολις* accepto), dum modo responsio illa adriserit, pulcherrimum operae meae fructum percipiam. de tertio Bellermanni exemplo (Ai. 402 sq.=419 sq.), cum postea disserere in animo sit, iam ad Aeschylum revertamur.

Pers. 890=899:

str. *Ἄνδρος ἀγχιγείτων* ⏗ ⏑ — ⏑ ⊔ —
ant. *αἰτία στεναγμάτων.* ⏗ ⏑ — ⏑ ⏗ ⏑ —

omnes ex Hermanni correctura *στεναγμῶν* scripserunt metri causa, sed nihil mutandum. vocis *στέναγμα* hic ut alibi semper (Soph. O. R. 5, Eur. Heracl. 478, Or. 1326, Ar. Eccl. 367) genetivi pluralis forma aptissime ponitur.

Sept. 155=162:

str. *ἑτεροφώνῳ στρατῷ* ⏑́ ⏑ ⏑ ⊔ ⏗ ⏑ —
ant. *μέλομενοι δ' ἀρήξατε.* ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏗ ⏑ —

hoc quoque loco criticos in diversissimas partes abeuntes deprehendis frustraque insudantes, ut aut in stropha metri defectus causa syllabam addant aut in antistropha recidant. Herm. *ἑτεροβάγμονι* proposuit, quod per se recte fortasse formatum exemplorum fide prorsus eget, Pauw *ἑτεροφύλῳ* (*ἑτεροφώνῳ μοι* postea), Blomfield *ἑτεροφώνῳ γε,* G. C. W. Schneider *ἑτεροφώνῳ, οἳ* vel *ἑτεροφωνοῦντι* vel *ἑτεροφωνήτῳ* vel *ἑτεροφώνῳ τῷ,* Hartung *ἐν ἑτεροθρόῳ,* Heimsoeth *ἑτεροθρευμένῳ.* antequam vero ad tales formationes veteribus maximam partem inauditas et in solis criticorum cerebellis ortas confugiamus, aut strophae verbis servatis nihil in antistropha intemptatum relinquamus (Herm. scripsit *δ' ἤξετε,* Enger *δ' ἔλθετε,* Lowinski

δ' ἄρξατε, Prien δ' εἴρξατε), tutius erit nulla litterula adfecta hanc responsionem ⊔ : – ⏑ probare.

Suppl. 784 = 792:

str. ἰὼ γᾶ βουνῖτι, ἔνδικον σέβας ⏑⏖ – – ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –

ant. ἄφυκτον δ' οὐκέτ' ἂν πέλοι κέαρ. ⏑⏖ ⊔ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –

Dind. reposuit βοῦνι, quod etiam v. 123 = 134 in ephymnio legitur ἱλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν, qua coniectura probata βουνῖτις in Etym. M. p. 208. 3 βοῦνις καὶ βουνῖτις ἡ γῆ, quod procul dubio ex hoc Aeschyli loco desumptum est, auctore caret. mihi quidem βουνῖτις in Aeschyli incude formatum videtur. nam unde librarii tam rarae notae nummum petierunt? neque hiatus in medio versu nimium offensionis habet, quippe cum post exclamationem pausa intercedat, quam h. l. recta recitatio non suadet tantum, sed flagitat. quam ob rem non facimus cum Abreschio verba ita transponente: ἰὼ βουνῖτι γᾶ 'νδικον σ.

Pers. 552 = 562:

str. γαῖ' Ἀσιὰς ἐκκενουμένα ⊔ ⏕ – ⏑ – ⏑ –

ant. αἱ δ' ὁμόπτεροι κυανώπιδες. ⏑́ ⏑ – ⏑ – ⏕ – ⏑ –

viri docti αἱ δ' omiserunt cum Brunckio (θαλασσίους λινόπτεροι Schuetz scripsit, αἰνόπτεροι Oberdick, λαιφόπτεροι Heimsoeth, ὀρσόπτεροι νυκτωπίδες Weil, qua coniectura inspecta Aeschylum in Aeschylo quaeris), Paley αἵδ' ἐύπτεροι coniecit. trochaei dactyliqui cyclii (sive spondei) responsionem, qualem in tertio conspicis pede, in versibus logaoedicis nihil offensae praebere res est notissima, id quod ex aliis exemplis elucescet.

Pers. 571 = 579:

str. τοὶ δ' ἄρα πρωτόμοροι, φεῦ ⏑́ ⏕ – ⏕ ' ∧ –

ant. γναπτόμενοι δ' ἀλλ δεινά, φεῦ. ⏑́ ⏕ ⏕ ' ⏑ –

omnes h. l. metri causa de corruptelis somniantes optimam Medicei lectionem suis commentis posthabuerunt. Dind. vocula φεῦ hic et 579 deleta Blomfieldium secutus edidit τοὶ δ' ἄρα πρωτομόροιο (πρωϊμόροιο Weil in ed. Lips. 1884) | ληφθέντες πρὸς ἀνάγκας. Schneider in str. αἶ φεῦ, in ant. δείν' αἶ φεῦ scripsit. Teuffel cum Prienio particulam γε (‚parallel', ait, ‚mit δεινά') inseruit, quae quid sibi hic velit, non elicio. Heath aliique δὴ addentes in antistr. δεινᾷ scripserunt. sed ex ipsa coniecturarum natura intellegis, quod iterum iterumque non possum non repetere, criticos sensu nequaquam offensos hic et alibi metri causa poetae verba vexasse. verum rhythmi causa hae omnes reiciendae sunt coniecturae.

Pers. 859 = 865:

str. ἰσόθεος Δαρεῖος ἄρχε χώρας ⏑́ ⏕ – ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏖ –

ant. εὖ πράσσοντας ἄγον οἴκους. ⊔ ⊔ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏖ –

et Kirchhoff et Wecklein trium syllabarum defectum praeposito ante εὖ πράσσοντας dactyli schemate indicarunt. mihi quidem sententiae a poeta satis

superque consultum videtur tribus adiectivis positis (*ἀπόνους, ἀπαθεῖς, εὖ πράσσοντας*), criticorumque supplementa inanes ingenii esse lusus contendo; *ἡμᾶς* supplet codex rec., *ἡμέας* Passow, *πάντοθεν* Weise, *εὔφρονας* Schwenck, *πατρίδος* vel *Περσίδος* Lange - Pinzger, *ἄγον*, *ἐς* Schneider, *πήματος* Paley, *κρείττονας* Lincke, *ἄκτορας* Halm, *ἀνέρας* Wecklein, *εὖ* <*τὸ πάρος*> Lindau, *εὐπολέμως* Heimsoeth, alii alia.

Pers. 1005 = 1011:

str. *βεβᾶσιν γὰρ οἵπερ ἀγρόται στρατοῦ* ⏑ ⊔ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

ant. *πεπλήγμεθ' οἷαι δι' αἰῶνος τύχαι.* ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ – – –́ ⏑ –

τοίπερ Passow scripsit, *τᾶρ' οἵπερ* Kirchhoff, *βεβᾶσιν οὐχ ᾇπερ* Heimsoeth, *βεβᾶσί γ' οἵπερ* (et 1011 *οἷαι δαίμονος τύχαι*) Enger.

Sept. 317 = 329:

str. *βοᾷ δ' ἐκκενουμένα πόλις* ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

ant. *καπνῷ δὲ χραίνεται πόλισμ' ἅπαν.* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

unus Hermann stropham temptavit proponens *δὲ καὶ κενουμένα* antistropha intemptata relicta, contra Brunck particulam *δὲ* (v. 329) ut metro adversantem omnibus editoribus adstipulantibus expunxit, quod non sine sententiarum conectendarum detrimento factum esse contendo. audias enim, quanto cum pondere singula membra per polysyndeton coniuncta intendantur inde a v. 327: *ἄλλος δ' ἄλλον ἄγει, φονεύει, τὰ δὲ πυρφορεῖ·* | *καπνῷ δὲ χραίνεται πόλισμ' ἅπαν.* | *μαινόμενος δ' ἐπιπνεῖ λαοδάμας* | *μιαίνων εὐσέβειαν Ἄρης.* | *κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ, ποτὶ πτόλιν δ' ὁρκάνα πυργῶτις.* | *πρὸς ἀνδρὸς δ' ἀνὴρ δορὶ καίνεται·* | *βλαχαὶ δ' αἱματόεσσαι . . . ἁρπαγαὶ δὲ διαδρομᾶν ὁμαίμονες·* asyndeton medium inter tot polysyndeta insertum harena sine calce esset.

Sept. 763 = 770:

str. *ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων* ⏑ ⊔ – ⏑ –

ant. *τέκνοις δ' ἀραίας* ⏑ –́ ⏑ ⊔ –

(*ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς,* | *αἰαῖ, πικρογλώσσους ἀράς*).

omnes atque adeo religiosissimi editores Hermanni coniecturam ingeniosam *τέκνοισιν δ' ἀρὰς* receperunt, quamquam eius probabilitas eo quodam modo labefactatur, quod duabus vocibus medicinam adfert. verum tamen et mihi anteponenda esset ceteris criticorum commentis (*τέκνοις δ' ἀρράτους* proposuit Bothe, *τ. δ' ὡραίας* Hartung, *τ. δ' ἀθλίας* Prien, *τ. δ' ἀγρίας* Francken, *τ. δ' Ἄρεως* Lowinski, *ἀραίας τέκνοις δ' . . τροφᾶς λιτὰς π. ἀ.* Weil) elegans haec coniectura, nisi mihi probaretur haec interpretatio: ‚Und auf der Söhne Haupt lud er grimme, wehe! bittere Fluchergüsse ob der fluchbeladenen Nachkommenschaft'. *τροφή* re vera hoc significare evincitur Sophoclis loco Aeschyleo sat simili O. R. 1 *ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή.*

Sept. 862 sq. = 868 sq:

str. *πατρῴους δόμους ἑλόν-τες μέλεοι σὺν αἰχμᾷ* ⏑ ⏗́ – ⏑ –́ ⏑ ⏗ | –́⏖ – ⏑ ⏗́ –

ant. *ἰδόντες, ἤδη διήλ-λαχθε σὺν σιδάρῳ.* ⏑ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ ⏗ | –́ ⏑ – ⏑ ⏗́ –

Schuetz, qui haec, ut ait Weil, ad antistrophicos numeros corrigenda esse bene intellegeret, ita verba transposuit *δόμους πατρῴους ἑλόντες,* Weilio ipsi haec praestare videtur transpositio *δ. ἑ. π.* Dind. Lachmannianum *τί δή* pro poetae verbis vendidit. quae omnia nihil aliud demonstrant nisi et in str. et in ant. germanas extare scripturas.

Sept. 954 = 969:

str. *ἰώ, πανδάκρυτε σύ* ⏑ ⏗́ – ⏑ –́ ⏑ –

ant. *ὅδ' ἵκεθ' ὡς κατέκτανεν.* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

in stropha alterutrum Med. *ἰὼ* expungo cum Blomfieldio, quae res levissimi est momenti, contra *πανδάκρυτε* genuinum esse censeo (cf. 641 *ὦ πανδάκρυτον ἁμὸν Οἰδίπου γένος*). quam ob rem neque eis adsentior, qui hanc vocem adtrectarunt (*ἰὼ πόλει δακρυτὲ σύ* Lachmann suspicatus est, *ἰὼ ἰὼ δακρυτὲ σύ* Herm., *ἰὼ ἰὼ πάνδυρτε σύ* Ritschl), neque Halmio *ἰὼ σὺ πανδάκρυτέ τοι* praeferenti.

Suppl. 143 sq. = 153 sq.:

str. *οὐδὲ μέμφομαι τε-λευτὰς δ' ἐν χρόνῳ* –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ | ⏗́ ⏗ –́ ⏑ –

ant. *παντὶ δὲ σθένει δι-ωγμοῖσι δ' ἀσφαλέας.* –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ | ⏗́ – ⏑ –́⏖ –

nuper hos versus innumerabilibus coniecturis defoedatos, quos adferre taedet, Buecheler Mus. Rhen. XL (1885) p. 627 satis caute ita aequandos studuit, ut *ι* et *δ'* litteris extinctis *διωγμοῖς* scriberet ita interpretatus: ‚Mit aller Macht aber soll uns den Verfolgungen gegenüber unbezwungen die Unbezwungene bewahren'. at vide, num quid tibi displiceat, si nulla litterula mutata nobiscum ita vertas: ‚Aller Macht aber und den Verfolgungen gegenüber . . .'

Ag. 172 = 180:

str. *τοῦτό νιν προσεννέπω* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

ant. *οὐδὲν λέξαι πρὶν ὤν.* –́ – ⏗ –́ ⏑ – s. ⏗́ – – –́ ⏑ –

syllabae damnum in ant. sarcire critici vario modo conati sunt: *οὐδὲ λέξεται* H. L. Ahrens scripsit, id quod Kirchhoffio et Wecklinio veri simile videtur, *οὐδὲν ἂν λέξαι* Schuetz, *οὐδαμοῦ λέξαι πρὶν ὂν* C. G. Haupt, *οὐδὲν ἄξεται* Conington, *οὐδὲν ἀρκέσαι* O. Müller, *οὐκ ἀλέξεται* Prien, *οὐκ ἀέξεται* Bergk, alii alia. ut meam breviter significem sententiam, nihil mutandum censeo, nisi quod lenissima medela adhibita aut *οὐδὲν λέξει πρὶν ὢν* aut *οὐδ' ἂν λέξαι* scripserim, ut optativus cum *ἂν* indicativi futuri vice fungatur, id quod saepius fit, cf. Ar. Ach. 403 *οὐ γὰρ ἂν ἀπέλθοιμ', ἀλλὰ κόψω τὴν θύραν*; plura suppeditat exempla Krueger 54, 3. 7. Aeschyli

vero ingenio dignissimam puto fortem illam dictionem: ‚Er wird nicht einmal sprechen von seiner früheren Grösse'.

Ag. 380=397:

str. πάρεστι τοῦτ' ἐξιχνεῦσαι ⏑ ⏒ ⏑ ⏗ ⏑ ⏗ —

ant. προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας. ⏑ ⏒ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏗ —

in his quoque versibus temptandis vv. dd. operam et oleum perdiderunt corrigentes, ubi nihil erat corrigendum. ac τοῦτό γ' iam cod. Farnesianus ex Demetrii Triclinii recensione suppeditat. nec meliora sunt, quae in mentem venerunt Ahrensio πάρεστί που τόδ', Karstenio πάρεστίν τοι τόδ', Merkelio π. τοῦτ' ἔμ', Wecklinio δ' οὖν τόδ'. Hartung autem in ant. glossatore quolibet dignum προβούλου παῖς (in str. πάρεστιν) composito προβουλόπαις, quod manifesto Aeschyli manum prae se fert, praeposuit. Margoliouth bis peccavit, quod in str. π. τοῦτ' ἰχνεῦσαι, in ant. πρόπολος ἄφερτος ἄ. restituere voluit.

Ag. 414 = 430:

str. κλόνους λογχίμους τε καὶ ναυβάτας ὁπλισμούς ⏑ ⏗ — ⏑ ⏒ ⏑ ⏗ ⏒ ⏑ — ⏑ ⏗ —

ant. πάρεισι δόξαι φέρουσαι χάριν ματαίαν. ⏑ ⏒ ⏑ ⏗ ⏒ ⏑ ⏗ ⏒ ⏑ — ⏑ ⏗ —

metro turbato opitulari sibi visi sunt plurimi transpositionibus; sic Ahrens scripsit κλόνους τε καὶ λογχίμους ναυβάτας θ' ὁπλισμούς, Enger τε καὶ κλόνους λογχίμους ναυβάτας θ', alii litterarum mutatione veluti M. Schmidt, qui κλόνους διλόγχους τε καί, Heyse, qui κλόνον λοχισμούς proposuit. ego sanam v. 413 sq. scripturam esse puto; adtributa enim ἀσπίστορας et λογχίμους nude adposita substantivo suo κλόνους neminem offendent, qui vel tria adtributa sine coniunctionis vinculo iuxta se posuisse Aeschylum meminerit Suppl. 1029 sq ἴτε μὰν ἀστυάνακτας μάκαρας θεοὺς γανάοντες πολιούχους. magis etiam a recta via aberrarunt, qui in v. 430 ulcus quaerebant veluti Herm., qui πάρεισιν δοκαὶ (ex Hesychii glossa) φέρουσαι, Bothe, qui πάρεισιν φέρουσαι δόξαι coniecit.

Ag. 727 = 737:

str. σαί-νων τε γαστρὸς ἀνάγκαις ⏒ ⏑ — ⏖ ⏗ —

ant. ἄ-τας δόμοις προσετράφη. ⏒ ⏑ ⏗ ⏖ —

nunc per omnes editiones Heathianum προσεθρέφθη propagatur.

Ag. 1482=1506:

str. ἦ μέγαν οἴκοις τοῖσδε δαίμονα ⏒ ⏑ ⏑ — — ⏒ ⏑ — ⏑ ⏑

ant. ὡς μὲν ἀναίτιος εἶ τοῦδε φό-νου. ⏒ ⏑ ⏑ — ⏖ ⏗ — ⏑ ⏑

v. 1482 ἦ μέγα δώμασι τοῖσδ' αἵμονα Herm., ἦ μ. ἐν δόμοις δ. Heimsoeth, οἰκονόμον δαίμονα Schneidewin, αὐτογενῆ vel ἐγγενέταν δ. Schoemann, alii alia. v. 1506 ἦσθα Pauw, εἶ ⟨σύ⟩ Schuetz, ἐσσὶ Wellauer, εἰ τοιοῦδε Schneider. en habes homines doctos de vitii sede fluctuantes, ubi nullum omnino adest.

Cho. 24 = 34:

str. *πρέπει παρηὶς φοίνισσ' ἀμυγμοῖς* ⏑ –́ ⏑ – – ⏗́ – ⏑ ⏗́ –
ant. *πνέων ἀωρόνυκτον ἀμβόαμα.* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⏗́ –

Dind. glossema olens *αἱματοῦσσ' ἀμυγμοῖς* edidit, alii in *φοίνισσ',* de qua feminina adiectivi *φοῖνιξ* forma non est dubitandum (cf. Pind. Pyth. I 24, IV 205), mendum latere arbitrati scripserunt *φοινίοις ἀ.* (Stanley), *παρῇσι φοίνιος διωγμός* (Herm.), *παρῇσι φοίνιος δ' ἀμυγμός* (Prien), *πάρηὶς ἀγρίοις ἀμυγμοῖς* (Keck).

Cho. 316 = 333:

str. *τύχοιμ' ἂν ἕκαθεν οὐρίσας* ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –
ant. *δίπαις τοί σ' ἐπιτύμβιος.* ⏑ ⏗́ – ⏑⏑ –́ ⏑ –

iam scholiasta *ἕκαθεν* defendit, sed critici aliud quid metri gratia reponere studuerunt: *ἀγχόθεν* Franz, *ἂν καθ' ἓν* Dind., *ἂν σέθεν* Heimsoeth, *ἂν κατεπουρίσας* Heyse. contra Herm. et Paley strophae antistropham adaptarunt, alter *δέ σ' ὅδ' ἐπιτύμβιος,* alter *δίπαις ὅδε σ'* scribendo.

Cho. 381 = 395:

str. *Ζεῦ Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων* – –́ ⏑ – ⏑ –́ – –
ant. *φεῦ φεῦ, κάρανα δαΐξας.* – –́ ⏑ – ⏑⏑ ⏗́ –

consulto hoc adscripsi antistrophae schema, quoniam productae primae verbi *δαΐζω* syllabae unum dumtaxat in promptu est exemplum Homericum, Il. XI 497 *δαΐζων ἵππους τε καὶ ἀνέρας.* neque criticos de producta syllaba cogitasse ex hoc intellegas coniecturarum conspectu: v. 381 *κάτωθεν ἰάλλων* Emperius, *κάτωθ' ἀναπέμπων* Grotefend, *ὁ πέμπων* Hartung, *ἀνελθεῖν* Schoemann; v. 395 *δαΐξασι* Schneider, *δῃώσας* L. Kayser, *δᾴξασιν* Merkel.

Cho. 626 = 634:

str. *ἐπ' ἀνδρὶ δῄοις ἐπικότῳ σέβας* ⏑ –́ ⏑ ⏗ ⏗́ ⏑⏑ –́ ⏑ –
ant. *βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος.* ⏑ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Porson scripsit *δῄοισιν,* Martin *δῄοις ἐπισκόπῳ,* Bamberger *ἐπικρίτῳ σέβας,* Wecklein Coningtonis commento *λαοῖς* Weiliique coniectura *δᾴοισιν ἐντόκῳ* conflatis *λαοῖσιν ἐντόκῳ* proposuit. quae alii, ut mendum tollerent, excogitarunt, eorum alia probabilitatis specie carent, alia omnino inepta sunt. si quis vero probabiliorem pro *ἐπικότῳ* vocem in medium protulerit, non ipsius dubitabo sententiae accedere.

Cho. 781 = 792:

str. *δὸς τύχας· τυχεῖν δέ μου κυρίως* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ –
ant. *πημάτων, ἐν δρόμῳ προστιθείς.* –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ –

in str. verba prorsus inania metri complendi causa interposita sunt. Dind. cum Bambergero *δ. τ. εὖ τ. κ.,* Schuetz *δὸς τ. νιν τ. κ.,* Herm. *δὸς τ. ὥστ' ἔχειν κ.,* Feder *δ. τ. σχεῖν δὲ μοι κ.,* Schwenck *δ. τ. μοι*

τ. κ., Wecklein τύχας εὐδίους κ., alii alia coniecerunt. v. 792 O. Müller σὺ δ' ἐν δρόμῳ, Ahrens ἀνυδρόμῳ, Grotefend βημάτων ἐνὶ δρόμῳ, Heyse πημάτων, τόνῳ δρόμου.

Cho. 796sq. = 808sq.:

str. οἵ τ' ἔσωθε δωμάτων ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ – ^
πλουτογαθῆ μυχὸν νομίζετε ⏑́ ⏑ ⊔ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –
ant. ξυλλάβοι δ' ἐνδίκως ⏑́ ⏑ ⊔ ⏑́ ⏑ – ^
παῖς ὁ Μαίας ἐπιφορώτατος. ⏑́ ⏑ ⊔ ⊔́ ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –

sententiae ex omni parte satisfactum esse, ut de scripturae sinceritate dubitandum non sit, coniecturarum edocet conspectus. Herm. ἔσω scripsit, Wellauer ἔσωθεν δόμων. contra alii deficientem syllabam in ant. suppleverunt: ξυλλάβοι δ' ἂν Lachmann, ξυλλάβοιτο Weil. v. 809 hae prolatae sunt coniecturae: ἐπεὶ φορώτατος (Emperius), ἐπιφθορώτατος (olim Herm.), ἐπιπλοκώτατος (olim Schuetz), φορώτατος θεῶν (Dind.), ἔπει φορώτατος (Oberdick).

Cho. 821 sq. = 835 sq.:

str. ἐμὸν ἐμὸν κέρδος αὔξεται τόδ', ἄ- ⏑⏑ ⊔ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⊔
τα δ' ἀποστατεῖ φίλων ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –
ant. φοινίαν ἄταν τιθείς, τὸν αἴτιον δ' ⏑́ ⏑ – – ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ ⊔
ἐξαπολλὺς μόρον. ⏑́ ⏑ ⊔ ⏑́ ⏑ –

Kirchhoff doricam formam ἁμὸν aliis quoque Aeschyli locis usurpatam recepit. at quam apte alterum ἐμὸν tone productum adhibeatur, suo loco ostendetur. v. 822 Weil ἄτα δ' ἀπέστα φίλων, Merkel ἀ. δ' ἀποστάς, Heimsoeth contra in ant. ἐξαπολλύων praetulit.

Eum. 353 sq. = 366 sq.:

str. παλλεύκων δὲ πέπλων | ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην ⊔́ ⊔ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ..
ant. Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγὲς ἀ-ξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας. ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ..

nihil prodest enarrare, quot coniecturas haec procreaverint apud eos, qui poetam in fictos suos metrorum responsionis limites artissimos compellere studuerunt. paucissimas sane adferre sufficiat ex amplissima lectionum variarum silva. scripserunt Linwood Ζεὺς δ' αἱμοσταγὲς, O. Müller Ζεύς γ' αἱμοσταγὲς (Aeschylus formam αἱμοσταγής vitavit, contra usus est forma αἱματοσταγής Sept. 821, Cho. 841). in stropha Heath ἔτι δὲ παλλεύκων, Pauw παλλεύκων δ' ἐγώ, Rossbach et Westphal παντολεύκων coniecerunt.

Eum. 373 = 383:

str. ὀρχησμοῖς τ' ἐπιφόνοις ποδός ⊔́ ⊔ ⊔́ ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –
ant. αὐδᾶται πολύστονος φάτις. ⊔́ ⊔ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –

expulerunt omnes illud ἅπαξ εἰρημένον ,ἐπίφονος', quod adiectivi vice fungitur ἐπί praepositione cum substantivo φόνος coniuncta (possis interpretari: Stolzer Sinn sinkt zur Erde . . wenn wir Schwarzverhüllte nah'n und

den Todtenreigen tanzen) eodem modo formatum, quo *ἐπίβουλος* Suppl. 595, *ἐπίκοτος* Prom. 627, Sept. 771, *ἐπίφθονος* Ag. 139, *ἐπίφοβος* Ag. 1150, *ἐπίχαρις* Sept. 894. quae cum ita sint, cur *ἐπίφονος* civitatis expers fiat et e lexicis eiciatur, utpote satis horum adiectivorum analogia defensum, non elicio. restat, ut varias, quibus hic locus temptatus est, coniecturas enumerem. Scholefied scripsit *ὀρχησμοῖσί τ' ἐπιφόνοις,* Heath *ὀρχησμοῖς τ' ἐπιφθόνοις ποδός,* quod omnes fere ut Aeschyleum receperunt, Burges *ὀρχησμοῖσί τ' ἀφθόγγοις.*

Eum. 538 sq. = 550 sq.:

str. *ἐκ δ' ὑγιεί-ας φρενῶν ὁ πᾶσι φίλος* –́ ⏖ ⌴ | ′ ⏑ – ⏑ ′⏖ –

ant. *καὶ ξενοτίμους* | *δωμάτων ἐπιστροφὰς.* –́ ⏖ – – ¦ ′ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Wecklinio valde probabile visum est Heathii commentum in v. 539 *πᾶσιν* scribentis et in v. 551 verba ita transponentis: *ἐπιστροφὰς δωμάτων.* tum in str. et ant. habes numeros per se satis concinnos. Hartung in v. 551 *δόμων* praetulit. equidem a Mediceo non recessi, nisi quod colometriam meo iudicio vitiosam lenissima adhibita medela sanavi. librarius enim ita dispescuit versus strophicos: *ἐκ δ' ὑγιείας φρενῶν* | *ὁ πᾶσι φίλος καί,* quod vitiosum esse unicuique antistropham respicienti in propatulo est. displicuit ei procul dubio discerptum *ὑγιεί-ας,* quod uni versui adtribuit et, ut iam unum vitium alterum procreare solet, *φρενῶν* in eundem reiecit versum. saepius enim eum, qui Mediceum exaravit, in colometria ita peccavisse, ut verbum inter binos distributum versiculos uni alterive adsignaret, neminem harum rerum peritum latet. contende, si lubet, in Wecklinii adn. crit. Prom. 918, Pers. 1028, Sept. 195, 327, 615, 685, 693, 745, Ag. 194, denique 261, ubi perinde atque hoc loco non modo unam syllabam, sed etiam subsequens verbum superiori addidit versui Medicei librarius.

Iam vero si haec, quae adhuc commemoravimus, recte sunt disputata, ne eis quidem locis metri concinnitatis causa quicquam addendum vel recidendum esse contendo, ubi leniores quam in permultis illis iam propositis exemplis medicinae in promptu sunt.

Ag. 205 = 218:

str. *νεῶν καὶ πεισμάτων ἀφειδεῖς* ⏑ ⌴́ ⌴ –́ ⏑ – ⏑ ⌴́ –

ant. *τέκνον δαΐξω, δόμων ἄγαλμα.* ⏑ –́ ⏑ ⌴ –́ ⏑ – ⏑ ⌴́ –

in v. 205 *τε καὶ* Porson omnibus probavit.

Ag. 384 = 401:

str. *πατοῖθ'· ὃ δ' οὐκ εὐσεβής* ⏑ –́ ⏑ ⌴ –́ ⏑ –

ant. *τρίβῳ καὶ προσβολαῖς.* ⏑ ⌴́ ⌴ –́ ⏑ –

τε ante *καὶ* addidit Triclinius, *τρίβοισι καὶ* Karsten scripsit.

Eum. 495 = 504:

str. *κρατή-σει δίκα καὶ βλάβα* –́ ⏑ ⌴ –́ ⏑ –

ant. *ἐφέρ-ψει κότος τις ἐργμάτων.* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

omnes fere cum Heathio ediderunt *δίκα τε καὶ βλάβα,* Ludwich contra in ant. *τις* delevit. longius a recta via aberrarunt Burges scribendo *δίκαν τέκνον βλάβα,* Wieseler *δίκας κακὰ βλ.,* Wunder *δίκας διαὶ βλ.,* Merkel *δίκαια καὶ βλ.,* Weil *δίκαισιν ἃ βλ.,* Verall *δίκᾳ κακᾷ βλ.*

Prom. 135 = 155:

str. *κραιπνοφόροι δέ μ' ἔπεμψαν αὖραι* ⏑́⏑⏑ – ⏑⏑ ⏑⏗ –
ant. *παῖσδ' ἀδαμαντοδέτοις λύμαις.* ⏑́⏑⏑ – ⏑⏑⏗ ⏗ –

ἀδαμαντοδέτοισι Turnebus proposuit, quod omnes receperunt; contra in v. 442 omnes cum Mediceo in epodo legerunt *δαμέντ' ἀδαμαντοδέτοις | Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεόν.*

Prom. 606 = 628:

str. *ποντίοισι δάκεσι δὸς* –́⏑ – ⏑⏑́⏑ .
ant. *δυσ-δαιμόνων δὲ τίνες οἵ.* –́⏑ ⏗ ⏑́⏑ .

hoc loco iidem, qui v. 155 syllabam addiderunt, syllaba recisa *ποντίοις* cum Byzantino quodam grammatico exhibent.

Eiusdem generis haec sunt exempla:

Sept. 727 = 734:

str. *νέοι παλαιοῖς συμμιγεῖς κακοῖς* ⏑ –́ ⏑ ⏗ ⏗́ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *θνᾴσκοντα γέννας ἄτερ σῴζειν πόλιν.* – –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ – ' ⏑ –

παλαιοῖσι recc.

Suppl. 708 = 714:

str. *προμαθεὺς εὐκοινόμητις ἀρχά* ⏑ ' ⏗ – ' ⏑ – ⏑ ⏗́ – s. ⏑ ⏗́ – –́ ⏑ . .
ant. *δαφνηφόροισι βουθύτοισι τιμαῖς.* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⏗́ –

plerique ediderunt *δαφνηφόροις* cum Schuetzio, cui sine dubio displicuerunt variae illae terminationes iuxta se positae, itaque maluit *δ. βουθύτοις τε.* stropham temptarunt Hartung, qui *προμαθέως εὖ κοινόμητις* coniecit, Paley, qui *προμαθίαις εὖ κοινόμητις* (idem in ed. a. 1883 *προμαθίας τε κοινόμητις*), aliique, quorum commenta nihil moramur.

Ag. 688 sq. = 704 sq.:

str. *μή τις ὅντιν' οὐχ ὁρῶμεν προνοί-* –́ ⏑ – ⏑ ' ⏑ ⏗ –́ ⏑ ⏗
αις τοῦ πεπρωμένου ⏗ – ⏑ ' ⏑ –
ant. *μῆνις ἤλασεν, τραπέζας ἀτί-μωσιν ὑστέρῳ χρόνῳ.* . . –́ ⏑ – ⏑ ' ⏑ –

προνοίαισι omnes cum Pauwio ediderunt.

Ag. 765 = 772:

str. *μελαί-νας μελάθροις ἄτας* –́ ⏑ ⏑ ⏗ ⏗́ –
ant. *πλού-τον παράσημον αἴνῳ.* ' ⏑ ⏑ ⏑ ⏗́ –

μελάθροισιν Triclinius.

Agmen exemplorum Aeschyleorum claudant illa, ubi versus in fine **catalecticus** — adhuc disputavimus de versibus, qui dicuntur **procatalectis**, — **acatalectusque** antithetice oppositi sunt

Prom. 173 sqq. = 195 sqq.:

str. ἐπικότως ἀεὶ | θέμενος ἄγναμπτον νόον ⏖ – ⏑ – ∧ | ⏖ – – ⏑́ ⏑ – ∧
δάμναται Οὐρανίαν ⏖́ – ⏖ –

ant. διάτορος φόβος· | δέδια γὰρ ἀμφὶ σαῖς τύχαις, ⏖ – ⏑ – | ⏑ ⏖ – ⏑ ⏑́ ⏑ –
ὅπᾳ ποτε τῶνδε πόνων. ⏑ ⏖́ – ⏖ –

melius quam ipse possum, criticorum coniecturae loci defendant integritatem. Pauw igitur commendavit τιθέμενος, Morell <τὸν> ἄγναμπτον, Butler <μάλ'> ἄγναμπτον, Ahrens ἀκνάμπετον, Arnald ἄγναμπτον <τὸν>, Winckelmann ἄγναμπτον <ὃν>. v. 196 δέδια δ' Porson, δέδια γ' Bothe, δέδι' ἄρ' Wellauer; v. 197 omnes cum Turnebo πᾶ coniecerunt (contra omnes intactum ὅπᾳ reliquerunt Prom. 937 sq., Ag. 1534, Cho. 1019).

Pers. 559 sq. = 569 sq.:

str. τόξαρχος πολιήταις, | Σουσίδαις φίλος ἄκτωρ – – – ⏑ ⏑ – – ∧ | – ⏑ – ⏑ ⏑ – –

ant. Θρήκης ἂμ πεδιήρεις | δυσχειμέρους τε κελεύθους. – – – ⏑ ⏑ – – | – – ⏑ – ⏑ ⏑ – –

Medicei scriptura δυσχειμέρους, quam omnes Arnaldi commento δυσχίμους postposuerunt, multo aptior quam illud δυσχίμους videtur. multo enim magis, ut est mea sententia, Aeschyli optimique cuiusque poetae elegantiam sapit: nam rectius Thraciae illae viae δυσχείμεροι h. e. tempestatibus obnoxiae vocantur (cf. Prom. 15, 772, Eur. Alc. 67 Θρήκης ἐκ τόπων δυσχειμέρων, quo loco fortasse ille Aeschylum respexit, Herod. IV 28), quam in universum δύσχιμοι h. e. perniciosae, malae, quod adtributum aptum est Sept. 490, Cho. 185. nihil ad Aeschyli facit locum Eur. Bacch. 15 δύσχιμον χθόνα Μήδων.

Pers. 868 sq. = 876 sq.:

str. Ἅλυος ποταμοῦ | οὐδ' ἀφ' ἑστίας συθείς ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – ∧ | ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –

ant. ἐλη-λαμέναι περὶ πύργον | τοῦδ' ἄνακτος ἄιον. ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – – | ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –

in Med. scriptura ποταμοῦδ' alterum ου alterum absorbuit (σκληροτέρα ἡ συναλοιφὴ ποταμουδὲ ἀφ' ἑστίας, οἷόν ἐστι τὸ τουένεκα τοὔνεκα Schol.) ac iam grammatici Byzantini ποταμοῦ οὐδ' vel ποταμοῦ γ' οὐδ' correxerunt. nunc vero omnes fere Burneii coniecturam ποταμοῖο οὐδ' amplexi sunt, nisi quod ποταμοῦ δή Kupfer scripsit. nostra vero metiendi ratione probata evanescit plenior illa genetivi forma et hic et v. 571 (cf. p. 148), quos locos non debebat adferre B. Gerth ut ex usu antiquiore depromptos (cf. Curtii Stud. I 2, 254), unusque restat Aesch. locus, quo plenior forma omni caret dubitatione, dico Pers. 110. in hiatu denique, quem iam vetus grammaticus γ' interposito tollere studuit, offendendum non est, praesertim cum vis hiatus pausa oblitteretur. habes plane eundem hiatum pausa excusatum Sept. 353 sq. δυσμενοῦς ὑπερτέρου ∧ | ἐλπίς ἐστι νύκτερον τέλος μολεῖν, Ag. 997 sq. σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου, ∧ | οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος. quae cum ita sint, iam ex omni parte officio meo scripturae traditae defendendae satisfactum esse puto.

Sept. 735 sq. = 743 sq.:

str. *κρατηθεὶς ἐκ φίλων ἀβουλιᾶν* ⏑ ⏗́ ⏗ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ^
γείνατο μὲν μόρον αὐτῷ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏗́ –
ant. *κακῶν δ' ὥσπερ θάλασσα κῦμ' ἄγει,* ⏑ ⏗́ ⏗ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
τὸ μὲν πίτνον, ἄλλο δ' ἀείρει. ⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⏗́ –

rursus contra rationem mihi peccare videntur edd., qui omnes scripserunt cum libris recc. *ἐγείνατο.* longe proniores enim erant librarii ad formam rariorem *γείνατο* in *ἐγείνατο* tritissimam mutandam quam in vicem; cf. Suppl. 589.

Suppl. 787 sq. = 795 sq.:

str. *μέλας γενοίμαν καπνὸς* ⏑ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ – ^
νέφεσι γειτονῶν Διός ⏑́⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *θέλοιμι δ' ἂν μορσίμου* ⏑ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ –
βρόχου τυχεῖν ἐν ὀρκάναις. ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Arnaldum secuti omnes *νέφεσσι* ediderunt; iidem Medicei *φρεσσὶν* cum Robortello in *φρεσὶν* mutarunt, locum, quem ego modo simplicissimo expedio, coniecturis vexantes: Cho. 427 sqq. = 448 sqq.:

str. *κροτητὸν ἁμὸν καὶ πανάθλιον κάρα.* ⏑ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ἰὼ ἰὼ δαΐα ⏑ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ –
πάντολμε μᾶτερ, δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσσὶν* ⏑ –́ ⏑ ⏗ ⏗́ ⏗ ⏗́ –
γράφου δι' ὤτων δὲ συν- ⏑ –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ –
τέτραινε μῦθον ἡσύχῳ φρενῶν βάσει. ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

ne in colometria quidem h. l. a Mediceo recedo, quem archetypi distributionem et verba nobis servavisse quovis pignore contendo. tam praeclara enim arte Aeschylus in ant. rhythmum argumento accommodavit, ut nihil perfectius possit cogitari. quasi in aere singulae vocum gravissimarum *ἀκούων ἐν φρεσσὶν* syllabae in Orestis animo insculpuntur — ne sibilum quidem duplicem in *φρεσσὶν* ad tale *πάθος* optime quadrantem momento suo carere puto —, ut penitus in mente eius inhaerescant. repetitas igitur tonas ab Aeschylo hoc loco praeclarissime usurpatas esse arbitror ad rei immanitatem designandam. haec sufficiant ad rationem nostram firmandam; superest tamen adhuc, ut aliorum opiniones adferamus. Wecklein igitur *γράφου* versui superiori adtribuit et verbi iambici lacunam indicavit. ad v. 428 adnotat: ,alterum *ἰὼ* delet Paley.' haud secus alii quoque hunc locum lacunosum putantes pannos suos poetae verbis adsuebant, veluti Seidler, qui *ἐν φρεσὶν σαῖσιν γρ.,* Bothe, qui *ἐν φρ. σέθεν,* Enger, qui *ἐν φρενῶν δέλτοις γράφου,* L. Kayser, qui *φρεσὶν μὲν ἐγγράφου* (*καὶ* 427 deleto), Romahn, qui *ἐν φρ. γρ. κακὰ,* Iw. Mueller, qui *ἐγγράφου δέλτοις φρενῶν,* Paley, qui *λύματ' ἐν φρεσὶν γράφου* proposuit. quid quod ne sic quidem in v. 428 et in v. 449 concinnos effecerant numeros. itaque hos etiam versus integerrimos

variis foedarunt coniecturis, veluti *σὺ δ' ὦ δαΐα* scribendo Enger, *ἰὼ δάα παντότολμε* Ahrens (ad versus antistrophici *δι' ὤτων δὲ συν-* rationem uterque). in v. 448 Klausen *γράφου* geminavit, Weil <*κλύοις*> *δι' ὤτων δέ,* alii alia. sed putidum videtur plura congerere.

Cho. 65 sqq. = 70 sqq.:

str.	*τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαρρύδαν.*	⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⏑́⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
	διαλγὴς ἄτη	⏑ ⌊́ ⌊ ⌊́ – ∧
	διαφέρει τὸν αἴτιον	⏑́⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
	παναρκέτας νόσου βρύειν.	⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –
ant.	*ἄκος, πόροι τε πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ*	⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
	βαίνοντες τὸν	⌊́ ⌊ ⌊́ – ∧
	χερομυσῆ φόνον καθαί-	⏑́⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⌊
	ροντες ἴθυσαν μάταν.	–́ ⏑ – – –́ ⏑ –

(v. 73 cum Musgravio *ΙΘΥΣΑΝ* pro Medicei scriptura *ΙΟΥΣΑΝ,* quae sensu cassa est scribo). Dind. manifestam esse corruptelam dicit; requiri enim pro *παναρκέτας* vocabulum cretici mensuram habens. simul vituperat scholiastam tamquam ineptientem, qui mea quidem sententia recte interpretatur: *τῆς εἰς πάντα τὸν χρόνον ἀρκούσης αὐτῷ.* v. 71 *διαίνοντες* Lachmann suspicatus est, *προβαίνοντες* Bamberger, *ἐλαύνοντες* Ludwich, *συμβαίνοντες* Paley. v. 72 sq. Wecklein suum *φόνον* <*ῥοαῖσιν*> *ἠόνησαν ἂν μάταν* appendici suae debebat committere ,ut Orco omnia recondenti', non textui subiungere. item inter lusus ablegandae sunt coniecturae Heimsoethii *χ. καθαρσίοις πόνον πονοῖεν ἂν μάτην,* Keckii *χερομυσῆ μιαιφόνον κατακλύσουσ' ἀεὶ μάταν,* M. Schmidtii *φ. καθαιματοῦντα λοῦσις ἐς μάτην,* Bambergeri *καθάρσιοι κλύσαιεν ἂν μάτην,* Hermanni *καθαρσίοις ἴοιεν ἂν μάτην.*

Eum. 513 sqq. = 522 sqq.:

str.	*τοῦτ' ἔπος θροούμενος·*	–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏒
	ἰὼ δίκα, | ἰὼ θρόνοι τ' Ἐρινύων	⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant.	*δεῖ μένειν καθήμενον.*	–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
	ξυμφέρει | σωφρονεῖν ὑπὸ στένει.	–́ ⏑ – ∧ | –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

omnes cum Pauwio *ὦ δίκα, ὦ* scripserunt.

Eum. 531 sq. = 543 sq.:

str.	*αἰνέσῃς. | ἄπαντι μέσῳ τὸ κράτος*	–́ ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –
ant.	*μηδέ νιν | κέρδος ἰδὼν ἀθέῳ.*	–́ ⏑ – ∧ | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

omnes cum Pauwio *παντὶ* ediderunt.

Sept. 917 sq. = 929 sq.:

str.	*ὁμόσποροι δῆτα καὶ πανώλεθροι,*	⏑ –́ ⏑ ⌊ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
	διατομαῖς οὐ φίλαις	⏑́⏑ ⌊ –́ ⏑ –
ant.	*ἔχουσι μοῖραν λαχόντες μέλεοι*	⏑ –́ ⏑ ⌊ –́ ⏑ ⌊ –́ ⏑ ⏑ –
	διοσδότων ἀχθέων.	⏑ –́ ⏑ ⌊ –́ ⏑ –

editores haud recte scripturam traditam mutarunt ὦ ante *μέλεοι* inserentes, quo tota depravatur oratio. interpretanda sunt haec verba: ,ihr Theil des Leids haben erlost die Armen', quid vero sibi velit: ,sie haben erlost, o Arme', ut subiecti loco eadem (tertia) persona fungatur, quae iam vocativi h. e. secundae personae formam induit, prorsus non adsequor. in v. 930 lenissima medela admota *ἀχθέων* pro Med. *ἀχέων* scribimus, in quibus formis confundendis sollemniter peccant librarii; cf. Cho. 418. Soph. O. R. 1355. sed iam solito more proponamus virorum doctorum coniecturas: v. 918 *ἀφίλοις* H. Voss, *διαντομαῖς* vel potius *διαρταμαῖς* Ahrens (quibus substantivis lexica locupletantur), *διαπλοκαῖς* Hartung, *διαλλαγαῖς* Oberdick. v. 930 *θεοδότων* C. G. Haupt, *διοδότων* Bothe, *διαδότων* Meineke.

Aeschyli locis, qui ad hanc rem faciunt, enumeratis iam Sophoclis exempla, quae in perlustrandis canticis repperisse mihi videor, sequantur brevissime enarrata.

Ai. 905 = 951:

str. *τίνος ποτ' ἆρ' ἔπραξε χειρὶ δυσμόρος* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *ἄγαν ὑπερβριθὲς ἄχθος ἤνυσαν.* ⏑ –́ ⏑ ⌊– –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Dind.: ,*ἔπραξε* ab interpolatore, qui trimetrum restituere voluit. emendavit Herm. collata Hesychii glossa, qua *ἔρξεν* per *ἔπραξεν* explicatur'. *ἔπαθε* Wecklein coniecit, *ἆρ'* cancellis saepsit Bergk. eosdem versus eandemque responsionem habes:

Ai. 369 = 384:

str. *οὐκ ἐκτός; οὐκ ἄψορρον ἐκνεμεῖ πόδα* – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *ἴδοιμί νιν, καίπερ ὧδ' ἀτώμενος.* ⏑ –́ ⏑ ⌊– –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Neue in str. alterum *οὐκ* expunxit gravissimaque anaphora remota poetico colore privavit orationem; cf. O. R. 430, 1146. alii in ant. particulas otiosas temere addiderunt, veluti L. Dindorf *ἴδοιμι* <*μήν*> *νιν*, Elmsley *ἴδοιμ'* <*ἐγώ*> *νιν* scripsit.

El. 123 = 139:

str. *τάκεις ὧδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν* –́ – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⌊– ⌊–́ –
ant. *ἀν-στάσεις οὔτε γόοις οὔτε λιταῖσιν.* –́ – – ⏑ ⏑ ⌊–́ – ⏑⏑ ⌊–́ –

plerique in ant. cum Hermanno scripserunt *οὔτε γόοισιν οὔτ' ἄνταις* (ex Hesychii glossa). Gleditsch (,Cantica'[2]) proposuit *τάκεις* | *ὧδ' ἀκόρεστον στενάχουσα,* Mekler in ed. Dindorf. VI.: ,an verbis antistrophicis sicut traduntur servatis *τάκεις ὧδ' ἀκόρεστ' αἴλινον ἀχάν*'? mihi quidem codicis lectio ipsa se probare videtur.

O. C. 702 = 715:

str. *τὸ μέν τις οὔτε νεαρὸς οὔτε γήρᾳ* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ ⌊–́ –
ant. *πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς.* – –́ ⏑ ⌊– –́ ⏑ – ⏑ ⌊–́ –

Dind.: ‚νεαρὸς aut ex glossemate inlatum aut librarii errore ex vera, quam restitui, scriptura οὐθ᾽ ἁβός depravatum est violato metro.' Ritschl suasit τὸ μέν τις ἀκμαῖος οὔτε γηράς, Buecheler οὔτ᾽ ἔνεδρος οὔτε χώρας ἐμβαίνων, Gleditsch τὸ δ᾽ οὔτε τις νεῶρος, Bergk τὸ μέν τις οὔτ᾽ ἔαρος οὔτε γήρᾳ.

Phil. 686 = 701:

str. ὤλλυθ᾽ ὧδ᾽ ἀναξίως. –́ ⏑ – ⏑ ′ ⏑ –

ant. εἵρπε γὰρ ἄλλοτ᾽ ἄλλᾳ. –́ ⏑⏑ – ⏑ ⌊ –

Dind. ex Erfurdtii coniectura ὠλέκεθ᾽ ὧδ᾽ ἀτίμως rursus olens glossema, Bergk ὤλλυτ᾽ ἀνάξι᾽ ὧδε, Linwood ἀνοίκτως, Gleditsch temere coniecit ἀπώλλυθ᾽ ὧδ᾽ ἀναξίως. θάμβος μ᾽ ἔχει (Med. ἀν. τόδε θαῦμ᾽ ἔχει με) et διεῖρπε δ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλα γᾶς εἱλούμενος.

Ai. 1190 = 1197:

str. ἀνὰ τὰν εὐρώδη Τροίαν ⏑⏑ –́ – – – ⌊ –

ant. ἰὼ πόνοι πρόγονοι πόνων. ⏑ –́ ⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑ –

Dind. et in str. et in ant. immutavit scripturam, illic ἀν᾽ εὐρώδη Τροΐαν, hic ἰὼ πόνοι πρόπονοι scribendo. Ahrens scripsit ἂν τὰν εὐρώδεα (ἀν᾽ ἀερώδεα G. Wolff) Τρωΐαν, Blaydes ἀνὰ χθόν᾽ εὐρυεδῆ Τροίας, Wecklein ἀν᾽ ἀνεμώδεα Τρωΐαν. mihi εὐρώδης recte se habere videtur; derivandum enim est cum Lobeckio ab εὐρύς, ut ex βραχύς et τραχύς facta sunt βραχώδης et τραχώδης. longitudines in stropha coacervatae dubios nos faciunt de trisemae sede: possis enim tribus modis notare, ut supra indicavi, deinde ⏑⏑⌊ – – –́ – –, denique ⏑⏑ –́ – ⌊ –́ – –. verum prima mensura propter ictus metrici et verborum accentus congruentiam veri simillima est.

O. R. 1207 = 1216:

str. ἰὼ κλεινὸν Οἰδίπου κάρα ⌊ ⌊ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

ant. ἰὼ Λαΐειον τέκνον. ⌊ ⌊ –́ ⏑ ⌊ ′ ⏑ –

Dind.: ‚metri defectum explet Bothii coniectura Λαΐηιον, ad quam formam non est veri simile Sophoclem confugisse. Erfurdt ἰώ, Λαΐειον ὦ τέκνον scripserat. aliam coniecturam periclitatus est Schneidewin ἰώ, Λαϊαγενὲς τέκνον.' conferas velim O. R. 451. Mekler: ‚an Λαΐειον ἔκγονον?'

O. C. 1078 = 1089:

str. εὐ-ρουσᾶν πρὸς αὐθομαίμων πάθη – –́ ⏑ – ⏑ ⌊ – ⏑ –

ant. εὔ-αγρον τελειῶσαι λόχον. – ′ ⏑ ⌊ ⌊ – ⏑ –

omnes cum Bothio αὐθαίμων ediderunt.

O. C. 1733 = 1746:

str. ἄγε με, καὶ τότ᾽ ἐνάριξον. ⏑́⏑ ⌊ ⏑́⏑ – ⏑

ant. μέγ᾽ ἄρα πέλαγος ἐλαχέτην τι. ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑́⏑ – ⏑

omnes cum Elmsleio ἐπενάριξον ediderunt, quod verbum alibi non legi, sed satis id defendi simili verbo ἐπισφάζειν, quo saepius usus est Euripides,

monet Elmsley. tantum autem abest, ut hac mutatione, cuius solum metrum ansam dedit, emendetur oratio, ut, ne depravetur, verear. neque enim potes hunc locum interpretari: ‚Führ' mich hin und tödte mich dazu' — nemo enim Oedipum occidit (cf. v. 1663 sq.), — neque veri similis est e re grammatica explicatio: *ἐπενάριξον*: *ἐπὶ τῷ πατρί* (Nauck). contra in scriptura tradita omnia recte se habent.

Trach. 959 = 968:

str. *ἐπεὶ ἐν δυσαπαλλάκτοις ὀδύναις* ⏑⏑ –́ ⏑⏑ – – –́ ⏑⏑ –
ant. *αἰαῖ, ὅδ' ἄνανδος φέρεται.* – –́ ⏑⏑ ⊔ –́ ⏑⏑ –

ex Erfurdtii coniectura omnes *ἀναύδατος* ediderunt (‚sed correctio incerta' Bergk). Dind. haec adnotat: ‚*ἀναύδατος* i. e. *μηδὲ φωνὴν προέσθαι δυνάμενος,* ut explicat scholiasta.' rectissime; sed scholiasta his verbis non Erfurdtii coniecturam, sed Sophoclis *ἄνανδος* explicavit, quod re vera est ‚voce carens, silens, mutus,' cf. Trach. 861, El. 1284, O. C. 1274, 1404. *ἀναύδατος* vero significat ‚ineffabilis, nefandus', cf. Ai. 715, non ‚mutus', cuius notionis unicum ex Anth. Pal. VII 191, 5 exemplum adferunt lexica, quod non tam firmum est, ut inde contra Sophoclis aliorumque eiusdem aetatis poetarum morem quicquam concludi possit.

El. 1088 = 1095:

str. *δύο φέρειν ἐνὶ λόγῳ* ⏑́⏑ ⊔ ⏑́⏑ –
ant. *νόμιμα, τῶνδε φερομέναν.* ⏑́⏑ – ⏑ ⏑́⏑ –

ἐν ante *ἐνὶ* metri causa addidit Brunck.

El. 1239 = 1260:

str. *ἀλλ' οὐ τὰν Ἄρτεμιν τὰν αἰὲν ἀδμήταν* – –́ – – – ⏑ –́ – – – ⏑ –́ – –
ant. *τίς οὖν ἀξίαν γε σοῦ πεφηνότος* ⏑ ⊔́ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
(*μεταβάλοιτ' ἂν ὧδε σιγὰν λόγων;*)

τὰν delevit Blaydes scripsitque *ἀλλ' οὐκ Ἄρτεμιν*; de v. 1260 Dind.: ‚*ἂν* post *οὖν* recte additum in codice videtur . . . nisi quis *ἀνταξίαν* praeferat, quod coniecit Arndt'.

El. 1400 = 1424:

str. *ΧΟ. πῶς δή; τί νῦν πράσσουσιν;* – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ΗΛ. ἣ μὲν ἐς τάφον
ant. *ΗΛ. Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ;* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – ⏑ –́ ⏑ –
ΟΡ. τἀν δόμοισι μὲν (*καλῶς*).

κυρεῖτε omnes cum Elmsleio ediderunt corrumpentes orationem, cui, si responsionem Orestis respicis, unice convenire videtur *κυρεῖ*; cf. praeterea Phil. 440.

O. R. 657 = 686:

str. *σὺν ἀφανεῖ λόγῳ σ' ἄτιμον ἐκβαλεῖν* ⏑́⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *φαίνεται ἐνθ' ἔληξεν, αὐτοῦ μένειν.* –́ ⏑⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ –

βαλεῖν ex uno duobusve apographis et Suida plerique ediderunt. Mediceus *ἐκβαλεῖν* praebet, unde *ἄτιμ' ἐκβαλεῖν* coniecit Kvičala.

O. R. 665 sqq. = 694 sqq.:

str. *γᾶ φθίνουσα τρύχει ψυχάν,* –́ ⏑ – ⏑ –́ – – –
καὶ τάδ' εἰ κακοῖς κακὰ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
προσάψει τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῷν. ⏑ ⊔́ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ –
ant. *ἐν πόνοις ἀλύου-* –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ ⊔
σαν κατ' ὀρθὸν οὔρισας, –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
τανῦν τ' εὔπομπος, εἰ δύνᾳ, γενοῦ. ⏑ ⊔́ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Dind. *φθινὰς* scripsit pro *φθίνουσα,* ‚ut metri saltem forma restitueretur probabilior, quam si quis in ant. v. 694 *πόνοισιν* pro *πόνοις* scribat'. at *φθίνουσα* non debebat ei in dubitationem vocari recordanti v. 25. praeterea omnes *καὶ* ante *τάδ'* delent cum Hermanno, qui alibi *ψυχάν* deleto sic locum conformat: *ἀλλά μ' ἃ δυσμόρως | γᾶ φθίνουσα τρύχει καὶ τάδ'*. v. 667 Nauck metri exaequandi causa *τὰ πρόσφατα* edidit. Dind. contra de ant. ita nugatur: ‚Quod in codice scriptum est *εἰ δύναι γενοῦ* ab *διορθωτῇ* in *δύναιο* mutatum: unde apographa, ut videtur, omnia *εἰ δύναιο γενοῦ*. recte Bergk *εἰ γένοιο,* quae scriptura in *εἰ δύναι* (vel *δύναιο*) *γενοῦ* ab interpolatore est mutata, qui non vidisset *εἰ* hic non »si« significare sed »utinam«'. mihi vero quidem nihil aliud statuendum esse videtur nisi iam veterem illum diorthotam rhythmi leges ignorantem scripturam Medicei integerrimam deformavisse.

O. R. 867 = 877:

str. *δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος* ⏑ –́ ⏖ – – –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ –
ant. (*ἀκρότατα γεῖσ' ἀναβᾶσ'*)
ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν. ⏑ ⏖́ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ –

(Med. *ἀκροτάταν εἰσαναβᾶσ'*; ex coniectura palmari G. Wolffii *γεῖσ',* quod recepi). Bergk: ‚*δι' αἰθέρα τ.* aperte corruptum, conieci *οὐρανίαν αἰθέρα τανυσθέντες,* ut *δι'* ex interpretatione sit additum, vel *δι' αἰθέρ' ἐκταθέντες,* ut in ant. scribatur *ἀπότομον εἶτ' ὤρουσεν.*' J. H. Schmidt *οὐρανίᾳ αἰθέρι.* v. 876 *ἀκρότατον εἰσαναβᾶσ'* <*αἶπος*> Arndt, *ἀποτμοτάταν* Schnell. Gleditsch et str. et ant. temere inmutavit.

O. R. 1089 = 1100:

str. *οὐ τὸν Ὄλυμπον ἀπείρων, ὦ Κιθαίρων* –́ ⏖ – ⏖ –́ – – ⏑ ⊔́ –
ant. *Πανὸς ὀρεσσιβάτα προσπελασθεῖσ'.* –́ ⏖ – ⏖ ⊔́ – ⏑ ⊔́ –

plerisque adrisit Lachmanni coniectura *πατρὸς πελασθεῖσ',* quae inepta est (recte Wolff: ‚man verstände als ihrem Vater nahen und auch die Deutung »Vater Pan« passt hier wenig'). Brunck unam, ‚quae ad integritatem syllaba deest' (Dind.) supplevit addendo *που* post *ὀρεσσιβάτα,* Dind. violentissime *Νύμφα ὀρεσσιβάτᾳ που Πανὶ πλαθεῖσ',* Gleditsch *λέκτροις πελασθεῖσ'*.

O. R. 1205 = 1214:

str. *τίς ἐν πόνοις, τίς ἄταις ἀγρίαις* ⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⊔́ ⊔ ⏑́ ⏑ –
ant. *δικάζει τὸν ἄγαμον γάμον πάλαι.* ⏑ ⊔ ⊔ ⏑́⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –

quamquam omnis corruptelae statuendae via erat praeclusa, transpositione metro labanti succurrere conati sunt editores. Herm. igitur strophae verbis transpositis *τίς ἄταις ἀγρίαις, τίς ἐν πόνοις,* insuper in ant. *τὸν* in *τ'* mutavit, quas correctiones recepit Dind., Bergk scripsit *τίς ἐν πόνοισιν τίς ἀγρίαις ἄταις* et in ant. *γάμον δικάζει τὸν ἄγαμον π.*, J. H. Schmidt e priore Gleditschii coniectura *τίς ἄταις ἐν ἀγρίαις τίς ἐν πόνοις*; ipse Gleditsch postea *τίς ἄταις, τίς ἀγρίοις πόνοις* <*τόσοις*>.

O. C. 121 = 153:

str. *λεύσατ' αὐτόν, προσδέρκου* ⏑́ ⏑ ⊔ ⏑́ – – –
ant. *ἀλλ' οὐ μὰν ἔν γ' ἐμοί.* ⏑́ – ⊔ ⏑́ ⏑ – ∧

προσδέρκου λεῦσσέ νιν Hermanno praeeunte Nauck, *λεῦσσ' αὐτόν, προσδρακοῦ* Meineke. in Medicei verbis per se nihil displicet — coryphaeus enim verba gestibus inlustrans per pluralem *λεύσατ'* omnes choreutas, per *προσδέρκου* et *προσπεύθου* singulos adloquitur —, nisi quod aoristi verbi *λεύσσειν* non alia adferuntur exempla quam Manethonis V 43, VI 487, 620. sed ne sic quidem ad violentam Hermanni confugiendum est coniecturam et singula verba mutantis et transponentis, quippe cum in promptu sit scribere *λεύσσετ' αὐτόν, προσδέρκου.* ceterum, ut hoc addam, de trisemae sede propter syllabas longas coacervatas dubitare possis. licet etiam metiri ⊔́ – – ⏑́ ⏓ –.

O. C. 535 = 542:

str. *σαί τ' ἄρ' εἰσὶν ἀπόγονοί τε καὶ* ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –
ant. *δύστανε, τί γάρ; ἔθου φόνον.* ⊔́ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –

αὗται γὰρ ἀπόγονοι τεαί Herm., *σαί τἄρ' ἴσ'* (*ἅμ'* Bellermann) *ἀ. τ. κ.* Reisig et Bergk, *ἄρ' εἰσὶν ἀπόγονοί τε καὶ* Nauck in ed. Schneidew. III.

O. C. 1074 = 1085:

str. *ἔρδουσιν ἢ μέλλουσιν; ὡς* – ⏑́ ⏑ – – ⏑́ ⏑ –
ant. *ἰὼ Ζεῦ, πάνταρχε θεῶν.* ⏑ ⊔ – – ⏑́⏑ –

Nauck e Steinharti coniectura edidit *ἔρδουσ',* Dind. cum Hermanno *ἔρδουσιν ἢ μέλλουσ'* et in ant. *ἰὼ πάνταρχε θεῶν* | *παντόπτα Ζεῦ πόροις,* Gleditsch temere refinxit antistropham.

O. C. 1677 = 1704:

str. *ΧΟ. τί δ' ἔστιν; ΑΝ. οὐκ ἔστιν μὲν εἰκάσαι, φίλοι* ⏑ ⏑́ ⏑ – – ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –
ant. *ΧΟ. ἔπραξεν; ΑΝ. ἔπραξεν οἷον ἤθελεν.* ⏑ ⏑́ ⏑ ⊔ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –

Herm. in str. *οὐκ* expunxit contra poetae mentem; Antigona enim dicit tantum esse dolorem, quocum nihil possit comparari (cf. schol. *οὐδὲ εἰκόνα ἔχω λαβεῖν τοῦ πάθους* et v. 1675 *ἐν πυμάτῳ δ' ἀλόγιστα παροίσομεν*). Bellermann alterum *ἔπραξεν* in *ἐξέπραξεν* mutavit, quod his defendit verbis:

‚Die Präposition hebt denselben Sinn noch mehr hervor. Deutsch etwa: So ist's mit ihm zu Ende? Ganz zu Ende.' mihi eadem verba, quorum alterum tone auctum est, repetita multo maiore cum vi in aures cadere videntur: ‚Sein Loos erfüllt? Ant. Erfüllt wie er es sich gewünscht'.

O. C. 1695 sq. = 1722 sq.:

str. *μηδ' ἄγαν οὕτω φλέγεσθον·* –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑
οὔ τοι κατάμεμπτ' ἔβητον ∟ – ⏑⏑ –́ ⏑ – ⏑
ant. *λήγετε τοῦδ' ἄχους· κακῶν* –́ ⏑⏑ – – –́ ⏑ – ∧
γὰρ δυσάλωτος οὐδείς. –́ ⏑⏑ – ⏑ ∟ – ∧

Dind. *μηδέν* scripsit pro *μηδ'* et *ἄγαν* pro *ἁ. οὕτω* cum Burtono. Herm. *λήγετ' ἤδη τοῦδ'.*

O. C. 1735 sq. = 1749 sq.:

str. *αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑
αἰῶνα τλάμον' ἕξω ∟ – ⏑ –́ ⏑ – –
ant. *ἐλπίδων γὰρ ἐς τί με* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ ∧
δαίμων τανῦν γ' ἐλαύνει. ∟ – ⏑ –́ ⏑ – –

Elmsley suspicatus est *ἐς τί δή με,* Herm. *ἐς τίν' ἔτι με,* Duentzer *ἐς τί ποτέ με.* Nauck dissecuit potius nodum quam solvit in str. *ἄπορος* delendo, in ant. scribendo *ἐ. γ. ἐς τί δαίμων τὰ νῦν μ' ἐλαύνει;* cf. O. R. 771.

Ant. 105 = 122:

str. *Διρκαίων ὑπὲρ ῥεέθρων μολοῦσα* – ∟ – ⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑ ∟ –
ant. *πλησθῆναι καὶ στεφάνωμα πύργων.* – ∟ ∟ –́ ⏑⏑ – ⏑ ∟ –

in v. 121 *τε καὶ* Triclinius scripsit, *τό τε* Blaydes, *καὶ πρὶν* Wolff, Gleditsch in v. 105 *ἐκ ῥεέθρων* metro ita constituto – – – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ∟ –.

Ant. 586 sqq. = 598 sqq.:

str. *ὅμοιον ὥστε ποντίας ἁλὸς* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑⏑
οἶδμα, δυσπνόοις ὅταν –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
Θρῄσσαισιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς – –́ ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ –́ ⏑ –
ant. *θεῶν τις οὐδ' ἔχει λύσιν.* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ῥίζας τέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις. – ∟ ⏑⏑ ⏑⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Meineke coniecit *ὅμοιον ὥστε ποντίας οἶδμ' ἁλός, πνοαῖς ὅταν Θρῄσσῃσιν ..ῥοαῖς,* Bergk *ὅμοιον* cancellis saepsit (in ant. *θεῶν* per synizesim legit), Gleditsch haud inscite *ὅμοιον ὥστε πόντιον σάλευμα δυσπνόοις ὅταν* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –, in ant. *θεῶν τ. ὀ. ἔ. λ. νέον γὰρ*; v. 589 *Θρῄσσαις* Triclinius. Dind. e scholiastae interpretatione (*λείπει ἄρθρον τὸ ὅ· τὸ δὲ λεγόμενόν ἐστι τοιοῦτο· νῦν γὰρ ὅπερ ἐτέτατο*) *ὃ* addidit in v. 600: *ῥίζας ὃ τέτατο.* atque eodem iure M. Schmidt eodem usus scholio *ἐτέτατο* proposuit. attamen in membris paratactice conexis, ubi hypotaxim (concessivam) exspectes, nemo haerebit, qui quidem

omnem hypotaxim e parataxi ortam esse sciat. apte enim enuntiata per *αὖ* coniunctionem sese excipiunt: *κατ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κοπίς*. recte igitur vertit Wendt: ‚Auf der Wurzel letztem Spross lag | Hellerer Glanz noch im Hause des Ödipus; | Doch der Todesgötter blutig | Rothe Sichel mäht ihn ab.'

Ant. 975 = 986:

str. *ἀραχθὲν ἐγχέων ὑφ'. αἱματηραῖς* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –
(*χείρεσσι καὶ κερκίδων ἀκμαῖσιν.*)
ant. *θεῶν παῖς· ἀλλὰ κἀπ' ἐκείνᾳ.* ⏑ ⌞́ ⌞ –́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –

Lachmann *ἀραχθέντων* pro *ἀραχθὲν ἐγχέων* scripsit, Herm. *ἄτερθ' ἐγχέων,* quae facile refutantur, si codicum lectionem recto talo stare posse evincitur. iam scholiasta recte verba ita construxit: *ἀραχθὲν αἱματηραῖς χείρεσσιν, ὑπ' ἐγχέων καὶ κερκίδων ἀκμαῖς*. unde totum locum ita fere possis interpretari: ‚Ares sah die fluchenswerthe Wunde, die von der wilden Gattin den Phineiden in ihre um Rache schreienden Augenkreise sie blendend (*τυφλωθὲν* v. 973) geschlagen worden war mit der Schwerter und Spangen Spitzen unter Befleckung ihrer Hände.' si vero coniecturis illis probatis construxeris *ὑφ' αἱματηραῖς χείρεσσι καὶ κερκίδων ἀκμαῖσιν,* nemo non *χεῖρες* et *ἀκμαί* inepte coniungi sentiet.

Ant. 1122 sq. = 1133 sq.:

str. *ματρόπολιν Θήβαν | ναίων παρ' ὑγρῶν* –́ ⏖ – – –́ ∧ | ⌞ –́ ⏖ –
ant. *πο-λυστάφυλος πέμπει | ἀμβρότων ἐπέων.* –́ ⏖ – – –́ ∧ | – ⏑ –́ ⏖ –

v. 1123 *ναιετῶν* Dind. scripsit, *ἐνναίων* Herm.

Ant. 1137—1141 = 1146—1150:

str. *τὰν ἐκ πασᾶν τι-* – ⌞́ ⌞ ⌞́ ⌞
μᾷς ὑπερτάταν πόλεων –́ ⏑ – ⏑ –́⏖ – ∧
ματρὶ σὺν κεραυνίᾳ· –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
καὶ νῦν, ὡς βιαίας –́ – – ⏑ ⌞́ –
ἔχεται πάνδαμος πόλις ἐπὶ νόσου ⏖ ⌞́ ⌞ ⌞́ –⏖ ⏖́ –
ant. *ἰὼ πῦρ πνεόντων* ⏑ ⌞́ – ⏑ ⌞́ –
χοράγ' ἄστρων καὶ νυχίων ⏑ ⌞́ – – –́⏖ – ∧
φθεγμάτων ἐπίσκοπε, –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
παῖ Διὸς γένεθλον, –́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –
προφάνηθι Ναξίαις σαῖς ἅμα περιπόλοις. ⏖ –́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –⏖ ⏖́ –

Dind. *τὰν ἔκπαγλα τιμᾷς ὑπὲρ πασᾶν πόλεων* et 1141 *ἔχεται πάνδαμος ἀμὰ* (quod addidit Boeckh) *πόλις* ⏖ –́ – – ⏑ ⌞ – ⏖ = *προφάνηθ'* ⟨*ὦ*⟩ *Ναξίαις σαῖς ἅμα π.*; Bergk *προφάνηθ', ὦναξ σαῖς* e. q. s.; v. 1146 Wolff *πύρπνων* pro *πῦρ πνεόντων* et cum Triclinio *ἄστρων χοραγέ,* Brunck *χοράγ' ἄστρων νυχίων*. liberior igitur huius systematis responsio tantam criticorum oculis caliginem offudit, ut verba luce clariora nunc coniecturarum nube obscurata sint.

Trach. 98 sq. = 107 sq.:

str. *Ἀλκμή-νας πόθι μοι πόθι μοι παῖς* ⊥⏖ – ⏖ – –
ναίει ποτ', ὦ λαμπρᾷ στεροπᾷ φλεγέθων ⊔ – ⏑ ⊥ – – ⏖ ⊥ ⏖ –
ant. *ἀδακρύ-των βλεφάρων πόθον, ἀλλ'* ⊥⏖ – ⏖ ⊔
εὔμναστον ἀνδρὸς δεῖμα τρέφουσαν ὁδοῦ. ⊔ – ⏑ ⊥ – – ⏖ ⊥ ⏖ –

Dind. ‚*πόθι μοι πόθι* ex aliquot apographis pro *πόθι μοι πόθι μοι,* quod probari posse deleto *παῖς* observavit Porson . . Sophocles quin praetulerit *πόθι μοι πόθι παῖς* mihi non videtur dubitari posse.' Bergk in ant. *ἀλλὰ* scripsit, qui hiatus nullam pausae habet excusationem (cf. p. 185).

Phil. 209 = 218:

str. *τρυσάνωρ· διάσημα γὰρ θροεῖ* ⊔ ⊔ ⊥⏖ – ⏑ ⊥ ⏑ – ∧
ant. *αὐγά-ζων ὄρμον· προβοᾷ γάρ τι δεινόν.* ⊔ ⊔ ⊥⏖ ⊔ ⊥ ⏑ – ⏑

Wunder *προβοᾷ τι γὰρ δεινόν,* Herm. *δέ τι δεινόν* (in str. *δ. θροεῖ γάρ*), Lachmann *προβοᾷ γὰρ αἴλινον.* Bergk *θρεῖ* coll. Hesych. glossa *θρέειν· θροεῖν* (– – – ⏖ – ⏑ – –) et v. 218 *προβοᾷ γὰρ αἰνόν* ‚nisi malis *αὐγάζων προβοᾷ τι δεινόν*'.

Phil. 1094 = 1115:

str. *ἕλωσί μ'· οὐ γὰρ ἔτ' ἰσχύω* ⏑ ⊥ ⏑ – ⏖ ⊥ – –
ant. *ἐμὰς λαχόντ' ἀνίας.* ⏑ ⊥ ⏑ – ⏑ ⊔ –

Dind. *ἕλωσί μ' οὐ γὰρ ἔτ' ἴσχω* (*ἴσχω* quod coniecerat Heath, suppeditat cod. Par. 2712, quem interpolatorum codicum generi adnumerandum esse hic quoque ostendit locus) vel *ἕλωσιν οὐδ' ἔτ' ἀρκῶ.* Bergkio Sophocle haec digna videntur: *γελῶσί μ'· οὐκέτ' ἀρκῶ* vel *οὐ γὰρ ἀρκῶ.* Gleditsch *ἕλοιεν* (Schneidewin) *οὐκέτ'* (Dissen) *ἴσχω.*

Phil. 1137 = 1161:

str. *μυρί' ἀπ' αἰσχρῶν ἀνατέλλονθ', ὅσ' ἐφ' ἡ-μῖν* ⊥ ⏖ ⊔ ⊥ ⏖ ⊔ ⊥ ⏖ ⊔
ant. *μηκέτι μηδενὸς κρατύνων ὅσα πέμ-πει.* ⊥ ⏖ – ⏑ ⊥ ⏑ ⊔ ⊥ ⏖ ⊔

hos versus nemo temptavit excepto Schmidtio, qui quasi de tripode haec dixit: ‚Ich habe *δὴ* (*μυρία δὴ ἀπ'* etc.) ergänzt, da eine metrische Responsion einer springenden (!) Tetrapodie – ⏖ ⊔ – ⏖ ⊔ und einer repetirten – ⏖ – ⏑ – ⏑ ⊔ zu dem Allerundenkbarsten gehört.' quo num quid falsius sit excogitatum, dubito. nequaquam igitur novissimo Sophoclis editori Schuberto honori est vertendum, quod *δὴ ἀπ'* e Schmidtii coniectura in textum recepit. adfert hos versus nihil de re rythmica dicens Westphal II² 736, neque Christ² p. 473 aperte horum versuum rhythmicam definit rationem dicens: ‚einigemal vertritt sogar die iambische Dipodie geradezu den Choriamb in der respondirenden Strophe.' quid vero est choriambus ille nisi dipodia catalectica, cuius altera arsis in trisemam magnitudinem producenda est?

Sophocleorum exemplorum agmen hi claudant loci:

Ai. 402 sq. = 419 sq.:

str. *ἀλκίμα θεὸς | ὀλέθριον αἰκίζει* ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑̲́ | ⏑ ⏑́⏑ – – –

ant. *γείτονες ῥοαί, | εὔφρονες Ἀργείοις.* ⏑́ ⏑ – ⏑ – ∧ | ⏑́ ⏑⏑ – – –

Dind. *ὀλέθρι'*, Wunder *οὔλιον*, Bergk *ὀλέθριον κήδει*, Wolff *ἐΰφρονες*. Bellermanni doctrina, qua probata dactylus logaoedicus inaudito more proceleusmatico responderet ⏑⏑́⏑⏑, iam supra explosa est p. 146 sq. minus placent Goldmanni (De dochm. usu Soph. p. 28) dochmii, quos his commendat verbis: ,respondet, si retinemus, ut erat aequum, librorum scripturam ⏑⏑ ⏑́⏑ – – – et – ⏑́⏑ – – –, in stropha incipiens ab anacrusi duplici loco theseos brevis posita monometer dochmiacus monometro in antistropha, qui capit initium a thesi irrationali'.

Ai. 901 sq. = 947 sq.:

str. *ὤμοι, κατέπεφνες, ἄναξ,* – ⏑́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ∧
τόνδε συνναύταν, ἰὼ τάλας. ⏑́ ⏑ – – – ⏑ – ⏑ –

ant. *δισσῶν ἐθρόησας ἄναυδον* – ⏑́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑
ἔργον Ἀτρειδᾶν τῷδ' ἄχει. ⏑́ ⏑⏑ ⊔ ⊔ – ⏑ –

Dind. ,post *ἄναξ* una deest syllaba, quam addito *σὸν* supplevit Herm. recte, nisi, quod idem coniecit, in str. scribendum *ὤμοι κ. ἄ. τ. συνναύταν τάλας*, et in ant. 947. *δισσῶν ἐ. ἄναυδ' | ἔργ' Ἀτρειδᾶν τ. ἄ.'* Bergk in str. *ὦναξ* scripsit, Wolff *ἰώ μοι, ἄναξ, κατέπεφνες* (– – ⏑⏑ – ⏑⏑ – –), Gleditsch in str. *ὤμοι κατέπεφνες, ὦναξ, | συνναύταν, ὦ τάλας* et in ant. *δισσῶν ἐθρόησας ἀρχὰν | Ἀτρειδᾶν τῷδ' ἄχει* (– ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ⊔́ – | – ⊔́ ⊔ ⏑́ ⏑ –).

El. 153 sq. = 173 sq.:

str. *οὔτοι σοὶ μούνᾳ,* – ⊔́ ⊔ ⊔́ – ∧
τέκνον, ἄχος ἐφάνη βροτῶν ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –

ant. *θάρσει μοι, θάρσει,* – ⊔́ ⊔ ⊔́ –
τέκνον· ἔτι μέγας ἐν οὐρανῷ. ⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –

non solum Mediceus, sed etiam scholiasta ad v. 823 *ἐν οὐρανῷ* legit. Heath omnesque eum secuti edd. metri causa *ἐν* expulerunt, quod alibi metri causa sine scrupulo addiderunt, cf. supra p. 161 (El. 1088).

El. 1062 sq. = 1074 sq.:

str. *τάδ' οὐκ ἐπ' ἴσας τελοῦμεν;* ⏑ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ⊔́ –
ἀλλ' οὐ μὰ τὰν Διὸς ἀστραπὰν – ⏑́ ⏑ – ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –

ant. *πρόδοτος δὲ μόνα σαλεύει* ⏑⏑ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ⊔́ –
Ἠλέκτρα τὸν ἀεὶ πατρὸς. ⏑́ – – ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –

Dind. ,*οὐ τὰν* Turnebus recte pro *οὐ μὰ τὰν*, quod ex glossemate illatum erat'. Bergk servato *μὰ* in ant. scripsit *Ἠλέκτρα, πότμον ἀεὶ πατρὸς*. qui dum tale substantivum (Paley *Ἠλ., τὸν ἀεὶ* (sic vel *ἑὸν* Dind.) *πότμον*, Froehlich *Ἠ., θάνατον πατρὸς*) scholii usi explicatione *ἀεὶ τὸν τοῦ πατρὸς μόρον στενάχουσα* supplent et pro Sophoclis verbo venditant, veterum inter-

polatorum instar glossemata in textum inferre mihi videntur. grammatica indiget interpretatione talis dictio *τὸν ἀεὶ πατρὸς στενάχουσα,* non emendatione. an non facillime ad articulum *τὸν* ex verbo *στενάχουσα* eiusdem stirpis substantivum poterat suppleri? cf. Aesch. Ag. 1639 sq. *τὸν δὲ μὴ πειθάνορα ζεύξω βαρείαις* ·(*ζεύγλαις*), Ar. Ran. 191 *εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν* (*μάχην*), quae exempla huic loco non modo similia, verum prorsus gemina sunt. ad genetivum *πατρὸς* cf. Eur. Iph. Aul. 370 *Ἑλλάδος μάλιστ᾽ ἔγωγε τῆς ταλαιπώρου στένω.*

El. 1082 sq. = 1090 sq.:

str. *οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῶν κακῶς* – – – ⏑⏑ ∟ – ⏑ –
εὔκλειαν αἰσχῦναι θέλει – – ⏑ – – – ⏑ –
ant. *ζώης μοι καθύπερθεν χερὶ καὶ* – – – ⏑⏑ ∟ – ⏑⏑ – ∧
πλούτῳ τῶν ἐχθρῶν ὅσον. – – – – – ⏑ –

Herm. *γὰρ* particulam addidit: *τῶν ἀγαθῶν γὰρ ζῶν* (in ant. scripsit *ζώης μ. κ. χειρὶ καὶ*), Bergk *ἀγαθῶν ἄν,* L. Lange *ἀγαθῶν τοι.* ut vero alter str. et ant. versus inter se concinerent, plerique cum Hermanno *τεῶν* pro *τῶν* ediderunt. Brambach in str. *ζῶν* eiecit, Bellermann in str. nihil mutans in ant. *πλούτῳ τε* pro *καὶ πλούτῳ* proposuit; Gleditschii coniectura violentissima indigna est, quae commemoretur.

O. R. 1208 sq. = 1218 sq.:

str. *ᾧ μέγας λιμὴν | αὐτὸς ἤρκεσεν* – ⏑ – ⏑ – ∧ | – ⏑ – ⏑ –
ant. *μήποτ᾽ εἰδόμαν· | ὀδύρομαι γὰρ ὡς.* – ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – ⏑ –

cum Seidlero ediderunt omnes *δύρομαι.*

O. C. 1724 sq. = 1738 sq.:

in his versibus coniecturis defoedatis ab ant. constituenda initium sumam. Ismenae et Antigonae lamentantibus respondet chorus.

AN. *ἀλλὰ ποῖ φύγω,* – ⏑ – ⏑ – ∧
XO. *καὶ πάρος ἀπεφεύγετον* – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ – ∧
σφῷν τὸ μὴ πίτνειν κακῶς. – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

,Auch schon früher fandet ihr Zuflucht, dass es euch nicht schlecht ausfiel.' et ad ant. exemplum, quo nihil Sophocleae sententiae aptius vel fingi vel optari potest, in str. omnia verba tribuo Antigonae:

IΣ. *ὡς τί ῥέξομεν;* – ⏑ – ⏑ ⏑
AN. *ἵμερος ἔχει μέ τις τὰν* – ⏑⏑ – ⏑ ∟ – ∧
χθόνιον ἑστίαν ἰδεῖν. ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ –

,Mich zieht ein gewisses Verlangen (pro pronomine interrogativo *τίς* substituo indefinitum *τις*), zu schaun das unterirdische Haus.' iam ipse iudices, num tibi haec ratio magis commendetur quam haec criticorum commenta: Bergk in str. *ἵμερος ἔχει μέ τις IΣ. φράσον,* in ant. *καὶ π. ἀπεφύγετον τὸ τί; τὰ σφῷν τὸ μ. π. κ.* Dind. cum Hermanno in ant. dispescit orationem

ΧΟ. καὶ πάρος ἀπέφυγε ΑΝ. τί; ΧΟ. τὰ σφῷν. Gleditsch in str. cum Bergkio scribit *φράσον,* in ant. *κ. π. ἀπέφυγε. ΑΝ. τίς* <*τίνα*>; *ΧΟ. τὰ σφῷν.*

Trach. 955 sq. = 964 sq.:

str. *ἥτις μ' ἀποικίσειεν ἐκ τόπων, ὅπως* — –́ ⏑ — ⏑ –́ ⏑ — ⏑ –́ ⏑ — ∧
τὸν Διὸς ἄλκιμον γόνον –́ ⏑⏑ — ⏑ –́ ⏑ —
ant. *ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις.* ⏑ –́ ⏑ — ⏑ –́ ⏑ — ⏑ –́ ⏑ —
πᾷ δ' αὖ φορεῖ νιν; ὡς φίλον. — –́ ⏑ — ⏑ –́ ⏑ —

Ζηνὸς pro *Διὸς* Triclinius, *Δῖον* Nauck. Schneidewin servato *Διὸς* in v. 965 scripsit cum Hermanno *πᾷ δὲ φορεῖ νιν;*

Phil. 203 = 212:

str. *φωτὸς σύντροφος ὡς τειρομένου* ⌞́ ⌞ –́ ⏑⏑ ⌞ –́ ⏑⏑ — ∧
ant. *ὡς οὐκ ἔξεδρος ἀλλ', ἔντοπος ἀνήρ.* ⌞́ ⌞ –́ ⏑⏑ ⌞ –́ ⏑⏑ — –́

τειρομένου <*του*> scripsit Porson omnibus adstipulantibus, praeterquam quod Bergkio *τειρομένοιο* placuit (cf. p. 185 sqq.).

Phil. 1081 sq. = 1102 sq.:

str. *ὦ κοίλας πέτρας γύαλον* –́ — — ⏑ –́ ⏑⏑ —
θερμόν τε καὶ παγετῶδες — –́ ⏑ — ⏑⏑ — ⏑
ant. *ὦ τλάμων τλάμων ἄρ' ἐγὼ* –́ — — — –́ ⏑⏑ — ∧
καὶ μόχθῳ λωβατός, ὅς. –́ — — — — ⏑⏑

e varia lectione apud Turnebum omnes *θερμὸν καὶ* scripserunt, quamquam et Mediceus et apographa omnia in scriptura *θερμόν τε καὶ* conspirant (cf. p. 154 sq.).

Phil. 1099 sq. = 1121 sq.:

str. *εὖτέ γε παρὸν φρονῆσαι* — ⏑⏑́ — ⏑ ⌞́ —
τοῦ λωίονος δαίμονος εἵ-λου — –́⏑⏑ ⌞ –́⏑⏑ ⌞
ant. *δύσποτμον ἀρὰν ἐπ' ἄλλοις.* — ⏑⏑́ — ⏑ ⌞́ — ∧
καὶ γὰρ ἐμοὶ τοῦτο μέλει. –́⏑⏑ ⌞ –́⏑⏑ ⌞

λωίονος (*τοῦ* expuncto) Bothe, *τοῦ πλέονος* Herm. et Dind., *λῴονος αὖ* Mekler, *τοῦ λῴονος* (in ant. *καὶ μὰν ἐμοὶ*) Brambach. Nauck: ‚Statt *τοῦ λῴονος* ist ein Choriambus nothwendig, wesshalb man *λωιτέρου* oder *τοῦ πλέονος* vermuthet hat.'

Levioris sunt momenti Ai. 364 = 379:

str. *ὁρᾷς τὸν θρασύν, τὸν εὐκάρδιον* ⏑ — — ⏑ —, ⏑ — — ⏑ —
ant. *ἰὼ πανθ' ὁρῶν, πάντων τ' ἀεί.* ⏑ — — ⏑ ⌞ — — ⏑ —

ἁπάντων a manu recenti.

Ai. 911 = 957:

str. *ἐγὼ δ' ὁ πάντα κωφός, ὁ πάντ' ἄϊδρις* ⏑ –́ ⏑ — ⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ —
ant. *γελᾷ δὲ τοῖς μαινομένοις ἄχεσιν.* ⏑ –́ ⏑ ⌞ — ⏑⏑ — ⏑⏑ —

τοῖςδε Elmsley, *τοῖσι* Triclinius.

El. 1244 = 1265:

str. *ὅρα γε μὲν δὴ κἂν γυναιξὶν ὡς Ἄρης* ⏑ ⏑́ ⏑ — — ⏑́ ⏑ — ⏑ ⏑́ ⏑ —

ant. *τότ' εἶδες, ὅτε θεοί μ' ὤτρυναν μολεῖν.* ⏑ ' ⏑ ⏖ ⊔́ — — ⏑́ ⏑ —

θεοί aptissime tone intenditur ut verbum gravissimum (cf. v. 1266). editores omnes cum Reiskio *ἐπώτρυναν* scripserunt.

Responsionem talem in dochmiacis versibus occurrentem (v. supra Ai. 364 = 379) iam Bellermann (l. c. p. 40) et Goldmann (l. c. p. 70 et 79) demonstrarunt duoque adtulerunt exempla haec:

Ai. 879 = 925:

str. *τίς ἂν δή μοι, τίς ἂν φιλοπόνων* ⏑ — ⊔ —, ⏑ — ⏖ ⏑ —

ant. *ἔμελλες, τάλας, ἔμελλες χρόνῳ.* ⏑ — — ⏑ —, ⏑ — — ⏑ —

cum Hermanno ediderunt omnes *δῆτα* pro *δή*.

O. R. 1315 = 1323:

str. *ἀδάμαστόν τε καὶ δυσούριστον* ⏖ — — ⏑ —, ⏑ — ⊔ —

ant. *ὑπομένεις με τὸν τυφλὸν κηδεύων.* ⏑ ⏖ — ⏑ —, ⏑ — — — —

ὂν post *δυσούριστον* addidit Herm., Nauck *δυσοιώνιστον* coniecit. Gleditsch nunc scribit *δύσοιστον* <*κακόν*>, cum antea (Soph. Str. I, p. 24) *δυσεξούριστον* commendaverit, quod iam a Blaydesio coniectum iterum proposuit Wilamowitz.

Iam adgredior ad illa exempla enumeranda, ubi arsis ternariae pedisque pleni responsio antistrophica oblitteratur a plerisque synizesi accepta. itaque optio tibi data est, utrum mecum responsio illa tibi adrideat an synizesis, cui per se nihil elegantis inesse reputes velim, utpote qua ,vis adferatur linguae ita, ut tantum necessitate quadam coacti hanc libertatem sibi adsumant poetae'. quod cum ne ii quidem negent, qui omnia synizesis exempla congesserunt[1]), tutius fortasse erit responsionem illam tot locis confirmatam his quoque locis comprobare. observandum enim est Aristophanem synizesis inelegantiam sentientem ea exempla, quae volgata apud poetas tragicos inveniuntur, omnino vitasse (cf. Baier p. 9), ita quidem ut Dindorf totam synizesim a comoedia alienam esse statueret.

Iam mecum perlustres hos locos:

Aesch. Sept. 314 = 326:

str. *ἐή, νέας τε καὶ παλαιὰς* ⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⊔ —

ant. *ἐή, δυστυχῆ τε πράσσει.* ⏑ ⊔́ — ⏑ — ⏑ ⊔ —

ἐή sine dubio restituendum est utroque loco, nisi cum Weilio praefers (ed. 1884) *αἰαῖ* pro *ἒ ἒ*, quod Med. praebet[2]). omnes hoc loco *νέας* tamquam monosyllabum acceperunt.

[1]) Veluti Chr. Baier: Animadversiones in poetas tragicos graecos. diss. Bonnensis. Casseliis 1874.

[2]) Cf. Dind. Poet. scen. graeci ed. V, praef. p. X.

Eum. 958 sq. = 978 sq.:

str. *ἀώ-ρους ἀπεννέπω τύχας* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
νεανίδων τ' ἐπηράτων ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *μήποτ' ἐν πόλει στάσιν* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
τᾷδ' ἐπεύχομαι βρέμειν. –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

v. 979 ⟨*τι*⟩ *τᾷδ'* Wakefield. alii procul dubio *νεανίδων* creticum esse statuerunt.

Soph. O. C. 1057 sq. = 1072 sq.:

str. *αὐτάρκει τάχ' ἐμμίξειν βοᾷ* ⊔́ ⊔ –́ ⏑ – – –́ ⏑ –
τούσδ' ἀνὰ χώρους –́ ⏑⏑ – –
ant. *καὶ τὸν πόντιον γαιάοχον* ⊔́ ⊔ –́ ⏑ – – –́ ⏑ –
Ῥέας φίλον υἱόν. ⏑ –́ ⏑⏑ – –

Dind. ‚*Ῥέας* monosyllabum ut apud Homerum Il. XV 187 ex librorum multorum lectione *τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, οὓς τέκετο Ῥέα. Ῥῆ* legerat Pherecydes ab Herodiano memoratus *περὶ μον. λ.* p. 911. 23 L.: *εἰ δέ τις λέγει, καὶ ἡ Ῥέα Ῥῆ κέκληται ὑπὸ τοῦ Συρίου, ἴστω ὅτι αὐτοῦ ἴδιος ἡ χρῆσις καὶ οὐ πᾶσιν ἴσως ἢ καὶ Ἀττικοῖς ἡ γνῶσις ἐστί.*' iam his Herodiani, luculentissimi harum rerum auctoris, verbis perpensis ne in mentem quidem debebat cuiquam venire monosyllaba *Ῥέας* mensura, quae haud scio an teretibus Graecorum auribus non perinde ridicule sonuerit, ac si nostrae aetatis poetae eandem sibi in nominibus propriis adsumunt licentiam contra sermonis usum[1]. Baier p. 45 cum neque Homericum *Ῥέα* neque *Ῥῆ* Pherecydeum Sophocli adfingi posse sibi persuasisset, *Γᾶς* proposuit, sed iam ipse huius coniecturae labefactavit probabilitatem dicens praeter alia hac in coniectura adiectum *γαιάοχον* displicere. Gleditsch scripsit *στεινοὺς ἀνὰ χώρους* = *Ῥέας φίλον υἱόν* et prorsus inaudito modo syllabam brevem *Ῥε* in trisemam longitudinem produxit.

Transgredimur ad exempla, ubi metri aequabilitas restituta est littera *ι* per synizesim accepta, qua de re in diversas abiere partes viri eruditi. litteram *ι* synizesim facere negat Porson ad Eur. Phoen. 1651, Hermann vero apud ipsos tragicos eam contractionem non prorsus inprobatam esse contendit, velut in *καρδίας* et *καρδίαν* apud Aeschylum (E D M. p. 53 sq.). item statuit Hartel in Hom. Stud. III. p. 18 *ι* vocalem consonae j munere fungi posse, cuius synizesis profert exempla Sept. 275, Suppl. 74 (de quibus paulo infra dicetur), Prom. 707 *ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδιος μόρος* (*ἐξαίφνης* rec., *αἰφνίδιος αὐτὸν μόρος* Porson, *ἀφνίδιος* Elmsley, *αἰφνίδια* Bothe, *αἰφνηδὶς* Wieseler), Pers. 996 *Μάρδων ἀνδρῶν μυριόνταρχον* (*μυριοταγόν* Dind.). Baiero denique litterae *ι* exempla in synizesi posita

---

[1] ‚Sie verfolgten mich nach Napel' Scheffel.

falsa esse videntur ne uno quidem excepto. qua in re versus Aeschyleos missos facit. quos cum corruptos esse inter omnes iam conveniat, desperat, qua onerati sint coniecturarum quasi farragine, quicquam novi probabiliusque dicti se esse prolaturum (p. 15). iam ipse iudices, num haec exempla corruptelae speciem prae se ferant:

Sept. 275 = 292:

str. *γείτονες δὲ καρδίας* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *τᾶσδ' ἄρειον, ἐχθροῖς.* –́ ⏑ – ⏑ ⏗́ –

καρδίας spondeum efficere, ut Suppl. 74, 807, adnotat Wecklein, id quod sine dubio praeferendum est omnibus coniecturis, nisi mea tibi adridet mensura[1]). Dind. hic et alibi *κάρζας* induxit, quae forma dialecti Aeolicae abiudicanda est a tragicis, Lowinski *Κηρός* scripsit. aliis in ant. *ἐχθροῖς* in vocis trisyllabae locum inrepsisse videbatur, quam ob rem *ἐχθίστοις* scripsit Pauw, *τοῖσδ' ἐχθροῖς* Heath, *δηΐοις* Butler, *ἐκτόποις* Prien, *ἐχθίμοις* Kvičala, *ἀντίοις* Heimsoeth, *ἀλλόθροις* Weil, *ἐνστάταις* Oberdick, *ἐλλέροις* M. Schmidt.

Suppl. 74 = 83:

str. *ἀπειρόδακρύν τε καρδίαν* ⏑ –́ ⏖ – ⏑ –́ ⏑ –
ant. *ὕβριν δ' ἐτύμως στυγόντες.* ⏑ –́ ⏖ – ⏑ ⏗́ –

στυγοῦντες ⟨*εὖ* vel *οὖν*⟩ Heath proposuit, *στυγοῦντες* ⟨*ἂν*⟩ Tittler, *στυγοῦντες* ⟨*οὐ*⟩ *πέλοιτ' ἂν ἔκδικοι νόμοις* Hartung, alii alia.

Suppl. 807 non debebat adferre Wecklein, quia hic locus, ad quem iam transimus, alio modo expediendus est.

Suppl. 805 sqq. = 813 sqq.:

str. *πτῶμα μαρτυροῦσά μοι,* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
πρὶν δαΐκτορος βίᾳ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
καρδίας γάμου κυρῆσαι –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – –
ant. *κοί-τας γαμηλίου τυχών.* –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –́
τίν' ἀμφ' αὐτᾶς ἔτι πόρον ⏑ –́ – ⏗ ⏖́ –
τέμνω γάμου καὶ λυτήρια; – –́ ⏑ ⏗ –́ ⏑ – ⏖

Wecklein *γάμου λυτῆρα* v. 815 e Pauwii coniectura in textum recepto ita mensus est – – ⏑ – ⏑ – –. *ἀμφ' αὐτᾶς* iam is, qui interlineares Mediceo glossas adscripsit, recte explicavit: *περὶ ἐμαυτῆς*. ceterum si ex Hermanni eleganti coniectura *τίν' ἀμφυγᾶς* scribimus, schema, quod supra scripsimus, non mutatur. innumerabilium a Wecklinio enumeratarum coniecturarum aliquot tantum adferam: v. 806 *βίᾳ με* Herm., v. 814 sq. *τόνδ' ἔτ' ἀμφ' αὐτᾶς π. καὶ γάμου λυτήρι' εὕρω* Heath, *ἢ τίν' ἀμφυγὰν ἔτ' ἢ π. τέτμω*

---

[1]) Ne nostri quidem poetae respuerunt i vocali hic illic consonam j substituere veluti Heine: Deine weissen Liljenfinger.

γάμου λυτῆρα; Herm., ἢ τίν' ἀμφυγὰν ἔτ' ἢ καὶ γάμου λυτῆρα τέτμω; Paley, ποῖον ἀμφυγᾶς ἔτ' οἶμον Weil (ed. 1884).

His adiungo Pers. 1008 sqq. = 1014 sqq.:

str. ἰὼ ἰώ, δαίμονες, ⏑ ⏑́ ⏑ ⌞ ⏑́ ⏑ ⏒ ∧
ἔθετ' ἄελπτον κακὸν ⏑́⏑ ⌞ ⏑́ ⏑ –
διαπρέπον οἷον, δέδορκεν Ἄτα ⏑ ⏑́⏑ ⌞ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –
ant. Ἰάνων ναυβατᾶν ⏑ ⌞⌞ ⌞ ⏑́ ⏑ –
κύρσαντες οὐκ εὐτυχῶς. – ⏑́ ⏑ ⌞ ⏑́ ⏑ – ∧
δυσπόλεμον δὴ γένος τὸ Περσᾶν. ⏑́⏑ ⌞ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –

v. 1011: ζαπρέπον Dind., δύσποτμον Karsten, ἐμπρέπει, οἷον δέδρακεν Ἄ. Hartung, παμπρέπον, οἷον δέδρακεν Ἄ. Heimsoeth; v. 1016 δυσπόλεμον ἤδη Rossbach-Westphal, δυσπόλεμον ἤτοι Schuetz. — ut etiam ceterorum versuum ad syllabam restitueretur responsio, plane otiosae excogitatae sunt coniecturae: v. 1009 ἔθεσθ' Schneider, δαιμόνων θέντων Weil, δαίμονες δ' ἔθεντ'.. κακόν, πάγκακον οἷον δέδρακεν Ἄ. Herm., ἔθετ' ⟨ἄρ'⟩ Lachmann, δέδορκ' ἄελπτον κακὸν Heimsoeth; v. 1015 κύρσατ' Blomfield. — v. 1014 omnes cum libris recentioribus scripserunt Ἰαόνων; contra iidem Ἰαόνων, quod est in Mediceo, in Ἰάνων (Ἴων δ' αὖ Hartung) ‚metri causa' mutant cum Passovio in v. 1027 (= 1038). equidem cum Med. retineo:

str. Ἰαόνων λαὸς οὐ φυγαίχμας ⏑ ⏑́ ⏑ ⌞ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –
ant. φίλων ἄταισι ποντίαισιν ⏑ ⌞⌞ ⌞ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –

Cum vix possim sperare me omnibus esse persuasurum de tali responsione in eis exemplis, ubi ε vocali cum sequenti ω vel οι in unum sonum per synizesim coalescente haec responsio delitescit, nemini ingeram invito sententiam meam, ne inepte pertinax esse videar in re, de qua in utramque partem potest disputari. satis igitur habeo locos, qui huc pertinent, breviter commemorare:

Aesch. Sept. 687 sq. = 694 sq.:

str. εἶσι δόμων Ἐρινύς, ὅταν ἐκ χερῶν ⏑́⏑ – ⏑ ⌞́ – ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –
θεοὶ θυσίαν δέχωνται ⏑ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ⌞́ –
ant. μεταλ-λακτὸς ἴσως ἂν ἔλθοι θαλερωτέρῳ ⏑́⏑ – ⏑ ⌞́ – ⏑⏑ ⏑́ ⏑ – ∧
πνεύματι· νῦν δ' ἔτι ζεῖ. ⏑́⏑ – ⏑ ⌞́ –

Suppl. 401 = 411:

str. κρῖνε σέβας τὸ πρὸς θεῶν. ⏑́⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –
ant. μεταλ-γεῖς τὸ δίκαιον ἔρξαι. ⏑́⏑ – ⏑ ⌞⌞ –

Suppl. 598 = 603:

str. τίν' ἂν θεῶν ἐνδικωτέροισιν ⏑ ⏑́ ⏑ ⌞ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –
ant. ὑπ' ἀρχᾶς δ' οὔτινος θοάζων. ⏑ ⌞⌞ ⌞ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⌞́ –

Eum. 349 sq. = 362 sq.:

str. τάδ' ἐφ' ἁμὶν ἐκράνθη, ⏖ ⏗ ⏖ ⊔ – ∧
ἀθανάτων δ' ἀπέχειν ⏗ ⏖ – ⏖ –

ant. τινα τάσδε μερίμνας ⏖ ⏗ ⏖ ⊔ –
θεῶν δ' ἀτέλειαν ἐμαῖ-σι. ⏑ ⏗ ⏖ – ⏖ –

In universum Aeschylus, si Baiero fides est habenda (p. 21), synizesim in systematis melicis semel et viciens sibi admisit, quorum exemplorum numerus satis parvus diminuitur aliquatenus — restant enim circiter XI —, si meam probaveris metiendi rationem.

Iam videamus de Sophoclis exemplis:

Ai. 697 sq. = 710 sq.:

str. πετραίας ἀπὸ δειράδος φάνηθ', ὦ ⏑ ⊔ – ⏖ ⏗ ⏑ – ⏑ ⊔ –
θεῶν χοροποί' ἄναξ, ὅπως μοι ⏑ ⏗⏖ – ⏑ ⏗ ⏑ – –

ant. θοᾶν ὠκυάλων νεῶν, ὅτ' Αἴας ⏑ ⊔ – ⏖ ⏗ ⏑ – ⏑ ⊔ – ∧
λαθίπονος πάλιν, θεῶν δ' αὖ. ⏗⏖ – ⏑ ⏗ ⏑ – –

Ant. 138 sq. = 151 sq.:

str. ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων. ⏗ – – – ⏗ ⏖ – ∧
εἶχε δ' ἄλλᾳ τὰ μὲν ⏗ ⏑ ⊔ ⏗ ⏑ –

ant. τῶν νῦν θέσθε λησμοσύναν ⏗ – – ⏑ ⏗ ⏖ –
θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς.[1]) ⏑ ⏗ ⏑ ⊔ ⏗ ⏑ –

Ai. 705 = 718:

str. ἐμοὶ ξυνείη διὰ παντὸς εὔφρων ⏑ ⏗ ⏑ ⊔ ⏗ ⏖ – ⏑ ⊔ –
ant. θυμῶν Ἀτρείδαις μεγάλων τε νεικέων. ⏑ ⏗ ⏑ ⊔ ⏗ ⏖ – ⏑ ⏗ ⏑ –

O. R. 178 = 188:

str. ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου θεοῦ ⊔ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
ant. εὐῶπα πέμψον ἀλκάν. ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –

O. C. 698 sq. = 711 sq.:

str. φύτευμ' ἀγήρατον αὐτόποιον, ἐγχέ- – ⏗ ⏑ ⊔ ⏗ ⏑ – ⏑ ⏗ ⏑ – ⏑
ων φόβημα δαΐων ⏗ ⏑ – ⏑ ⏗ ⏑ –

ant. εὔιππον, εὔπωλον, εὐθάλασσον. ὦ – ⏗ ⏑ ⊔ ⏗ ⏑ – ⏑ ⏗ ⏑ ⊔
παῖ Κρόνου, σὺ γάρ νιν εἰς. ⏗ ⏑ – ⏑ ⏗ ⏑ –

Schmidt et Bellermann vix recte ita metiuntur: – – ⏑ ⊔ – ⏑ – ⏑ ⊔ –
– – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Trach. 499 = 508:

str. καὶ τὰ μὲν θεῶν = ant. φάσμα ταύρου. ⏗ ⏑ ⊔ –

Phil. 682 = 697:

str. οἶδα κλύων οὐδ' ἐσιδὼν μοίρᾳ ⏗ ⏖ ⊔ ⏗ ⏖ ⊔ ⊔ –
ant. αἱμάδα κηκιομέναν ἑλκέων. ⏗ ⏖ ⊔ ⏗ ⏖ ⊔ ⏗ ⏑ –

---

[1]) In Ant. v. 338 θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν γᾶν (= κρατεῖ δὲ μηχαναῖς ἀγραύλου) omnes vocem θεῶν per iambum recte metiuntur responsionis causa, item in versuum 369 et 598 initio.

In universum Aeschylus et Sophocles hanc normam accuratissime observant, ut solae formae in longam vocalem sive diphthongum terminatae per synizesim contrahantur (velut *θεοί, θεῶν*); contra nominativi et accusativi numeri singularis (*θεός, θεόν*) synizesim nisi his duobus locis alibi non invenies (cf. Baier, p. 43 sq.):

El. 159 = 179:

str. *κρυπτᾷ τ' ἀχέων ἐν ἥβᾳ* – –́ ⏖ – ⏑ ⊔́ –
ant. *χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός.* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

O. R. 202 = 215:

str. *ὦ Ζεῦ πάτερ, ὑπὸ σῷ φθίσον κεραυνῷ* – –́ ⏑ ⏖ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ –
ant. *πεύκᾳ 'πὶ τὸν ἀπότιμον ἐν θεοῖς θεόν.* – –́ ⏑ ⏖ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –

Monosyllaba *θεαῖς* forma a nonnullis e coniectura improbabili in textum inlata est:

O. C. 678 sqq. = 691 sqq., quo loco haec suppeditat Mediceus:

str. *χειμώνων· ἵν' ὁ βακχιώ-* –́ – – ⏖ –́ ⏑ ⊔
τας ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει –́ ⏑ – ⏖ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – ∧
θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις –́ – – ⏖ –́ ⏑ – –
ant. *στερνούχου χθονός· οὐδὲ Μου-* –́ – – ⏖ –́ ⏑ ⊔
σᾶν χόροι νιν ἀπεστύγησαν, οὐδ' ἁ –́ ⏑ – ⏖ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – ∧
χρυσάνιος Ἀφροδίτα. ⊔́ – ⏖ –́ ⏑ – –

Elmsley *θεαῖς* scripsit, Bergk ex Paris. 2711, qui Triclinii expertus est recensionem, *οὐδ' αὖ ἁ,* Herm. *οὐδὲ μὰν* servato in stropha *θείαις*.

Baier, qui Sophoclis quoque synizesis exempla ad calculos vocavit (p. 46), in canticis omnibus circiter duodeviginti dumtaxat synizesis exempla extare statuit. deductis igitur locis modo enarratis in omnibus Sophoclis canticis VII circiter restant synizesis exempla.

Atque hactenus de pedum catalecticorum acatalectorumque responsione. satis iam et abunde pervicisse nobis videmur cum summo crisis factitandae dispendio talem responsionem adhuc neglectam esse ab omnibus, cumque rhythmi leges non perspicerentur, plurimos locos sanissimos adtrectatos atque in deterius mutatos esse. nam cum critici summa anxietate operam darent, ut et in str. et in ant. ad amussim totidem recuperarent syllabas, re vera, ut ait Terentius, fecerunt intellegendo, ut nihil intellegerent. cavendum enim est summo opere, ne syllabarum responsionem maiore ipsis poetis diligentia aucupando angustioribus, quam licet, terminis poetarum coartemus libertatem. ego vero mihi satis ducam praemii, si doctrinam meam ultro se offerentem unicuique, qui nullo captus praeiudicio cantica perlegat, non extrinsecus in poetas inlatam, non vanam esse tibi persuaserim. tum enim sperare licebit plurimos locos, qui hucusque innumeris coniecturis vexabantur, posthac a libidine criticorum tutiores fore. quae si recte disputata sunt omnia, iam

in fumum evanescunt nugae illae Schmidtii (Leitfaden in der Rhythmik und Metrik, Lipsiae 1869, p. 54): ‚Auch kann die dreizeitige und vierzeitige Länge nicht in irgend anderer Weise metrisch respondiren, z. B. ⏗◡, ⏘◡◡ obgleich in ⏗, — ◡ und ◡◡◡ gleiche Zeitausdehnung herrscht. Aber durch ‚Verlängerung' erhält eine Sylbe oder ein Ton ein ungemeines Gewicht, welches in der Auflösung verloren gehen würde, so dass sich die Melodien sehr ungenau entsprächen', et R. Klotzii (Bursiani Relat. Annal. XXXVI. 1883 III. p. 360): ‚Verfehlt ist die Annahme, dass einer dreizeitigen Länge eine zweizeitige Länge und einzeitige Kürze antistrophisch entsprechen könne.'

CAPUT TERTIUM.

De syllabis in tetrasemam longitudinem productis.

Inter omnes, qui ad canticorum formam rhythmicam describendam animum adplicant, trisemis acciendis longitudinibus rhythmi aequabilitatem esse constituendam hodie constat. iam si anonymi supra commemorati doctrinam de tetrasema pentasemaque arsi respiciens hac de re in Aeschyli Sophoclisque chorica inquisiveris, arsis quinariae exemplum nullum invenies in tragoediis[1]), quaternariae contra aliquot, cuius rei tamen non ita exhausta est post virorum doctorum curas materia, ut iterum eam rem breviter examinaturus, ne *γλαῦκ' Ἀθήναζε* audiam, verear.

De arsi sola, quatenus in versibus dactylicis invenitur, cohibeo iudicium, quando quidem nostris subsidiis ad liquidum perduci nequit, utrum versus illi plenis tetrasemis procedant dactylis an trisemis cycliis, arsisque illa nuda tetrasema an trisema sit putanda. minime vero hodie dubium est viris peritis, quin anapaesti versibus ionicis inserti his aequiperandi sint, ita quidem ut arsis illa anapaestica in tetrasemam longitudinem porrigenda sit ad rhythmi continuitatem recuperandam. inmerito igitur C. Bernhardi haec tones exempla in libello suo, quem ,de tones in mediis syncopatis

---

[1]) Iam supra p. 140 diximus meras proferre eos hariolationes, qui anonymi auctoritate spreta unam arsim quinque morarum excedere posse modum pleionosemamque induere longitudinem contendant. quocirca inter ingenii lusus ableganda sunt Heimsoethii verba, quae de Aesch. Cho. 638 *διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ* = 644 *προχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός* facit (Die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus, p. 379): ,Hier ist es die dreifache Verlängerung der Sylbe *-ταιαν* und *-κεύει*, welche den Wolklang herstellt und den Eindruck dieser an Inhalt und Ausdruck gewaltigen Dehnung mit einem durch Mark und Bein dringenden *διανταίαν* und *προχαλκεύει* erhöht ⏑ ⏗́ ⏗́⏗́ ⏗́ | ⏗́ ⏑ — ⏑ — — 4 + 4. Die erste der beiden langen Sylben füllt zwei *χρόνοι ῥυθμικοί* aus, die andere éine; zu einander stehen sie im Verhältnisse des Trochäus.' Heimsoethium si recte intellegimus, nescio cuius veteris magistri testimonio nisus, syllabis *αι* et *ευ* senas moras adtribuit, id quod contra anonymi factum est praeceptum arsim ultra quinque moras productam esse manifesto negantis.

usu Aeschyleo' scripsit (progr. gymn. Chemnitz. 1879), omisit, ,quoniam de eorum mensura nihil constaret' (p. 3).

Iam enumeremus singula exempla[1]):

Aesch. Pers. v. 69 sqq. = 77 sqq.:

⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ ⊔́ ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ ⊔́ ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ ⊔́ ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –

Pers. 103 sqq. = 110 sqq.:

⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ ⊔́
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ ⊔́
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ ⊔́
⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –

Aliam metiendi rationem invenisse sibi visus est H. Buchholtz (,Priscae latinitatis originum libri tres'. Berolini 1877, p. 334) qui ionicum a minore alterius longae solutionem admittere dixit, ut esset pro eo et ,ionicus a maiore et hic, quem quasi duplicem appellare potes ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑. illam solutionem hodie qui Graecorum versus interpretantur, ita nesciunt explicare, ut hoc metrum ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – – non ut ego descripsi, sed pro tribus integris ionicis habeant'. quod si tibi probatur, iam omnis evertitur rhythmus, maximaque existit rhythmi inconcinnitas, utpote quae dissolutae contractaeque syllabae omni ordine soluto sese excipiant. rhythmi autem legibus illa ionicorum a minore cum ionicis a maiore sine ullo discrimine coniunctio perinde adversa fronte opposita est, ac si quis iambos trochaeosque in singulis dipodiis sine ordine iuxta se positos fingat. omnia enim pessime confunduntur, si ex Buchholtzii sententia Pers. v. 103 sqq. ita metiris:

⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – |
– ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –

contra nostrae mensurae praeter analogiam rhythmicam id favet quam maxime, quod dissolutae in ionicis versibus arsis neque apud Aeschylum neque apud Sophoclem alibi certa inveniuntur exempla, paucissima dumtaxat apud Euripidem in una ,Baccharum' tragoedia, quae fabula ut furentis Penthei insanientiumque Baccharum descriptione vividissima, ita numerorum quoque insignis est vehementia[2]).

---

[1]) Eadem fere exempla sententiis adversis non refutatis, quo munere functurus sum equidem, enumeraverunt L. Tichelmann in dissertatione ,de versibus ionicis a minore apud poetas graecos obviis' Regimonti Prussorum 1884 (p. 11, p. 20 sq.) et J. Luthmer ,de choriambo et ionico a minore diiambi loco positis' Argentorati 1884, p. 58 sqq. primus rectissime horum anapaestorum naturam perspexit Westphal II[2], p. 207 sq., cf. Christ ,Continuität', p. 15.

[2]) Cf. v. 78 sq. *τά τε ματρὸς μεγάλας ὄρ-* ⏑ ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – –
για Κυβέλας θεμιτεύων ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – –
v. 95 (ant.) *δέ-ξατο θαλάμοις Κρονίδας Ζεύς,*
ubi fortasse huic rei venia est a nominibus propriis petenda, in quibus aliquid sibi indulserunt poetae.

Sed iam cetera adferamus arsis tetrasemae exempla, quotquot in systematis ionicis obviam fiunt.

Pers. 652 sq. = 657 sq.:

⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ ⊔
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –

Suppl. 880 sqq. = 889 sqq.:

⏑ ⏑ ⊔ ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –

Nescio an huc referenda sint Sept. 707 sqq. = 714 sqq.:

⏑ | –́ ⏑ ∟ | ⊔ ⏑ ⏑ | –́ – str. *πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον*
⏑ ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ – ant. *ξένος δὲ κλήρους ἐπινωμᾷ*
⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ –
⏑ ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ – et q. s.

Schmidtii mensura (I, p. 331) minus commendatur ⏑ | – ⏑ ∟ | – ⏑ ⏑ – | –, rectius fortasse ipse metitur

Prom. v. 413 sq. = 422 sq.[1]):

⏑ | –́ ⏑ ∟ | ⊔ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ –
⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | – –

Sophoclis huc spectant hi loci:

O. R. v. 483—497 = 498—512[2]):

–́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ –
⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | ⏕
⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | – ⊼
–́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ –
⏑ ⏑ | ⊔ ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | – ⊼
⏑ ⏑ | ⊔ ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | – ⊼
⏑ ⏑ | ⊔ ⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | – ⊼

O. C. 214 sq.:

⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | ⊔
⏑ ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | – ⊼

---

v. 372 *χρυσέαν πτέρυγα φέρεις* ⏑ ⏑ | – ⏖ ⏖ | –
v. 398 *δέ τις ἂν μεγάλα διώκων* ⏖ – ⏖ | ⏖ – –
v. 522 *τὸ Διὸς βρέφος ἔλαβες* ⏑ ⏑ | – ⏖ ⏖ | –
v. 525 *ἤρ-πασέ νιν τάδ' ἀναβοάσας* ⏑ ⏑ | – ⏖ ⏖ | – –

[1]) Christ ‚Continuität', p. 19, ita metitur: ∧ ⏑ – ⏑ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ –́ ⏑ | – –; Westphal mirum in modum, qui nullo pacto conciliari potest cum prioribus, quas proposuerat, doctrinis, in hoc Prom. versu *γένος τριπλάσιον* sibi agnoscere videtur (Rhythmik[3], p. 200), quod confirmare studet e Pselli Paralambanomenis (§ 9 *γίνεται δέ ποτε πούς καὶ ἐν τριπλασίῳ λόγῳ, γίνεται καὶ ἐν ἐπιτρίτῳ*). nec minus miror, quod Westphal Aristoxeno, quem ipse h. l. adfert, § 32 dicenti *ὁ μὲν τοῦ τριπλασίου οὐκ ἔρρυθμός ἐστιν*, Hephaestionem praefert, qui c. 3 pedem *τετράχρονον ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς καὶ βραχείας* (*ὁ ἀμφίβραχυς* ⏑ – ⏑) commemorat. de Promethei igitur versu haec dicit: ‚Dieses Metrum würde im Anfange mit einem *πούς τετράσημος τριπλάσιος*, auf welchen unmittelbar ein *τετράσημος δακτυλικός* folgt, anlauten:

⏑ – ⏑ – – | ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –' (cf. etiam Westphal ‚Aristoxenus', p. 75).

quae si legimus, prorsus diversum nobis videre videmur ab illo, qui antea, ut par erat, metrum amphibrachicum prorsus abiudicavit a Graecis, cf. Theorie der nhd. Metrik[2], p. 233. praeterea vide Christ[2], p. 64.

[2]) Haec mensura, quam H. Schmidt, Bellermann, Gleditsch praetulerunt, multo maiorem mihi habere videtur veri similitudinem Brambachiana a Christio (Metrik[2], p. 507) probata, qua dactyli tetrasemi hexasemique ionici in tribus versibus ultimis ita sese excipiunt, ut

Eandem, quam Sept. 707 et Prom. 413 statui, formam agnovisse mihi videor:

El. 1058 sq. = 1070 sq.[1]):

τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους ⏑ | –́ ⏑ └─ | ⊔́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ –
οἰωνοὺς ἐσορώμενοι ⏑ | –́ – ⏑ ⏑ | –́ ⏑ –

In ant. haec est Medicei scriptura:

ὅτι σφιν ἤδη τὰ μὲν ἐκ δόμων ⏑ | –́ ⏑ └─ | ⊔́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ –
νοσεῖ, τὰ δὲ πρὸς τέκνων. ⏑ | ⊔́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ –

primo vides obtutu in antistropha comparata cum stropha unam deesse syllabam, quae res valde torsit omnes editores. Dind.: ‚*νοσεῖ* alius est vocabuli, quod trisyllabum fuit, interpretatio. librarii coniectura *νοσεῖται* est in apogr. Par. 2794 . . Triclinius *νοσεῖ δή* . . facillima correctio foret *νοσεύει* (ut *ζητεύω* pro *ζητέω* a poetis interdum dictum est), si de usu huius formae satis constaret.' *νοσεῖ γᾶ* Lachmann, *νοσώδη* Erfurdt, *νοσεῖ, ταῦτα δὲ* Brambach, alii aliter syllabae ante *τὰ* defectum explere studuerunt. sed nihil est explendum, modo tibi mecum persuaseris in ant. arsim contractam e duabus syllabis longis quaternariam putandam esse. nam verbum ipsum *νοσεῖ* — id quod ne Dind. quidem negat — modo apta metro forma inveniatur, optime convenit sententiae, id quod exempla docent ab interpretibus comparata, velut Eur. Andr. 548, Iph. T. 930. hac igitur unice apta

---

rhythmi *μεταβολή* statuatur. nihil aliud enim est illa rhythmi *μεταβολή* nisi ultimum perfugium, quando omnis alio modo metrorum explicandorum via praeclusa est. ceterum ingenue fateor me non intellegere Westphalium, qui in hac stropha enarranda prorsus inaudito more versus maxime varios coniunxit susque deque habito rhythmo. ab Aristidis enim verbis p. 35 *τὸ δὲ ἐπίτριτον γένος ἄρχεται μὲν ἀπὸ ἑπτασήμου, γίνεται δὲ ἕως τεσσαρεσκαιδεκασήμου* profectus hos Sophocli adfinxit versus (‚Aristoxenus' p. 74 et ‚Rhythmik'[3], p. 195):

1. – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –	⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́	5. –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –	⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
Grosser Epitrit	Paion epibatos.	Jon. trimeter	Jon. trimeter
2. – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –	⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́	6. ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́	
Gr. Ep.	P. ep.	Gr. Ep.	
3. ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –	⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́	7. ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ –	⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́
Jon. dimetron	P. ep.	P. epib.	Jon. trim. katal.
4. ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –		8. ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́	
P. ep.		Gr. Ep.	

[1]) Eodem modo perverso Westphal hunc quoque versum ita mensus est: ⏑ – ⏑ –́ – | ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ – – (cf. ‚Aristoxenus', p. 76). neque aliter eiusdem strophae versus *ὦ χθονία βροτοῖσι φάμα, κατά μοι βόασον οἰκτράν*, quos nos simplicissime ita metimur: –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ └ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ └ | –, ita constituit: – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – – | ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –. quae cum ita sint, vereor, ne Westphal in edenda tertium re metrica sua ea, quae ab initio in clara luce posuit, metra obscuret, nisi forte in recognoscendis posterioribus voluminibus a talibus abstineat hariolationibus, quod et rei ipsius et Westphalii causa optandum est quam maxime.

metri vel potius rhythmi forma inventa iam omnis evanescit difficultas et demonstratur arsim in tetrasemam longitudinem contractam in versibus ionicis statuendam esse, quae res, nisi huius responsionis extarent exempla certissima velut hoc Electrae, haud perinde omni exempta esset dubitatione.

Alterum huius responsionis exemplum in eadem stropha inveni:

El. 1069 = 1081:

str. *ἀχόρευτα φέρουσ' ὀνείδη* ⏑ ⏑ | ⊔́ ⏑ ⏑ | —́ ⏑ — —
ant. *τίς ἂν οὖν εὔπατρις ὧδε βλάστοι.* ⏑ ⏑ | —́ — ⏑ ⏑ | —́ ⏑ — —

v. 1081 *οὖν* coniunctionem, qua hoc loco nihil aptius est, omnes cum Triclinio eiecerunt.

Ex Aeschyli quoque tragoediis unum idque certissimum versus ionici integri anapaestique hexasemi responsionem proferam, dico Suppl. 1029 sqq. = 1037 sqq.; antistrophae versus, quos nemo temptavit, integris procedunt ionicis:

ποταμοὺς δ' οἳ διὰ χώρας ⏑ ⏑ —́ — | ⏑ ⏑ —́ — |
θελεμὸν πῶμα χέουσιν πολύτεκνοι, ⏑ ⏑ —́ — | ⏑ ⏑ —́ — | ⏑ ⏑ —́ —
λιπαροῖς χεύμασι γαίας ⏑ ⏑ —́ — | ⏑ ⏑ —́ — |
τόδε μειλίσσοντες οὖδας. ⏑ ⏑ —́ — | —́ ⏑ — ⏑ |

e strophae, qualem exhibet Mediceus, verbis frustra idoneum elicias sensum:

ἴτε μὰν ἀστυάνακτας | *μάκαρας θεοὺς γανάοντες πολιούχους*
τε καὶ οἳ χεῦμ' Ἐρασίνου | *περιναίετε παλαιόν.*

neque metrum quarti versus strophici idem est atque in antistropha. quocirca cum neque verba strophica aptum praebeant sensum, et inter metra intercedat discrepantia (habes in strophae v. 4 hoc schema: ⏑ ⏑ — ⏖ — ⏑), tuo iure e coniectura salutem petas. equidem mendi sedem in vocula *οἳ* inesse puto ex *οὗ* corrupta, quod Aeschylum hoc loco scripsisse mihi quidem luce est clarius[1]). hac igitur verborum constructione probata *ἴτε τε καὶ περιναίετε, οὗ χεῦμ' Ἐρασίνου παλαιόν* (*ἐστιν*) locum ita interpretor: ‚Kommet nun preisend die seligen Götter, der Stadt Hüter, der Burg Wächter, und wohnet rings herum, wo des Erasinus alte Flut strömt'; cf. v. 981 *τοῦ γὰρ .. μῆτις, ὅπου χρὴ δώματα ναίειν καὶ τόπος εὔφρων,* ubi simili modo *ἐστίν* supplendum est, atque adde Eum. 22 sq., 186 sqq. cum igitur hoc modo omnia sine ulla offensa legantur, iam mecum versus *περιναίετε παλαιόν* hanc constituas formam necesse est: ⏑ ⏑ ⊔ | ⏖ — ⏑, quacum convenit *τόδε μειλίσσοντες οὖδας* ⏑ ⏑ —́ — | — ⏑ — ⏑. iam nihil restare videtur, nisi ut aliorum coniecturas proferam. Herm. scripsit *περιναίονται* cuius medii formae nullum extat exemplum, qua re *περιναί-*

[1]) Diphthongi *οι* et *ου* in Med. saepissime confusae sunt; cf. Prom. 665 (*ὅπου* Ellendt: *ὅποι* M.), 1093 (*κοι* rec.: *κου* M.), Pers. 636 (*μου* recc.: *μοι* M.), 957 (*ἐκπεύθου* recc.: *ἐκπεύθοι* M.), Suppl. 483, 970, Cho. 60, 412, 566, 730, 916, Eum. 713, 862.

ουσιν Markscheffel (*οἷς . . περιναίεται* Schuetz). ut vero taceam haud facile intellegi, quo modo in horum verborum locum *περιναίετε* potuerit inrepere, vereor, ut apte celebrentur dii hominesque coniuncti: ,Preiset die Götter und jeden, dessen Wohnung Erasinus alter Strom netzt'. ad incolas referenda sunt ea, quae secuntur, *αἶνος δὲ πόλιν τήνδε Πελασγῶν ἐχέτω* (v. 1034).

Iam sub uno conspectu proferantur ea quaternariarum arsium exempla, quae in versibus dochmiacis obviam fiunt:

Eum. 172 sq. = 178:

παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων, ⏑ ⏖ – ⏑ –, ⏑ ⏖ – ⏑ –

str. *παλαιγενεῖς δὲ Μοίρας φθίσας.* ⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –

ant. *μιάστορ' ἐκείνου πάσεται* (*ἐκείνου* aperte corruptum).

Suppl. 746 = 753:

praecedit huius formae v. ⏑ ⏖ – ⏑ –, ⏑ ⏖ – ⏑ –

str. *παροίχομαι, πάτερ, δείματι.* ⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –

ant. *πολεῖ μελαγχίμῳ σὺν στρατῷ.*

miror H. Schmidtium [1]), qui primus in his duabus clausulis hanc mensuram acutissime statuit, duos eiusdem fabulae locos fugisse, ubi tetrasema arsis in strophae initio agnoscenda est:

Suppl. 350 = 363:

str. *παλαίχθονος τέκος, κλῦθί μου* ⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –

πρόφρονι καρδίᾳ, Πελασγῶν ἄναξ ⏑ ⏖ – ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –

ant. *ἴδοιτο δῆτ' ἄνατον φυγάν.*

Suppl. 375 = 386:

str. *σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον,* ⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ ⏖ – ⏑ –

πρύτανις ἄκριτος ὤν, ⏑ ⏖ ⏖ ⏑ –

ant. *τὸν ὑψόθεν σκοπὸν ἐπισκόπει.*

Contra recte Schmidt horum versuum Sophocleorum structuram perspexisse videtur:

O. R. 1313 *ἰὼ σκότου νέφος ἐμὸν ἀπότροπον* ⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ ⏖ ⏖ ⏑ ⏖
1321 *ἰὼ φίλος . .*

Ai. 397 sq. *ἕλεσθ' ἕλεσθέ μ' οἰκήτορα,* [2]) ⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –
ἕλεσθέ μ'.
414 *πολὺν πολύν με δαρόν τε δὴ*

---

[1]) Disputavit de hac re exemplaque ex tragicis congessit Schmidt Kunstf. I, p. 136 sq., II, p. 46 sq., III, p. 82 sq.

[2]) Cf. Schmidt I, p. 137: ,Die *τονή* legt einen grossen Nachdruck gerade auf die Wörter *ἕλεσθ'* und *πολύν*, und dass dieser beabsichtigt sei, wird unwiderleglich bewiesen eben durch die Wiederholung der Worte.'

El. 1232 sq. *ἰὼ γοναί,* ⏑ ⊔ ⏑ –
γοναὶ σωμάτων ἐμοὶ φιλτάτων ⏑ – – ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –
. . 1253 sq. *ὁ πᾶς ἐμοί,*
ὁ πᾶς ἂν πρέποι παρὼν ἐννέπειν
Phil. 400 sq. *ἰὼ μάκαιρα ταυροκτόνων* ⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –
λεόντων ἔφεδρε, τῷ Λαρτίου ⏑ – – ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –
516 *ἐπ' εὐστόλου ταχείας νεὼς* [1]).

Quibus exemplis duo adiungam, ubi bacchio trochaeus antistrophica ratione oppositus est, cuius arsim tetrasemam esse sponte intellegitur. ac tali quidem responsione duobus Sophoclis locis ab omni corruptelae suspicione liberis constituta, simul plurimum ponderis additur doctrinae Schmidtianae modo expositae.

O. C. 843 = 886:
str. *προβᾶθ' ὧδέ μοι* ⏑ – – ⏑ –
ant. *περῶσι δή.* ⏑ ⊔ ⏑ –

omnes cum Elmsleio *περῶσ' οἵδε δή* in textum receperunt, sed subiecto carebis facillime, si quidem gestu inlustrare haec verba chorum memineris.

O. C. 1454 sq. = 1469 sq.:
str. *ὁρᾷ ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ* ⏑ ⊥ ⏑ ⊔ ⊥ ⏑ – ^
χρόνος, ἐπεὶ μὲν ἕτερα, ⏑⏑ ⊔ ⏑⏑ ⏑
τάδε πήματ' αὖθις αὔξων ἄνω ⏑⏑ ⊔ ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –
ant. *τί μὰν ἀφήσει τέλος;* ⏑ ⊥ ⏑ ⊔ ⊥ ⏑ –
δέδια τόδ'· οὐ γὰρ ἅλιον ⏑ ⏑⏑ ⊔ ⏑⏑ ⏑
ἀφορμᾷ ποτ', οὐκ ἄνευ συμφορᾶς. ⏑ – – ⏑ –, ⏑ – – ⏑ –

stropham ab omnibus inde a Cantero coniecturis vexatam ita interpretor: ‚Die Zeit schaut immer auf die Götterbeschlüsse (cf. v. 1451 *μάτην γὰρ οὐδὲν ἀξίωμα δαιμόνων ἔχω φράσαι*) . . indem sie diese Leiden wieder (zum Guten) emporhebt.' quae explicatio optime concinit cum eis, quae praecedunt *εἴ τι μοῖρα μὴ κιγχάνει* v. 1450 (recte Nauck: ‚es sei denn, dass eine Schicksalsfügung eintritt, wodurch die Götter uns von den schlimmen Verwicklungen befreien'). verba *τάδε πήματ' αὖθις αὔξων ἄνω,* in quibus per se nihil est sollicitandum, prorsus germana esse loco gemino v. 1565 sqq. extra omnem dubitationem ponitur: *πολλῶν γὰρ ἂν καὶ μάταν | π η μ ά τ ω ν ἱκνουμένων | πάλιν σφε δαίμων δίκαιος αὔξοι.* quapropter miror sane omnes praetulisse poetae verbis scholiastae interpretationem inmemores sui ipsius poetam optimum esse interpretém. cum igitur sibi persuaderent chorum hoc dicere, nihil frustra a diis fieri, sed

[1]) Schmidt II, p. 46: ‚Die lange Note fällt auf den Schmerzensruf *ἰώ*, Ggstr. auf *εὐστόλου*, ein Wort, das zwar nicht selbst wiederholt wird, dessen besonderer Nachdruck aber durch das dafür das zweitemal gewählte Synonymon *ταχείας* bewiesen wird.'

rationem aliarum rerum serius, ocius aliarum patefieri (cf. schol. *ὁρᾶται δ χρόνος πολλὰ μὲν αὔξων παρ' ἦμαρ, πολλὰ δὲ εἰς τὸ ἔμπαλιν τρέπων*), ad unum omnes scripserunt: *τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὖθις αὔξων ἄνω.* verba *ἐπεὶ μὲν ἕτερα,* quae integra esse non ita confidenter contendam, aliter alii mutarunt, omnibus autem apertum erat requiri participium, unde Meineke *ἐφεὶς,* Hartung *στρέφων,* Wecklein *ἐπέχων* restituit. Gleditsch et metrum et verba ad arbitrium suum finxit:

str. *ὁρᾶται γὰρ χρόνος* | *ἐρείπων μὲν ἕτερα*
ant. *τί μαντεύει τέλος;* | *δέδοικ'· οὐ γὰρ ἄλιον*
⏑ ⊢ ⊢ ⊥ ⏑ ⊻ | ⏑ ⊢ ⊢ ⏑́⏑ ⊻

sed quomodocumque de verborum *ἐπεὶ μὲν ἕτερα* interpretatione sive mutatione sentis, verba *τάδε πήματ' αὖθις αὔξων ἄνω* a Sophoclis manu profecta esse mihi certum est.

Iam vero antequam ad ultimum opusculi mei caput transeam, non abs re mihi videtur paululum subsistere paucisque patefacere, quam secutus sim rationem in paenultima in trochaeo vel spondeo desinentium versuum syllaba dimetienda, quae res talibus intricata visa est difficultatibus C. Bernhardio, ut non sit ausus de hac re quaestionem instituere (l. c. p. 3). vanae enim esse operae, quibus in versibus talis mensura locum habeat inquirere, priusquam exploratum sit, quales leges aequandi tactuum ambitus veteres musici sibi constituerint. sed quamquam haec quaestio difficillima est, quippe quae via, qua verum adsequi possis, non satis veterum scriptorum inlustrata sit luminibus, tamen non ita est obscurata, ut iam in introitu tibi plane sit desperandum.

Tria potissimum sunt, quae in plurimis stropharum versibus occurrentia vel concurrentia paenultimae in trisemam producendae syllabae indicio sunt. ac tum demum dubia evadit res, si omnia, id quod nonnullis locis fieri negandum non est, plane deficiunt. in universum autem in paenultima designanda certorum uniuscuiusque strophae exemplorum vestigia sequi tutissimum est vel, quod idem est, a n a l o g i a m r h y t h m i c a m respicere, quae saepissime suadet, ut tripodiae vel pentapodiae acatalectae inter medias tetrapodias vel hexapodias insertae ad plenum tetrapodiarum vel hexapodiarum ambitum porrigantur, ita quidem ut et paenultima et ultima syllaba trisemae arsis habeat pondus [1]). cui rationi iam per se hic illic satis commendatae d i p o d i c a

---

[1]) Ne a nostrae quidem linguae versibus paenultimae productionem alienam esse edocebit te Brücke ‚Die physiol. Grundl. d. nhd. Verskunst', p. 39 sq., ubi paenultimae in trisemam longitudinem productae haec adferuntur exempla: ‚Was hör' ich draussen vor dem Thor, | Was auf der Brücke schallen?' et ‚Mit dem Pfeil und B o g e n | Durch Gebirg und Thal' (cf. p. 41 sq.). idem docet Westphal Theorie d. nhd. Metrik², p. 35.

mensura maxime favet, quae tantis in deliciis habita est, ut poetae in systematis melicis tripodias et pentapodias acatalectas perraro sibi admitterent, id quod recte Christ ostendit (,Continuität', p. 21 sqq.). accedit alterum, quod e rhythmi lege non erat permissum, ut versus acatalectus trochaicus versum exciperet, qui a thesi initium caperet. quam normam tam severe observasse poetas demonstravit Christ (l. c. p. 48), ut nisi mutato plane rhythmo vel post plenam interpunctionem, vel in stropharum clausulis, ubi perinde atque in stropharum initio sibi indulserunt nonnihil poetae, tale quid sibi non concesserint. quae res ut uno saltem luculento inlustretur exemplo, contra rhythmi leges peccaret, qui Sept. v. 735 sqq. ita metiretur:

κρατηθεὶς ἐκ φίλων ἀβουλιᾶν ⏑ ∟ ∟ – ⏑ –⏑ –⏑ –
γείνατο μὲν μόρον αὐτῷ, – ⏖ – ⏖ – –
πατροκτόνον Οἰδιπόδαν, ⏑ – ⏖ – ⏖ –
ὅστε ματρὸς ἁγνὰν – ⏑ – ⏑ – –
σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη. – – ⏑ – ⏑ ⏖ –

rhythmi enim continuitas tum demum servatur, si versus secundi quartique ultimam longam cum sequentis versus thesi consociatam integrum pedem formare tecum reputaveris, quo facto iam paenultimae ternae adtribuendae sunt morae hunc in modum:

⏑ ∟́ ∟ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧ | –́ ⏖ – ⏖ ∟́ –
⏑ –́ ⏖ – ⏖ – ∧ | –́ ⏑ – ⏑ ∟́ – | – –́ ⏑ – ⏑ ⏖́ –

Quibus adiungendum est, quod dipodicae tripodiarum et pentapodiarum mensurae saepe calculum adicit hiatus, quem hic illic in binorum versuum confiniis deprehendis, cuius vis oblitteratur quodam modo pausa unius vel duarum morarum adscita, ut apte conquiescat numerus, et paenultima in trisemam producta. ac iam Bentley ad Hor. Carm. III 14, 11 hiatum pausa multum amittere offensionis recte perspexerat de Verg. Aen. I 405 ,Et vera incessu patuit dea. ille ubi matrem Agnovit.' haec adnotans: ,hic peculiaris hiatus ratio est. quippe post dea plena distinctio est, et tum nova incipit oratio: et quia in pronuntiando pausa et morae spatium intercedit, dea et ille per synaloepham coalescere minime debuerunt.' hiatu igitur adductus his locis paenultimae syllabae longae tres adtribuo moras[1]):

Pers. 588 sq. *οὐκέτι περσονομοῦνται,* –́ ⏖ – ⏖ ∟́ – ∧
οὐδ' ἔτι δασμοφοροῦσιν –́ ⏖ – ⏖ ∟́ – ∧
Pers. 598 sq. *αἱμαχθεῖσα δ' ἄρουρα*[2]) –́ – – ⏖ ∟́ – ∧
Αἴαντος περικλύστα –́ – – ⏖ ∟́ – ∧

---

[1]) Simul plerique hi loci optime dipodicae obtemperant mensurae ceterorum strophae versuum analogia rhythmica valde probabili.

[2]) *ἄρουραν* Porson, quod Wecklein recepit. sed cf. Teuffelii comment. p. 112.

Suppl. 549 sq. *λειμῶνα βούχιλον, ἔνθεν Ἰὼ* – –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔ – ∧
οἴστρῳ ἐρεσσομένα –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ∧
648 sq. *ψῆφον δ' εὔφρον' ἔθεντο·* –́ – – ⏑⏑ ⊔ ⏓ ∧
αἰδοῦνται δ' ἱκέτας Διός –́ – – ⏑⏑ –́ ⏑ – ∧
683 sq. *ἄλλους εὐχόμεθ' ἀεί,* –́ – – ⏑⏑ ⊔ – ∧
Ἄρτεμιν δ' ἑκάταν γυναι-κῶν –́ ⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑ ⊔ | –
703 sq. *μοῦσαν θείατ' ἀοιδοί·* –́ – – ⏑⏑ ⊔ – ∧
ἁγνῶν τ' ἐκ στομάτων φερέ-σθω –́ – – ⏑⏑ –́ ⏑ ⊔ | –
Ag. 391 sq. *εὖ πραπίδων λαχόντα.* –́ ⏑⏑ – ⏑ ⊔ ⏓ ∧
οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλξις –́ ⏑ – ⏑⏑ ⊔ – ∧
408 sq. *φῶτ' ἄδικον καθαιρεῖ.* | *οἷος καὶ Πάρις ἐλθὼν*
426 sq. *ἔχθεται χάρις ἀνδρί,* –́ ⏑ – ⏑⏑ ⊔ ⏓ ∧
ὀμμάτων δ' ἐν ἀχηνίαις –́ ⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑ – ∧
733 sq. *αἵματι δ' οἶκος ἐφύρθη,* –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⊔ – ∧
ἄμαχον ἄλγος οἰκέταις ⏑́⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
969 sq. *μαντιπολεῖ δ' ἀκέλευστος* –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ ⊔ – ∧
ἄμισθος ἀοιδά,
οὐδ' ἀποπτύσας δίκαν –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ∧
Eum. 349 sq. *τάδ' ἐφ' ἁμὶν ἐκράνθη,* ⏑⏑ –́ ⏑⏑ ⊔ –́ ∧
ἀθανάτων δ' ἀπέχειν[1]) – ⏑⏑ –́ ⏑⏑ –

Sophoclis huc referendi sunt hi loci:

Ai. 247 sq. *ποδοῖν κλοπὰν ἀρέσθαι,* ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⊔ – ∧
ἢ θοὸν εἰρεσίας –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –
626 sq. *φρενομόρως ἀκούσῃ,* ⏑́⏑ – ⏑ ⊔ – ∧
αἴλινον αἴλινον –́ ⏑⏑ – ⏑⏑
El. 151 sq. *ἅτ' ἐν τάφῳ πετραίῳ* – –́ ⏑ – ⏑ ⊔ –
αἰαῖ δακρύεις. ⊔ – ⏑ ⊔ –
186 sq. *βίοτος ἀνέλπιστος, οὐδ' ἔτ' ἀρκῶ·* ⏑ ⏑́⏑ ⊔ –́ ⏑ – ⏑ ⊔ –
ἅτις ἄνευ τεκέων κατατάκομαι –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑
O. C. 694 sq. *Ἀσίας οὐκ ἐπακούω,* ⏑⏑ ⊔ – ⏑⏑ ⊔ –
οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δώριδι νάσῳ –́ – – ⏑⏑ ⊔ – ⏑⏑ ⊔ –
Phil. 1105 sq. *ναίων ἐνθάδ' ὀλοῦμαι,* –́ – – ⏑⏑ ⊔ – ∧
αἰαῖ αἰαῖ, ⊔ ⊔ ⊔ – ∧
οὐ φορβὰν ἔτι προσφέρων –́ – – ⏑⏑ –́ ⏑ –

Liceat mihi hoc loco alia quoque talis hiatus pausa excusati exempla proferre, quorum pauca iam a Christio congesta esse video[2]):

---

[1]) In ant. 862 sq. *τινα τάσδε μερίμνας,* ⏑⏑ –́ ⏑⏑ ⊔ –́
θεῶν δ' ἀτέλειαν ἐμαῖ-σι ⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑⏑ –

[2]) Cf. Annal. philol. Vol. 99 (1869) p. 380.

Aesch. Pers. 648 sq. *πέμπετε δ' ἄνω* ∧ *οἷον οὔπω*
661 sq. *ἴθι, ἵκου* ∧ *ἐλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμ-βον*[1])
884 sq. *τᾶδε γᾷ προσήμεναι,* ∧ *οἵα Λέσβος* . .
959 sq. *ποῦ δέ σοι παραστάται,* ∧ *οἷος ἦν Φαρανδάκης*
{ 1045 sq. *βαρεῖά γ' ἅδε συμφορά.* ∧ *οἶ μάλα καὶ τόδ' ἀλγῶ.*
{ 1053 sq. *μέλαινα δ' αὖ μεμίξεται,* ∧ *οἴ, στονόεσσα πλαγά.*
Sept. 353 sq. *δυσμενοῦς ὑπερτέρου* ∧ *ἐλπίς ἐστι* . .
754 sq. *πρόπρυμνα δ' ἐκβολὰν φέρει* ∧ *ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν*[2])
Suppl. 657 sq. *οὔ-τις ἂν δόμος ἔχοι* ∧ *ἐπ' ὀρόφων*[3])
Ag. 172 sq. *τοῦτό νιν προσεννέπω.* ∧ *οὐκ ἔχω προσεικάσαι*[4])
997 sq. *σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου,* ∧ *οὐκ ἔδυ* . .
Cho. 798 sq. *κλύετε, σύμφρονες θεοί·* ∧ *ἄγετε, τῶν πάλαι* . .
Eum. 328 sq. *ἅ-γνισμα κύριον φόνου.* ∧ *ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ*
357 sq. *τιθασὸς ὢν φίλον ἕλῃ.* ∧ *ἐπὶ τόν, ὤ, διόμεναι*
374 sq. *μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα* ∧ *ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ*[5])
Soph. Ai. 194 sq. *τᾷδ' ἀγωνίῳ σχολᾷ,* ∧ *ἄταν οὐρανίαν φλέγων* . .
419 sq. *γείτονες ῥοαί,* ∧ *εὔφρονες Ἀργείοις*
889 sq. *οὐρίῳ μὴ πελάσαι δρόμῳ,* ∧ *ἀλλ' ἀμενηνὸν*[6]) . .
El. 230 sq. *τάδε γὰρ ἄλυτα κεκλήσεται,* ∧ *οὐδέ ποτ'* . .
513 sq. *οὔ τί πω* ∧ *ἔλιπεν ἐκ τοῦδ' οἴκους*
O. R. 693 sq. *εἴ σε νοσφίζομαι,* ∧ *ὅς τ' ἐμὰν γᾶν φίλαν ἐν πόνοις*[7])
892 sq. *τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖσδ' ἀνὴρ θυμοῦ βέλη* ∧ *εὔξεται ψυχᾶς ἀμύνειν;*
1189 sq. *τᾶς εὐδαιμονίας φέρει* ∧ *ἢ τοσοῦτον ὅσον δοκεῖν*[8])
1202 sq. *ἐξ οὗ καὶ βασιλεὺς καλεῖ* ∧ *ἀμὸς καὶ τὰ μέγιστ'*[9])
1206 sq. *ξύνοικος ἀλλαγᾷ βίου;* ∧
ἰὼ κλεινὸν Οἰδίπου κάρα, ∧ *ᾧ μέγας λιμὴν*[10])

---

1) *ἐλθ' ἵκου τόνδ' ἐπ'* Dind.

2) *βροτᾶν ἀ.* Heimsoeth.

3) Hoc quoque loco nonnulli inanem in hiatu tollendo insumpserunt operam, veluti Weil scribendo *ἔχων*, Bergk *ἔχοιτ'*, Martin *ἔχειν*.

4) *προσεννέπων* Musgrave.

5) *ὀλομέναν* Bothe.

6) Rectissime Brambach his versibus hoc adscribit schema:

´– ⏑ ⌞– ´– ⏖ – ⏑ ´– ∧ ⩞
´– ⏖ – ⏑ ´– ⏑ – – ´– ⏑ –

7) *εἴ σ' ἐνοσφιζόμαν* Badham.

8) *πλὴν τοσοῦτον* Heimsoeth.

9) *ἐμὸς* M., *ἀμὸς* recte Blaydes. *κλύεις* Heimsoeth, *καλεῖτ'* Elmsley.

10) Hi sunt versus:

⏑ ´– ⏑ – ⏑ ´– ⏑ – ∧
⌞´– ⌞– ´– ⏑ – ⏑ ´– ⏑ – ∧
´– ⏑ – ⏑ –

O. C.	1215	sq.	ἐπεὶ πολλὰ μὲν αἱ μακραὶ ∧ ἀμέραι κατέθεντο δή[1])
	1449	sq.	παρ' ἀλαοῦ ξένου, ∧ εἴ τι μοῖρα μὴ κιγχάνει
Ant.	149	sq.	.. ἀντιχαρεῖσα Θήβᾳ, ∧ ἐκ μὲν δὴ πολέμων
	959	sq.	.. δεινὸν ἀποστάζει ∧ ἀνθηρόν τε μένος
	1134	sq.	πολυστάφυλος πέμπει, ∧ ἀμβρότων ἐπέων
Trach.	104	sq.	.. Δηιάνειραν ἀεί, ∧ οἷά τιν' ἄθλιον ὄρνιν
	{ 500	sq.	.. ἀπάτασεν οὐ λέγω, ∧ οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν
	{ 510	sq.	.. ὁ δὲ Βακχίας ἀπὸ ∧ ἦλθε παλίντονα Θήβας
Phil.	175	sq.	δύσμορος ἀντέχει; ∧ ὢ παλάμαι θεῶν
	203	sq.	ὡς τειρομένου ∧ ἢ που τῇδ' ἢ τῇδε τόπων
	713	sq.	ὢ μελέα ψυχά, ∧ ὃς μηδ' οἰνοχύτου πώματος.

[1]) Temere Gleditsch haec adnotat: ‚Der Hiatus zwischen μακραὶ und ἀμέραι ist unerträglich. Ich habe, um ihn zu beseitigen, zu der Partikel γε meine Zuflucht genommen, welche indessen hier nicht bedeutungslos erscheint.' sine dubio in eo haesit, quod oratio hiaret inter adiectivum arte coniunctum cum substantivo. quid, quod prorsus eundem inveni hiatum in Eur. Tro. 848 τὸ τᾶς δὲ λευκοπτέρου ∧ ἀμέρας φίλιον βροτοῖς. Nauck ἀμέραι μυρίαι coniecit.

CAPUT QUARTUM.

De rhythmizomeni cum rhythmo congruentia, qualem in trisemis usurpandis Aeschylus et Sophocles consequi studuerunt.

Accedimus iam ad novissimam, quam nobis proposuimus partem tractandam, ut exemplis ordine dispositis inquiramus, num poetae in syllabis trisemis usurpandis regulis quibusdam sese adstrinxerint, vel ut apertius dicam, quem ad modum poetae rhythmi cum rhythmizomeno concentum instituerint. hanc materiam latissime diffusam ita persequi in animo est, ut exemplis ad capita quaedam revocatis primum prosodiacam syllabarum trisemarum rationem paullo accuratius examinemus, idque ita, ut intellegatur arses illas longis longiores rhythmi legibus postulatas in syllabas cadere prosodiae legibus longiores prolixioresque factas. qua in re mihi cavendum erit magno opere, quod in tali re cavendum esse Godofr. Hermann monuit, ne quod pluribus versibus aptum videatur, statim pro lege a poeta consulto observata habeam. ‚Maius enim hodie', idem dicit verissime, ‚ab regulis, quam ante ab regularum ignorantia periculum imminet. nam exempla non faciunt regulam, sed sequuntur: naturamque rei cuiusque cognovisse, id vero est simul et regularum fontem et exceptionem tenere'.

Iam veteres artis metricae magistri disertis verbis docent syllabas natura longas longiores evadere, si vocalium pondus consonantium multitudine augeatur, cuius rei haec sint testimonia: schol. Dion. Thrac. (Bekk. Anecd. Gr.) p. 821, 25 *'Ιστέον δὲ ὅτι παρὰ τοῖς μετρικοῖς πᾶσα μακρὰ δίχρονος, παρὰ δὲ τοῖς τεχνικοῖς τρίχρονός τε καὶ τετράχρονος, τρίχρονος μὲν ὡς ηὗλουν, ὤθουν, τετράχρονος δὲ ὡς Θρᾴξ*. Dionys. de comp. verb. c. XV. *'Η ἐκ τοῦ η γινομένη συλλαβή, μακρὰ τὴν φύσιν οὖσα, τεττάρων γραμμάτων προσθήκαις παραυξηθεῖσα, τριῶν προταττομένων, ἑνὸς δὲ ὑποταττομένου, καθ' ἣν λέγεται σπλὴν μείζων ἂν δήπου λέγοιτο εἶναι τῆς προτέρας ἐκείνης τῆς μονογραμμάτου . . . ἀρκεῖ . . . εἰρῆσθαι, ὅτι διαλλάττει καὶ βραχεῖα συλλαβὴ βραχείας, καὶ μακρὰ μακρᾶς,*

καὶ οὔτε τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν οὔτ' ἐν λόγοις ψιλοῖς οὔτ' ἐν ποιήμασιν ἢ μέλεσι διὰ ῥυθμῶν ἢ μέτρων κατασκευαζομένοις πᾶσα βραχεῖα καὶ πᾶσα μακρά. nec non ab eorum parte stat Hephaestionis scholiasta haec proferens p. 93 W. *Ἰστέον δὲ ὅτι ἄλλως λαμβάνουσι τοὺς χρόνους οἱ μετρικοὶ ἤγουν οἱ γραμματικοί, καὶ ἄλλως οἱ ῥυθμικοί. οἱ γραμματικοὶ ἐκεῖνον μακρὸν χρόνον ἐπίστανται τὸν ἔχοντα δύο χρόνους, καὶ οὐ καταγίνονται εἰς μεῖζόν τι· οἱ δὲ ῥυθμικοὶ λέγουσι τόδε εἶναι μακρότερον τοῦδε, φάσκοντες τὴν μὲν τῶν συλλαβῶν εἶναι δύο ἡμίσεος χρόνων, τὴν δὲ τριῶν τὴν δὲ πλειόνων· οἷον τὴν ως οἱ γραμματικοὶ λέγουσι δύο χρόνων εἶναι, οἱ δὲ ῥυθμικοὶ δύο ἡμίσεος· δύο μὲν τοῦ ω μακροῦ, ἡμίχρονον δὲ τὸ σ· πᾶν γὰρ σύμφωνον λέγεται ἔχειν ἡμιχρόνιον.*

Atque cum hac doctrina optime congruunt, quae rei metricae auctores Latini de mensura syllabarum longarum nobis tradunt, inter quos ut luculentissimus de hac re nominandus est testis Marius Victorinus VI, p. 39 K. ,Musici qui temporum arbitrio syllabas committunt, in rhythmicis modulationibus aut lyricis cantionibus per circuitum longius extentae pronuntiationis tam longis longiores quam rursus per correptionem breviores brevibus proferunt. adferunt etiam exempla, quae in metricis pedibus secum faciant, adserentes accessione consonantium momenta temporum crescere, tamquam Thersandrus: constat duobus positione longis et brevi ultima, qui fit pes palimbacchius. huius primam positione longam correpta e littera esse manifestum est, quam si produxeris, ut interdum etiam metrici faciunt, ut pro e *η* graeca littera audiatur, quae semper natura longa est, fit, ut etiam accedentibus duabus consonantibus longior prolixiorque videatur; quippe cum trium temporum spatio aucta sit, quae duum fuerat, cum esset per e correptam nomen elatum. item *ἀμφιεσμένος ἠμφιεσμένος,* quod in metro apud Graecos frequenter invenimus. habet enim et de natura et de positione longioris syllabae incrementum.'

Agmen grammaticorum hac de re disputantium claudant Pompeius et Priscianus, quorum prior de syllabarum longarum ratione prosodiaca haec facit verba V, p. 113, 5 K.: ,Illud etiam sequitur esse aliquas syllabas plurimas, quae et plura habent tempora, quam oportet, ut est lex. ecce e ipsum naturaliter duo tempora habet; x, quae duarum consonantium fungitur loco, unum habet tempus: ecce invenitur ista syllaba habere tria tempora ... puta, si qui talem versum faciat, ,lex prima est quodcunque potest' quattuor tempora sunt et nunc asper est.[1]) ... qua ratione hoc dixi? quoticnscumque inciderit tale aliquid,

[1]) Liceat mihi lectoris animum advertere ad rem notatu hercule dignissimam, qua demonstratur, ne nostrae quidem aetatis poetas etsi in rebus metricis neglegentiores veteribus, ita se omni absolvisse regula, ut nonnulli nobis comprobare student. nostros enim poetas non prorsus incuriosos fuisse in condendis versibus, utrum syllabas leves

debemus verba sequentia a vocalibus inchoare, ut depereat aliquid de illa summa, ut puta, si dicas: ,lex ima est quodcunque velis', levius sonat, si dicas ,lex ima est' quam si dicas ,lex prima est'. omnino hoc debent servare, qui volunt lubricos versus et currentes facere.' **Priscianus** II, p. 52 sq. H.: ,In longis natura vel positione duo sunt tempora, ut **dō**, **ārs**, duo semis, quando post vocalem natura longam una sequitur consonans, ut **sōl**, tria, quando post vocalem natura longam duae consonantes sequuntur vel una duplex, ut **mōns**, **rēx**.

Neque veteres grammaticos, cum haec proferrent, hariolatos esse, immo ex intima artis notitia disciplinam illam de peculiari consonantium vi hausisse, denuo in clara luce positum est experimentis, quae fecit Brücke linguae vernaculae versibus examinatis, cuius viri doctissimi praecepta tanto maioris sunt putanda, praesertim cum nulla, quantum video, veterum grammaticorum ratione habita ipse idem atque illi praeceperit l. c. p. 71.

His iam praemissis ad ipsa exempla percensenda transeamus. ac primum quidem eos adnotabimus locos, quibus longitudo trisema e prosodiaca quoque ratione et ,de natura et de positione longioris syllabae habet incrementum':

Aesch.

Pers.	1027	*'Ιαόνων- λαὸς οὐ φυγαί-χμας*[1]).
Ag.	489	*γυναικὸς αἰ-χμᾷ πρέπει*
Suppl.	1079 sq.	*καὶ κράτος νέμοι γυναι-ξίν· τὸ βέλτερον κακοῦ*
Ag.	130	*οὕτω δ' εἶπε τερά-ζων*
Eum.	327 sq.	*πτῶκα, μα-τρῷον ἅ-γνισμα κύριον φόνου*
	568	*ὤλετ' ἄκλαυστος, ἄ-στυς*
Pers.	1030	*τραπέντα ναύ-φρακτον ἐρεῖς ὅμι-λον*
Sept.	291	*ποῖον δ' ἀμεί-ψεσθε γαί-ας πέδον*
Ag.	728	*χρονι-σθεὶς δ' ἀπέδει-ξεν*
Suppl.	709	*ξένοισί τ' εὐ-ξυμβόλους*
Ag.	146	*τόσσων περ εὔ-φρων καλὰ*
	732	*δαῖτ' ἀκέλευστος ἔτευ-ξεν*
Pers.	290	*μεμνῆ-σθαί- τοι πάρα*
	657 sq.	*θεομήστωρ δ' ἐκικλή-σκετο Πέρσαις θεομήστωρ δ'*

---

an consonantium vi ponderosas adsciscerent sive in arsi sive in thesi, modo ne contra linguae germanicae accentum peccaretur, luculentissimo mihi ostendere posse videor exemplo Goethii, in cuius officinam quasi inspicimus, dum ea legimus, quae extant in libro ,Eckermann, Gespräche mit Goethe' II, p. 135 Düntzer). quocum comparari possunt ea, quae M. Bernays Beil. z. Allg. Zeitung 1885, n. 272 p. 4010 exposuit. cf. praeterea Brücke p. 53, 55, Hartel Hom. Stud.[2] p. 99, Westphal II[2] p. 72 sqq.

1) Hoc signo- Gleditschii secutus exemplum praecedentem syllabam tone adhibita in trisemam magnitudinem porrigendam aut in verbi fine morae unius pausam statuendam esse indicavi.

Sept.	199	δὴ τότ' ἦρ-θην φόβῳ
	868 sq.	ἰδόντες, ἤ-δη διήλ-λαχθε σὺν σιδά-ρῳ
	912	τεκνόγονοι κέκλην-ται
Ag.	266	τορὸν γὰρ ἥ-ξει σύνορθρον αὐ-γαῖς
	1508 sq.	πῶ πῶ; πατρόθεν δὲ συλ-λή-πτωρ γένοιτ' ἂν ἀλά-στωρ
Cho.	320	κέκλην-ται γόος εὐκλεὴς
Eum.	496	τοῦδε μη-τροκτόνου
	977	τὰν δ' ἄπλη-στον κακῶν
Prom.	451	στένουσιν ἄλγος οἰ-κτρόν
Suppl.	62	μήτιδος οἰ-κτρᾶς ἀλόχου
	391	δυσπαραθέλ-κτους παθόντος οἴ-κτοις
Ag.	252 sq.	φιλοί-κτῳ, πρέπουσά θ' ὡς- ἐν γραφαῖς, προσεννέπειν
Eum.	1015	χαίρετε, χαίρετε δ' αὖθις, ἔπη διπλοί-ζω
Pers.	1036	καὶ σθένος γ' ἐκολού-σθη
Ag.	733	αἵματι δ' οἶκος ἐφύρ-θη
Sept.	274	μέλει, φόβῳ- δ' οὐχ ὑπνώσ-σει κέαρ
	688	θεοὶ θυσίαν δέχων-ται
	743	κακῶν δ' ὥσ-περ θάλασσα κῦμ' ἄγει
Ag.	408	τὸν δ' ἐπίστροφον τῶν-δε
Cho.	337	τί τῶνδ'- εὖ τί δ' ἄτερ κακῶν.
		Soph.
O. R.	207 sq.	Ἀρτέμιδος αἴ-γλας, ξὺν αἷς- Λύκι' ὄρεα διάσ-σει
Ant.	610	μαρμαρόεσσαν αἴ-γλαν
Phil.	1136	ὁρῶν μὲν αἰ-σχρὰς ἀπάτας
	1138	μυρί' ἀπ' αἰ-σχρῶν ἀνατέλ-λονθ', ὅσ' ἐφ' ἡ-μῖν
Ant.	800	θεσμῶν· ἄμαχος γὰρ ἐμ-παί-ζει θεὸς Ἀφροδί-τα
	866	οἵων ἐγώ ποθ' ἁ ταλαί-φρων ἔφυν
O. R.	891	ἢ τῶν ἀθίκτων ἕξεται ματά-ζων
O. C.	673	χλωραῖς ὑπὸ βάσ-σαις
Trach.	117	στρέφει, τὸ δ' αὔ-ξει βιότου
Ai.	949	ἀλλ' ἀπείρ-γοι θεός
O. R.	865	ἔργων τε πάντων, ὧν νόμοι πρόκειν-ται
Trach.	659	ἀμεί-ψας- ἔνθα κλήζεται θυτήρ
Phil.	1158	ἀπὸ γὰρ βίον αὐτίκα λεί-ψω
Ai.	224	ἄτλατον οὐδὲ φευ-κτάν
	704 sq.	ὁ Δάλιος εὔ-γνωστος ἐμοὶ ξυνεί-η διὰ παντὸς εὔ-φρων
El.	1428	παύσασθε, λεύσ-σω γὰρ Αἴ-γισθον ἐκ προδή-λου
O. C.	520	πείθου· κἀγὼ γὰρ ὅσον σὺ προσ-χρή-ζεις
El.	1089	σοφά τ' ἀρί-στα τε παῖς κεκλῆ-σθαι
Phil.	687 sq.	πῶς ποτε πῶς ποτ' ἀμφιπλή-κτων ῥοθίων μόνος κλύων

Phil.	714 sq.	*ὃς μηδ' οἰνοχύτου- πώματος ἥ-σθη δεκέτει χρόνῳ*
	1178	*φίλα μοι, φίλα ταῦτα παρήγ-γειλας ἑκόντι τε πράσ-σειν*
El.	145	*νήπιος ὃς τῶν οἰ-κτρῶς*
O. R.	181	*θαναταφόρα κεῖται ἀνοί-κτως*
O. C.	242	*ὦ ξένοι, οἰ-κτείραθ', ἅ.* 515 *μὴ πρὸς ξενίας ἀνοί-ξῃς*
Phil.	143	*τί σοι χρεὼν ὑπουρ-γεῖν*
Ai.	198 sqq.	*πάντων καγχαζόντων γλώσ-σαις βαρυάλ-γητ'· ἐμοὶ δ' ἄχος ἕστακεν*
	716	*Αἴας μετανε-γνώ-σθη*
Ant.	347	*σπείραισι δικτυοκλώ-στοις*
Trach.	118	*πολύπονον ὥσ-περ πέλαγος.*

Quibus adiungo exempla, ubi syllaba in trisemam magnitudinem producta constat e vocalibus *α, ε, ο, υ* tribus subsequentibus consonantibus.

Aesch.

Pers.	121 sq.	*τοῦδε μὴ πόλις πύθη-ται κένανδρον μέγ' ἄστυ Σουσίδος*
	136	*λέκτρα δ' ἀν-δρῶν πόθῳ*
Sept.	334	*πρὸς ἀν-δρὸς δ' ἀνὴρ δορὶ καίνεται*
	757	*τίν' ἀν-δρῶν- γὰρ τοσόνδ' ἐθαύμασαν*
	885	*στένει πέδον φίλαν-δρον· μενεῖ*
Suppl. 148 =	158	*εὐνὰς ἀν-δρῶν, ἐὴ*
	537	*ἄλευσον ἀν-δρῶν ὕβριν εὖ στυγή-σας*
	667	*μήποτε λοιμὸς ἀν-δρῶν*
Ag.	255	*πατρὸς κατ' ἀν-δρῶνας εὐτραπέ-ζους*
	392 sq.	*οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλ-ξις | πλούτου πρὸς κόρον ἀν-δρὶ*
Sept.	769	*κρεισσοτέκνων- ὀμμάτων ἐπλάγ-χθη*
Ag.	211	*μάντις ἔκλαγ-ξεν προφέρων*
Pers.	1035	*λυπρά, χάρματα δ' ἐ-χθροῖς*
Ag.	461	*εὔμορφοι κατέχουσιν· ἐ-χθρὰ δ' ἔχοντας ἔκρυ-ψεν*
	1474	*κόρακος ἐ-χθροῦ σταθεὶς- ἐννόμως*
Cho.	458	*ξὺν δὲ γενοῦ πρὸς ἐ-χθρούς*
Pers.	1009	*ἔθετ' ἄελ-πτον κακὸν*
Ag.	147	*δρόσοισιν ἀέλ-πτοις μαλερῶν λεόντων*
	441	*οὓς μὲν γάρ τις ἔπεμ-ψεν*
Suppl. 98 sqq. *δαυ-λοὶ- γὰρ πραπίδων- δάσκιοί*
τε τεί-νου-σιν πόροι | κατιδεῖν ἄφραστοι[4]).

Soph.

O. R. 481 sq. *μαντεῖα· τὰ δ' ἀεὶ ζῶντα περιποτᾶ-ται*
O. C. 1226 sq. *βῆναι κεῖθεν ὅθενπερ ἥ-κει, πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα*
Ant. 367 *ποτὲ μὲν κακόν, ἄλλοτ' ἐπ' ἐσθλὸν ἕρ-πει*
585 *οὐδὲν ἐλλείπει γενεᾶς ἐπὶ πλῆθος ἕρ-πον*
618 *εἰδότι δ' οὐδὲν ἕρ-πει*
O. R. 468 *φυγᾷ πόδα νω-μᾶν*
Phil. 717 *ἀ-εὶ προσενώ-μα*[5])

---

1) Verbi *ἀεί* notio in partes singulas divisa accuratius definitur.

2) ‚Hassweckend schleicht der Schmerz gegen die Atriden heran.'

3) ‚*κέλσαντα* metaphora ab homine diuturnis erroribus maritimis exercito ducta, qui tandem aliquando litus adpellit', Schuetz.

4) Quam insigni arte hic porrigantur syllabae nemo nisi invenustus prorsus non sentit. recte interpretatur Droysen: ‚Denn hinzieht sich versteckt | Seines Willens Pfad und schattendicht | Zu erschauen unmöglich.'

5) *ἑαυτὸν ἐκίνει* schol.; agitur de Philocteta summo cum labore per manus et genua reptante.

Ant. 336 sq χω-ρεῖ περιβρυχίοι-σιν περῶν ὑπ' οἴδμασιν[1])
O. R. 1192 καὶ δόξαντ' ἀποκλῖ-ναι
O. C. 1468 τί μὰν ἀφή-σει τέλος.

Tone saepe extenduntur voces πᾶς, πάντες, πολλοί al., de quibus Christ l. c. p. 453 haec adnotat: ,Lehrreich sind besonders die Verse, wo der Dichter die unendliche Menge oder das Allumfassende oder das Umgeben von allen Seiten versinnbildigte.'

Aesch.

Pers. 586 τὸ πᾶν- δὴ κλύουσιν ἄλγος
Sept. 283 πανδη-μεὶ πανομι-λεί. 908 ξένων τε πάν-των στίχας
911 πρὸ πα-σᾶν γυναι-κῶν ὁπόσαι
Suppl. 91 παν-τᾶ- τοι φλεγέθει
701 τὸ πᾶν- τ' ἐκ- δαιμόνων λάχοι-εν
Cho. 330 τὸ πᾶν- ἀμφιλαφὴς ταρα-χθείς
456 στάσις δὲ πάγ-κοινος ἅδ' ἐπιρροθεῖ
Eum. { 968 παν-τᾶ- τιμιώτατοι θεῶν
{ 988 πολ-λῶν- γὰρ τόδ' ἐν βροτοῖς ἄκος
Pers. 1025 βαιά γ' ὡς ἀπὸ πολ-λῶν
72 sq. πολύγομ-φον ὅδισμα
ζυγὸν ἀμ-φιβαλὼν αὐχένι πόντου
133 τὸν ἀμ-φί-ζευκτον ἐξαμεί-ψας
Sept. 828 μέριμνα δ' ἀμ-φὶ πτόλιν
Cho. 74 ἐμοὶ δ' ἀνάγ-καν γὰρ ἀμ-φίπτολιν
Pers. 126 sq. τοῦτ' ἔπος γυναικοπλη-θὴς ὅμιλος ἀπύων[2])
Suppl. 544 γενοῦ πολυ-μνῆστορ ἔφαπτορ 'Ι-οῦς
Ag. 388 sq. φλεόν-των- δωμάτων ὑπέρ-φευ
ὑπὲρ τὸ βέλ-τιστον
449 sqq. ψῆγμα δυσδάκρυτον ἀν-τήνορος σποδοῦ γεμί-
ζων λέβητας εὐθέτους
Cho. 585 sqq. πόντιαί- τ' ἀγκάλαι- κνωδάλων | ἀν-ταί-ων βροτοῖσι
πλά-θουσι, βλα-στοῦσι καὶ πεδαίχμιοι.

Soph.

O. R. 660 οὐ τὸν- πάν-των θεῶν θεὸν πρόμον
O. C. 677 ἀνήνεμόν τε πάν-των
Ant. 810 sq. κοὔποτ' αὖθις· ἀλλά μ' ὁ παγ-κοίτας Ἅιδας ζῶσαν ἄγει
Trach. 645 σοῦται- πά-σας ἀρετᾶς
O. C. 162 sq. μετά-σταθ', ἀπόβαθι. πολ-λὰ κέλευθος ἐρατύει

---

1) Cf. Brambach, Metr. Stud., p. 152; Christ, Cont., p. 61.
2) ,Hanc vocem clamante magna turba mulierum.'

Phil.	1143	κεῖνος δ' εἷς ἀπὸ πολ-λῶν
El.	192	κεναῖς- δ' ἀμ-φίσταμαι τραπέ-ζαις.

Nomina propria.

De his iam recte sensit Heimsoeth ‚Wiederherstellung', p. 302, haec docens: ‚Die Namen der Sieger, der siegreichen Vaterstadt, des Siegesortes, die Namen der Götter, der Heroen, sie klingen alle mit heraustretender Declamation aus den Rhythmen hervor durch die in ihnen zusammentreffenden Arsen.'

Aesch.

Ag.	410	ἐς δόμον τὸν Ἀτρει-δᾶν
Cho.	321	προσθοδόμοις Ἀτρεί-δαις
	406	ἴδεσθ' Ἀτρει-δᾶν τὰ λοίπ' ἀμηχάνως
Sept.	776	μὴ τελέσῃ- καμψίπους Ἐρι-νύς[1])
Ag.	428	ἔρρει πᾶσ' Ἀφροδί-τα[2])
Sept.	311	ὑπ' ἀνδρὸς Ἀχαι-οῦ θεόθεν
Ag.	110 sq.	ὅπως Ἀχαι-ῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας
Pers.	71	Ἀθαμαν-τίδος Ἕλλας
	1016	δυσπόλεμον- δὴ γένος τὸ Περ-σᾶν
Prom.	434 sq.	ἔσχατον τόπον ἀμφὶ Μαι-ῶτιν ἔχουσι λί-μναν
	560	θνατοὺς ἄγαν, Προμη-θεῦ
Sept.	294 sq.	ὕδωρ τε Διρ-καῖον εὐτραφέστατον- πωμάτων
	731	Ἀπόλ-λωνος εὖτε Λάιος
Suppl.	558	περᾷ δὲ Τεύ-θραντος ἄστυ Μυ-σῶν
	570	ὕδωρ τὸ Νεί-λου νόσοις ἄθι-κτον
	673 sq.	εὐνάτωρ βροτολοιγὸς Ἄ-ρης κέρσειεν ἄω-τον
Ag.	137 sq.	θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροί-ας
	1103	ἢ δίκτυόν τί γ' Ἅι-δου
Cho.	365	παρὰ Σκαμάν-δρου πόρον τετά-φθαι
	809	παῖς ὁ Μαί-ας- ἐπιφορώτατος
Eum.	921 sq.	ῥυσίβωμον Ἑλ-λά-νων ἄγαλμα δαιμόνων.

Soph.

Ai.	{ 608	τὸν ἀπότροπον ἀίδηλον Ἅι-δαν[3])
	{ 621	ἔπεσ' ἔπεσε μελεοῖς Ἀτρεί-δαις[4])
	1222	προσεί-ποιμεν Ἀθά-νας[5])

[1]) Eadem vox in eadem versus sede legitur Ag. 748. Cho. 648.

[2]) Cf. Suppl. 672.

[3]) Adde Ai. 635, 1194, Ant. 361, Trach. 120 sq., 501.

[4]) Cf. Ai. 718, 960, El. 1068.

[5]) Idem nomen in eadem versus sede habes O. R. 159, O. C. 706, 1071, 1090.

Ai. 1191 δύ-στανον ὄνειδος Ἑλ-λά-νων[1])
Ant. 149 τᾷ πολυαρμάτῳ ἀντιχαρεῖσα Θή-βᾳ[2])
El. 491 χαλκόπους Ἐρι-νύς[3])
Ai. 637 πολυπόνων Ἀχαι-ῶν. 703 μολὼν ἄναξ Ἀπόλ-λων
710 θοᾶν- ὠκυάλων νεῶν, ὅτ' Αἴ-ας
1210 λυγρᾶς μνήματα Τροί-ας
O. R. 195 θάλαμον Ἀμφιτρί-τας
867 sq. τεκνωθέντες ὧν Ὄλυμ-πος πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν
Trach. 215 γείτονάς τε Νύμ-φας
Phil. 1131 ἔχεις, τὸν Ἡράκλει-ον.

Finem faciam huius disputationis ita, ut reliqua exempla trisemarum syllabarum, quae notionis pondere elatae videntur, adferam. cum vero hic illic fluctuare possit iudicium, utrum re vera verba quaedam intendere voluerint poetae necne, venia mihi petenda erit, si quidem nimis fortasse meo confisus sensu intendi quaedam, quae non erant intendenda. omnino enim in rebus, quae sensu magis quam certis indiciis percipiuntur, diversa saepe numero sunt hominum iudicia.

Manifesta autem adparet sententiae intentio, ubi poetae eius consequendae gratia eadem vocabula geminaverunt vel synonyma plura adhibuerunt ad eiusdem rei gravitatem fortius designandam. et reapse tales voces repetitae per se mirificam vim et adfectum addentes sententiae saepius tono efferuntur:

Aesch.

Pers. 553 sqq. Ξέρ-ξης μὲν ἤγαγεν, ποποῖ,
Ξέρ-ξης δ' ἀπώλεσεν, τοτοῖ,
Ξέρ-ξης δὲ πάντ' ἐπέσπε δυσφρόνως
563 sqq. νᾶ-ες μὲν ἄγαγον, ποποῖ,
νᾶ-ες δ' ἀπώλεσαν, τοτοῖ,
νᾶ-ες πανωλέθροισιν ἐμβολαῖς[4])
Sept. 887 sq. δι' ὧν- αἰνομόροις, | δι' ὧν- νεῖκος ἔβα
895 sq. σιδαρόπλη-κτοι μὲν ὧδ' ἔχου-σιν
σιδαρόπλη-κτοι δὲ τοὺς μένου-σι
Ag. 225 sqq. παρθενίου- θ' αἵματος ὀρ-γᾷ περιοργ-γῶς ἐπιθυ-μεῖν
θέμις. εὖ γὰρ εἴ-η

[1]) Cf. El. 483, Trach. 638.
[2]) Cf. Trach. 511.
[3]) Cf. El. 1080, Trach. 895.
[4]) Horum versuum structuram recte perspexit Westphal II², p. 218 sq. ac luce clarius mihi inlustrata videtur horum versuum mensura ⏑́ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — versus 562 structura αἱ δ' ὁμόπτεροι κυανώπιδες ⏑́ ⏑ — ⏑ — ⏑⏑ — ⏑ —, qui versus et ipse aequiperandus est sequentibus; cf. supra p. 148.

Ag. 1155 sq. *ἰὼ γάμοι γάμοι- Πάριδος ὀλέθριοι*
φίλων. ἰὼ Σκαμάν-δρου πάτριον ποτόν
1166 sq. *ἰὼ πόνοι πόνοι-*[1]) *πόλεος ὀλομένας*
τὸ πᾶν. ἰὼ πρόπυρ-γοι θυσίαι πατρὸς
1454 sq. *πολλὰ τλάν-τος γυναι-κὸς διαί·*
πρὸς γυναι-κὸς δ' ἀπέφθισεν βίον
1475 *ὕμνον ὑ-μνεῖν ἐπεύχεται*
1561 sq. *φέρει φέροντ'-, ἐκτίνει δ' ὁ καί-νων*
μίμνει δὲ μί-μνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς
Cho. 404 *ποῖ ποῖ- δὴ- νερτέρων τυραννίδες*
433 sq. *τὸ πᾶν ἀτί-μως ἔλεξας, οἴ-μοι.*
πατρὸς δ' ἀτί-μωσιν ἆρα τί-σει
459 *Ἄρης Ἄρει- ξυμβαλεῖ, Δίκᾳ Δίκα*
Suppl. 533 sqq. *ἄναξ ἀνά-κτων, μακάρων | μακάρτατε καὶ τελέων*
τελειότατον κράτος, ὄλβιε- Ζεῦ
Pers. 574 sqq. _ _ _ *στένε καὶ δακνά-ζου, | βαρὺ δ' ἀμβόασον οὐ-*
ράνι' ἄχη, ὀᾶ,
τεῖνε δὲ δυσβάν-κτον | βοᾶ-τιν τάλαιναν αὐδάν[2])
Sept. 721 sq. *ἐπειδὰν αὐ-τοκτόνως | αὐτοδάι-κτοι θάνωσι*
725 sq. *τίς ἂν καθαρ-μοὺς πόροι,*
τίς ἄν σφε λού-σειεν; ὦ πόνοι δόμων
900 sq. *προπέμ-πει δαϊ-κτὴρ γόος αὐ-τόστονος, αὐτοπή-μων*
Ag. 203 *κακόσχολοι-, νηστίδες, δύσορ-μοι, | βροτῶν ἄλαι*
398 sq. *ἄκος δὲ παμμάταιον. οὐκ ἐκρύ-φθη,*
πρέπει δέ, φῶς αἰνολαμ-πές, σίνος
432 sqq. *παραλ-λά-ξασα διὰ χερῶν*
βέβακεν ὄψις οὐ μεθύστερον
πτεροῖς ὀπα-δοῦσ' ὕπνου κελεύ-θοις
1532 sqq. *ἀμηχανῶ- φροντίδος στερη-θεὶς*
εὐπαλάμων μερι-μνᾶν
ὅπα τράπω-μαι, πίτνοντος οἴ-κου[3])

---

[1]) Repetita secundo loco vox tone insuper effertur; comparari cum his quodam modo possunt huius modi repetitiones, ubi eadem vox priore loco thesis, altero arsis vice fungitur, quo facto multo efficacior est repetitio (*πάθος ποιοῦσιν οἱ διπλασιασμοί.* Apsin. p. 406), cf. Hor. Epod. 4, 20. 5, 53. 7, 1. Schiller, Graf Eberhard der Greiner: ‚Ihr — i h r dort aussen in der Welt', Wilhelm Tell: ‚Blind also? wirklich b l i n d und ganz g e b l e n d e t?'

[2]) ‚Totum carmen elegiae flebilis indolem imitatur, adeoque dolori ac tristitiae immoratur, ut in eodem sensu multis modis exprimendo versetur', Schuetz.

[3]) ‚Die Häufung bezeichnend für die gänzliche Rathlosigkeit', Schneidewin-Hense.

Cho. 50 ἀνήλιοι, βροτοστυγεῖς | δνόφοι καλύ-πτουσι δόμους
54 δι' ὤ-των φρενός τε | δαμίας περαῖνον
469 sqq. δώμασιν ἔμμοτον | τῶνδ' ἄκος, οὐδ' ἀπ' ἄλ-λων
ἔκτοθεν, ἀλλ' ἀπ' αὐ-τῶν [1])
δι' ὠ-μὰν ἔριν αἱματη-ράν. | θεῶν κατὰ γᾶν ὅδ' ὕ-μνος

Eum. 553 sq. ἑκὼν δ' ἀνάγ-κας ἄτερ | δίκαιος ὢν- οὐκ ἄνολβος ἔ-σται

Suppl. 95 sqq. πίπτει δ' ἀσφαλὲς οὐδ' ἐπὶ νώ-τῳ, κορυφᾷ Διὸς εἰ
κρανθῇ πρᾶγμα τέλει-ον
377 sqq. κρατύ-νεις- βωμόν, ἑστίαν χθονός,
μονο-ψή-φοισι νεύμασιν σέθεν,
μονο-σκή-πτροισι δ' ἐν θρόνοις χρέος
πᾶν ἐπικραί-νεις· ἄγος φυλάσ-σου [2])
713 sq. τίοιεν ἐγ-χωρίους πατρῴ-αις
δαφνηφόροισι βουθύτοισι τι-μαῖς

Prom. 550 sq. ἀλλά μοι τόδ' ἐμμένοι | καὶ μήποτ' ἐκτακεί-η
914 sq. πρῶτος ἐν γνώμᾳ τόδ' ἐβάστασε καὶ- γλώσ-
σᾳ διεμυθολόγη-σεν.

Soph.

Ai. 912 sq. κατημέλησα. πᾷ- πᾷ
κεῖται ὁ δυστράπελος δυσώνυμος Αἴ-ας
1205 sqq. ἐρώ-των δ' ἐρώ-των ἀπέπαυσεν, ὤ-
μοι κεῖμαι δ' ἀμέρι-μνος οὕ-τως ἀεὶ πυκιναῖς δρόσοις
1215 sq. δαίμονι. τίς- μοι, τίς ἔτ' οὖν | τέρψις ἐπέ-σται

El. 1084 νώνυμος, ὦ- παῖ- παῖ
1407 ἤκουσ' ἀνή-κουστα δύ-στανος, ὥστε φρῖ-ξαι

O. R. 175 ἄλλον δ' ἂν ἄλ-λῳ προσίδοις ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν
184 sq. ἀ-χὰν παραβώμιον ἄλλοθεν ἄλ-λαι
λυγρῶν πόνων ἱκετῆρες ἐπιστενάχου-σιν
1189 sq. τίς- γὰρ τίς ἀνὴρ πλέον ⏗ — ⏖ –́ ⏑ —
τᾶς εὐδαιμονίας φέρει [3]) –́ — — ⏖ –́ ⏑ —

Trach. 503 sqq. ἀλλ' ἐπὶ τάνδ' ἄρ' ἄκοι-τιν
τίνες ἀμφίγυοι κατέβαν πρὸ γάμων,
τίνες- πάμ-πληκτα παγκόνιτά τ' ἐξ-
ῆλθον ἄεθλ' ἀγώ-νων

Ant. 787 sq. καί σ' οὔτ' ἀθανάτων- φύξιμος οὐ-δεὶς

---

[1]) Membra opposita arsi ternaria efferuntur.

[2]) ‚Aram regis, tu tuo ipsius nutu sceptrumque solus gerens.'

[3]) Cf. H. Schmidt II 130 sq.; ceterum cf. de ultimi huius strophae versus mensura supra p. 146.

Ant. 789 sq. *οὔϑ'- ἀμερίων ἐπ' ἀν-ϑρώ-πων· ὁ δ' ἔχων μέμηνεν*[1])
815 sq. *πώ μέ τις ὕμνος | ὕ-μνησεν, ἀλλ' Ἀχέροντι νυμ-φεύσω*[2])
847 *οἵα φίλων ἄκλαυτος, οἵ-οις νόμοις*
O. C. 119 sq. *ποῦ κυρεῖ ἐκτόπιος συϑεὶς ὁ πάν-των*
ὁ πάν-των ἀκορέστατος
{ 123 sq. *πλανά-τας | πλανά-τας τις ὁ πρέσβυς, οὐδ'*
{ 155 sq. *περᾷς- γὰρ | περᾷς·- ἀλλ' ἵνα τῷδ' ἐν ἀ-*
φϑέγκτῳ μὴ προπέσῃς νάπει
1079 *τελεῖ τελεῖ- Ζεύς τι κατ' ἆμαρ*
1453 *ὁρᾷ ὁρᾷ- ταῦτ' ἀεὶ χρόνος*
1691 sq. *τάλαιναν ὡς ἔμοιγ' ὁ μέλ-λων βίος οὐ βιω-τός*
Trach. 210 *ὁμοῦ δὲ παι-ᾶνα παιᾶν'*
Phil. 701 sqq. *εἷρπε γὰρ ἄλλοτ' ἄλ-λᾳ τότ' ἂν εἰ-λυόμενος,*
παῖς ἄτερ ὡς φίλας τιϑή-νας, ὅϑεν εὐμάρει' ὑπάρ-
χοι πόρου
Ant. 595 *πήματα φϑιτῶν ἐπὶ πήμασι πί-πτοντ'*[3])
Ai. 226 *τὰν ὁ μέγας μῦϑος ἀέ-ξει*
622 sq. *ἦ που παλαι-ᾷ μὲν ἔντροφος ἁμέρᾳ,*
λευκᾷ δὲ γή-ρα μάτηρ νιν ὅταν νοσοῦντα
El. { 164 sq. *ὅν γ' ἐγὼ ἀκάματα προσμένουσ' ἄτε-κνος*
τάλαιν' ἀνύμ-φευτος αἰὲν οἰ-χνῶ
{ 185 sq. *ἀλλ' ἐμὲ μὲν ὁ πολὺς ἀπολέλοιπεν ἤ-δη*
βίοτος ἀνέλ-πιστος οὐδ' ἔτ' ἀρ-κῶ
175 *Ζεύς, ὃς ἐφορᾷ- πάντα καὶ κρατύ-νει*
213 *φράζου μὴ πόρσω φω-νεῖν*
1060 sq. *κηδομένους ἀφ' ὧν τε βλά-στωσιν ἀφ' ὧν τ' ὄνασιν εὕ-*
ρωσι, τάδ' οὐκ ἐπ' ἴσας τελοῦμεν

---

[1]) Bene haec interpretatus est Brambach, Metr. Stud., p. 169: ‚Und vom Göttergeschlecht fliehet dir Níemánd | Níemand von den Sterblichen', qui paullo post haec dicit: ‚In der Ggstr. (v. 797 sq.

νύμφας τῶν μεγάλων πάρεδρος ἐν ἀρ-χαῖς
ϑεσ-μῶν· ἄμαχος γὰρ ἐμ-παί-ζει ϑεὸς Ἀφροδίτα)

... passte die Hinweisung auf die erhabenen Satzungen zu den gewichtig gehaltenen Tönen.'

[2]) Ultima vocis *ὕμνος* (— ⏑) syllaba versusque antistrophici *δείραδας· ἅ με* — ⏖ — ⏑ | *δαί- μων ὁμοιοτάταν κατευ-νάζει* breviter servata refutat hanc mensuram: — ⏖ ⏗ — | — — ⏑ — ⏖ — ⏑ ⏗ ⏗ — (Bellermann, Gleditsch). talis vero mensura: — ⏖ — ⏑ | — — ⏑ — ⏖ — ⏑ ⏗ ⏗ — contra rhythmi leges esset, quippe ea probata versus acatalectus versusque ab anacrusi incipiens vicini essent (cf. p. 185). restat igitur unice vera mensura supra notata — ⏖ — ⏑ | ⏗ — ⏑ — ⏖ — ⏑ ⏗ — —; cf. Brambach, Metr. Stud., p. 174.

[3]) Cf. Brambach, Metr. Stud., p. 161.

El.	1263	*ἐπεί σε νῦν ἀφρά-στως ἀέλ-πτως τ' ἐσεῖ-δον*
	1276 sq.	*μή μ' ἀποστερή-σῃς*
		τῶν σῶν προσώπων ἡδονὰν μεθέ-σθαι
O. R.	153	*Θήβας; ἐκτέταμαι φοβερὰν φρένα, δείματι πάλ-λων*
O. C.	121 sq.	*λεύσατ' αὐτόν, προσδέρκου, | προσπεύ-θου- πανταχῇ*
	130 sqq.	*καὶ παραμειβόμεσθ' ἀδέρ-κτως, | ἀφώ-νως, ἀλόγως τὸ τᾶς*
		εὐφάμου στόμα φροντίδος
		ἱέν-τες, τὰ δὲ νῦν τιν' ἥ-κειν
	517 sq.	*τό τοι πολὺ καὶ μηδαμὰ λῆγον*
		χρή-ζω, ξεῖν', ὀρθὸν ἄκουσμ' ἀκοῦ-σαι
	527 sqq.	*ΧΟ. ἦ ματρόθεν, ὡς ἀκού-ω, | δυσώνυμα λέκτρ' ἐπλή-σω;*
		ΟΙ. ὤμοι, θάνατος μὲν τάδ' ἀκούειν,
		ὦ- ξεῖν'· αὗται δὲ δύ' ἐξ ἐμοῦ- μὲν
	703	*σημαίνων ἁλιώ-σει χερὶ πέρ-σας*
	1084	*ἐω-ρή-σασα τοὐμὸν ὄμ-μα*
	1465	*δεῖμ' ὑπῆλθε κρα-τὸς φόβαν*
Ant.	134 sqq.	*ἀντιτύπᾳ δ' ἐπὶ γᾷ πέσε τανταλω-θεὶς*
		πυρφόρος, ὃς τότε μαινομένᾳ ξὺν ὁρ-μᾷ
		βακ-χεύ-ων ἐπέπνει | ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων
Trach.	827	*καὶ τάδ' ὀρ-θῶς ἔμπεδα κατουρίζει*
Phil.	183	*κεῖται μοῦνος ἀπ' ἄλ-λων.*

Notiones oppositas tone elatas reperias his locis:

Ai.	613 sqq.	*ὃν ἐξεπέμ-ψω πρὶν δή ποτε θουρίῳ*
		κρατοῦντ' ἐν Ἄ-ρει· νῦν δ' αὖ φρενὸς οἰοβώ-
		τας φίλοις μέγα πένθος ηὕ-ρη-ται
	640 sq.	*οὐκέτι συντρόφοις | ὀργαῖς ἔμπεδος, ἀλλ' ἐκτὸς ὁμι-λεῖ*
El.	1420 sq.	*παλίρρυτον γὰρ αἷμ' ὑπεξαιροῦσι τῶν*
		κτανόν-των- οἱ πάλαι θανόν-τες
O. C.	169	*φώνει· πρόσθεν δ' ἀπερύ-κου*
Trach.	513 sqq.	*παῖς Διός· οἳ τότ' ἀολ-λεῖς*
		ἴσαν ἐς μέσον ἱέμενοι λεχέων·
		μόνα- δ' εὔ-λεκτρος ἐν μέσῳ Κύπρις
		ῥαβδονόμει ξυνοῦ-σα [1])
	521 sqq.	*ἦν δὲ μετώ-πων ὀλόεντα*
		πλήγματα καὶ στόνος ἀμ-φοῖν.
		ἁ- δ' εὐ-ῶπις ἁβρὰ | τη-λαυ-γεῖ παρ' ὄχθῳ
		ἧστο τὸν ὅν- προσμένουσ' ἀκοί-ταν
	859 sq.	*ἁ δ' ἀμφίπολος- Κύπρις ἄναυ-δος φανερὰ*
		τῶνδ' ἐφάνη- πρά-κτωρ

[1]) Cf. quae adnotata sunt ad h. l. in Schneidewini et Nauckii editione.

Phil. 1116 sqq. πότμος πότμος σε δαιμόνων τάδ', οὐδὲ σέ γε δόλος
ἔσχ' ὑπὸ χειρὸς ἐμᾶς. στυγερὰν ἔχε
δύσποτμον ἀρὰν ἐπ' ἄλ-λοις
182 sq. πάντων ἄμμορος ἐν βίῳ | κεῖται μοῦνος ἀπ' ἄλ-λων.

Neque vero in eis, quae iam sequuntur, exemplis quisquam consensum logici et rhythmici accentus negabit. velim animum advertas ad haec epitheta significantia in arsi trisema conlocata:

Aesch.

Sept. 878 διαν-ταί-αν λέγεις δόμοισι καὶ[1])
Cho. { 638 διαν-ταίαν ὀξυπευκὲς οὐ-τᾷ
644 προχαλ-κεύει δ' Αἶσα φασγανουρ-γός
Eum. 335 sqq. τοῦτο γὰρ λάχος διαν-ταί-α
Μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν
θνα-τῶν- τοῖσιν αὐ-τουργίαις[2])
Sept. 319 βαρεί-ας- τοι τύχας προταρ-βῶ
751 sq. τέλει-αι- γὰρ παλαιφάτων ἀρᾶν | βαρεῖ-αι καταλλαγαί
724 μελαμ-παγὲς αἷμα φοίνιον
738 sq ὅστε ματρὸς ἁ-γνὰν | σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη
Suppl. 147=157 σπέρμα σε-μνᾶς μέγα ματρὸς
661 Ζηνὸς ἵκτορας ἁ-γνοῦ
Sept. 936 sq. τελευ-ταῖ-αι δ' ἐπηλάλα-ξαν
ἀραὶ τὸν ὀ-ξὺν νόμον, τετραμμένου[3])
Suppl. 102 sqq. ἰά-πτει- δ' ἐλπίδων
ἀφ' ὑψιπύρ-γων πανώ-λεις βροτούς
571 sqq. μαινομένα πόνοις ἀτί-μοις ὀδύναις τε κεντροδα-
λήτισι θυιὰς Ἥ-ρας
649 sq. αἰδοῦνται δ' ἱκέτας Διός, | ποίμναν τάνδ' ἀμέγαρ-τον
691 δακρυόγονον Ἄρη | βοάν- τ' ἔν-δημον ἐξοπλί-ζων[4])
704 sq. ἁγνῶν τ' ἐκ στομάτων φερέ-σθω φῆμα φιλοφόρ-μιγξ
802 sq. ἢ λισσὰς αἰγίλιψ ἀπρόσ-δεικτος οἰόφρων κρεμὰς
Pers. 138 sq. Περσίδες- δ' ἀκροπεν-θεῖς ἑκά-στα πόθῳ φιλάνορι
585 sq. δυρόμενοι γέρον-τες[5])

---

[1]) Recte schol. πληγὴν λέγεις διαμπὰξ γενομένην, καὶ ἐπὶ τῶν σωμάτων καὶ ἐπὶ τῶν οἴκων. ἄμφω γὰρ ἔχει κακῶς.

[2]) 335 ἡ διαμπὰξ τιμωρουμένη schol.; θνατῶν cum emphasi dicitur, cf. Schmidt II 246.

[3]) ‚Postremo vero dirae acutissimum clamorem sustulerunt.'

[4]) ‚Neque pestilentia incidat, lacrimosum Martem et populares clamores excitans.' est gradatio tone efficacissime aucta.

[5]) ‚Γέροντες cum emphasi; nempe parentes, iique senes lamentantur. tristitiam enim augebat, quod senes filiis, senectutis solacio et praesidio, privarentur'. Schuetz.

Pers. 598sqq. αἱμαχθεῖσα δ' ἄρου-ρα | Αἴαντος περικλύ-στα
νᾶσος ἔχει τὰ Περ-σᾶν[1])

Sept. 892 sq. διαλ-λα-κτῆρι δ' οὐκ | ἀμεμ-φεί-α φίλοις

Ag. 189sqq. στά-ζει- δ' ἔν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας
μνησιπή-μων πόνος
καὶ παρ' ἄ-κοντας ἦλθε σωφρονεῖν.
δαιμόνων δὲ ποῦ χάρις βιαί-ως
σέλμα σεμνὸν ἡμένων;

197sqq. ἐμ-παί-οις τύχαισι συμπνέων
εὖτ' ἀπλοί-ᾳ κεναγ-
γεῖ βαρύ-νοντ' Ἀχαιικὸς λεὼς.
Χαλκίδος πέραν ἔχων παλιρ-ρό-
χθοις ἐν Αὐλίδος τόποις[2])

231 τὸ παντότολ-μον φρονεῖν μετέ-γνω[3])

234sqq. ἔτλα- δ' οὖν θυτὴρ γενέ-σθαι θυγατρός, γυναικοποί-
νων πολέμων ἀρω-γὰν | καὶ προτέλεια να-ῶν

243sqq. πέπλοισι περιπετῆ- παντὶ θυ-μῷ | προνω-πῆ λαβεῖν ἀέρ-
δην, στόματός τε καλλιπρῴ-ρου φυλακὰν κατα-σχεῖν
φθόγγον ἀραῖον οἴ-κοις[4])

445 sq. ὁ χρυσαμοι-βὸς δ' Ἄρης- σωμάτων
καὶ ταλαν-τοῦχος ἐν μάχῃ δορὸς

463 sq. βαρεῖα δ' ἀ-στῶν φάτις- σὺν κότῳ·
δημοκράν-του δ' ἀρᾶς τίνει χρέος

477 sq. κρίνω δ' ἄφθονον ὄλ-βον· | μήτ' εἴην πτολιπόρ-θης

702sqq. Ἰλίῳ δὲ κῆδος[5]) ὀρ-θώνυμον τελεσσίφρων
μῆνις ἤλασεν, τραπέ-ζας ἀτί-μωσιν ὑστέρῳ χρόνῳ
καὶ ξυνεστίου Διὸς | πρασσομένα τὸ νυμφότι-
μον μέλος ἐκφάτως τίον-τας[6])

Cho. 39 sq. μέμφεσθαι τοὺς γᾶς | νέρθεν περιθύ-μως

344sqq. εἰ γὰρ ὑπ' Ἰλίῳ | πρός τινος Λυκίων, πάτερ,
δορί-τμη-τος κατηναρί-σθης[7])

---

[1]) Totum carmen hac gravissima clauditur sententia: ,et iam in agro sanguine imbuto, Aiacis insula mari circumdata, sitae sunt Persarum fortunae.'

[2]) Hoc sane loco Aeschylus grandiloquentiae cum arte rhythmica coniunctae principem se praestat; cf. Schmidt IV 596.

[3]) ,Rem inauditam mente moliri ausus est' (ut Iphigeniam sacrificaret). vide, quam ponderosis verbis sacrificandi consilium et sacrificatio ipsa describatur magnificentissime.

[4]) Hoc loco grandissimo mirifica arte retardatur rhythmus, arsesque inter se pugnant, tamquam chorus infanda inauditaque suo ore pronuntiare non audeat.

[5]) τὸ κῆδος σημαίνει καὶ τὴν ἐπιγαμβρίαν καὶ τὸ πένθος schol.

[6]) Cf. quae in comm. de h. l. exposuit Hense.

[7]) Nemo non rhythmi vim cum sententiarum pondere accrescere intellegit.

Cho. 430 sqq. ἄνευ πολι-τᾶν ἄνακτ'-, | ἄνευ δὲ πεν-θημάτων[1])
ἔτλης ἀνοί-μωκτον ἄνδρα θά-ψαι
453 πρέπει δ' ἀκάμ-πτῳ μένει καθή-κειν
592 sqq. ἀλλ' ὑπέρ-τολμον ἀν-δρὸς φρόνημα τίς λέγοι
καὶ γυναι-κῶν φρεσὶν τλημόνων[2])
Eum. 333 sq. δέσμιος φρενῶν, ἀφόρ-μικτος, αὐονὰ βροτοῖς
= 346 sq. 556 τὸν ἀντίτολ-μον δὲ φαμὶ παρβάταν

Prom. 441 μόνον- δή- πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις[3])
Pers. 1019 τί δ' οὐκ ὄλω-λεν, μέγ' ἄλαστε, Περ-σᾶν;
1026 ἐσπανίσμεθ' ἀρω-γῶν
1031 πέπλον δ' ἐπέρ-ρηξ' ἐπὶ συμφορᾷ κακοῦ
Sept. 343 τί ἐκ- τῶνδ'- εἰκάσαι λόγος πάρα;[4])
Cho. 337 τί τῶνδ'- εὖ-, τί δ' ἄτερ κακῶν;
636 τί τῶνδ'- οὐκ- ἐνδίκως ἀγεί-ρω;
Sept. 119 προσί-σταν-ται πάλῳ λαχόν-τες
201 ἵν' ὑπερέχοιεν ἀλ-κάν
734 θνᾴσκοντα γέν-νας ἄτερ σῴζειν πόλιν[5])
905 τοῖνδε δυοῖν ἀνά-κτοιν
Suppl. 110 sq. ἰδέ-σθω- δ' εἰς ὕβριν | βρότειον, οἷ-α νεά-ζει πυθμὴν
556 sq. ἰά-πτει- δ' Ἀσίδος δι' αἶ-ας
μηλοβότου Φρυγίας διαμ-πάξ
580 sqq. καὶ τότε δὴ τίς ἦν ὁ θέλ-ξας πολύπλαγκτον ἀθλίαν
οἰστροδόνητον Ἰ-ώ;
603 sq. ὑπ' ἀρ-χᾶς- δ' οὔτινος θοά-ζων
τὸ μεῖ-ον- κρεισσόνων κρατύ-νει
715 sqq. τὸ γὰρ τεκόν-των σέβας | τρίτον τόδ' ἐν- θεσμίοις
Δίκας γέγρα-πται μεγιστοτί-μου[6])
829 sqq. σὸν δ' ἐπίπαν ζυγὸν | ταλάν-του. τί δ' ἄνευ σέθεν
θνα-τοῖσι τέλειόν ἐστιν;
Ag. 131 sq. χρόνῳ μὲν ἀ-γρεῖ | Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος
{ 175 sqq. πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν | ἀπὸ φροντίδος ἄ-χθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως
183 sqq. Ζῆνα δέ τις προφρόνως | ἐπινίκια κλά-ζων
τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν }

---

[1]) Antithesim optime significant, quae inter se conliduntur, arses.

[2]) ‚Multa quidem terra nutrit (v. strophae v. 582 sqq.); at quis enarret hominum immanem audaciam?'

[3]) ‚Unum tantum alium deum ferreis laboribus domitum vidi.'

[4]) ‚Ex his igitur quidnam de nobis conicere possumus?'

[5]) ‚Si sine liberis moreretur Laius, urbem servatum iri.'

[6]) Schol. πρῶτον θεούς, δεύτερον νόμους, τρίτον δὲ τόδε, τὸ τοὺς γονεῖς τιμᾶν.

Ag. 194 sq. καὶ τόθ' ἡγεμὼν ὁ πρέ-σβυς νεῶν Ἀχαιικῶν

215 sq. ἄναξ δ' ὁ πρέ-σβυς τόδ' εἶπε φω-νῶν
βαρεῖα μὲν- κὴρ τὸ μὴ πιθέ-σθαι[1]

228 ἐπεὶ δ' ἀνάγ-κας ἔδυ λέπα-δνον

250 sq. ἔβαλλ' ἕκα-στον θυτή-ρων ἀπ' ὄμματος βέλει

260 τέχναι δὲ Κάλ-χαντος οὐκ ἄκραν-τοι

263 sq. τὸ μέλ-λον δ' | ἐπεὶ γένοιτ'- ἂν κλύοις· προχαιρέτω

383 ὅσοις ἀθί-κτων χάρις

389 sqq. ὑπὲρ τὸ βέλ-τιστον. ἔ-στω δ' ἀπή-μαντον ὥστ' ἀπαρ-κεῖν
εὖ πραπίδων λαχόν-τα[2]

413 λιποῦσα δ' ἀ-στοῖσιν ἀ-σπίστορας[3]

437 sqq. τὸ πᾶν δ' ἀφ' Ἑλλάδος αἴ-ας συνορμένοις
πένθεια τλησικάρδιος | δόμων ἑκά-στου πρέπει

472 sqq. τιθεῖσ' ἀμαυρόν, ἐν δ' αἰ-στοις τελέθοντος οὔτις ἀλ-κά· τὸ δ' ὑπερκόπως κλύειν | εὖ βαρύ· βάλλεται γὰρ ὄσ-σοις Διόθεν κεραυ-νός

749 sq. παλαίφατος- δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος
τέτυ-κται, μέγαν τελε-σθέντα φωτὸς ὄλ-βον

767 δίκα δὲ λάμ-πει μὲν ἐν- δυσκάπνοις- δώμασιν

1563 παθεῖν τὸν ἔρ-ξαντα· θέσμιον- γάρ

Cho. 409 sq. πέπαλ-ται- δ' αὖτέ μοι φίλον κέαρ
τόνδε κλύουσαν οἶ-κτον

438 ἐμασχαλί-σθη δέ γ', ὡς τόδ' εἰ-δῇς

601 sqq. ἴ-στω- δ' ὅστις οὐχ ὑπόπτερος | φροντίσιν- δα-είς,[4]
τὰν- ἁ- παιδολύ-μας τάλαινα Θεστιὰς- μήσατο

611 sqq. ἄλ-λαν- δή τιν' ἐν λόγοις στυγεῖν | φοινίαν- Σκύλ-λαν
ἅτ'- ἐ-χθρῶν ὑπαὶ
φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον- Κρητικοῖς | χρυσοκμή-τοισιν ὅρ-μοις πιθή-σασα δώ-ροισι Μίνω
Νῖσον ἀθανάτας τριχὸς | νοσφίσασ' ἀπροβού-λως

Cho. 621 sqq. ἐπεὶ δ' ἐπε-μνησάμην ἀμειλίχων
πόνων, ἀκαί-ρως δὲ δυσφιλὲς γαμή-
λευμ' ἀπεύχετον δόμοις
γυναικοβού-λους τε μητίδας φρενῶν
ἐπ' ἀνδρὶ τευ-χεσφόρῳ | ἐπ' ἀνδρὶ δῄ-οις- ἐπικότῳ σέβας

---

[1] 'Gravis quidem calamitas non parere!'

[2] Cf. Hense in comm.

[3] Neminem fugit allitteratio arsi ternaria aucta.

[4] De huius et sequentium versuum charactere vide, quae egregie disputavit Heimsoeth, Wiederherst., p. 311 sq.; cf. praeterea Schmidt IV 596.

	629	*κακῶν δὲ πρε-σβεύεται τὸ Λήμνιον*[1])
	641 sq.	*τὸ πᾶν Διὸς | σέβας παρεκ-βάντες οὐ θεμι-στῶς*
	790 sq.	*ἴσθι δ' ἀν-δρὸς φίλου- πῶλον εὖ-νιν ζυγέντ' ἐν ἅρματι*
Eum.	918 sq.	*οὐδ' ἀτιμάσω πόλιν| τὰν- καὶ- Ζεὺς ὁ παγκρατὴς Ἄρης τε*
	941 sq.	*φλο-γμός- τ' ὀμματοστερὴς φυτῶν τὸ*
		μὴ περᾶν ὅρον τόπων.[2])
		Soph.
Ai.	951	*ἄγαν ὑπερ-βριθὲς ἄχθος ἤνυσαν*
	1198	*κεῖνος ἀνήρ, ὃς στυγερῶν ἔδειξεν ὅπλων | . .*
		κεῖ-νος γὰρ ἔπερσεν ἀν-θρώ-πους | ἢ κεῖνος
El.	155	*πρὸς ὅ τι σὺ τῶν- ἔνδον εἶ περισ-σά*
	159 sqq.	*κρυπτᾷ τ' ἀχέων ἐν ἥ-βᾳ | ὄλ-βιος, ὃν ἁ- κλεινὰ*
		γᾶ- ποτε Μυκη-ναίων
		δέξεται εὐπατρίδαν, Διὸς εὔφρονι
		βή-ματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν
	180 sqq.	*οὔ-τε γὰρ ὁ τὰν- Κρῖσαν | βού-νομον ἔχων- ἀκτὰν*
		παῖς Ἀγαμεμνονίδας ἀπερίτροπος
		οὔθ'- ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων
	200	*ἦν ὁ ταῦτα πράσ-σων*
	207	*αἳ τὸν ἐμὸν εἵ-λον βίον*[3])
	212	*τοιάδ' ἀνύσαντες ἔρ-γα*
	475 sq.	*εἶσιν ἁ πρόμαν-τις*
		Δίκα, δίκαια φερομένα χεροῖν κράτη[4])
	482 sq.	*οὐ γάρ ποτ' ἀμναστεῖ γ' ὁ φύσας Ἑλ-λά-νων ἄναξ,*
		οὐδ' ἁ παλαιὰ χαλκόπλακτος ἀμ-φά-κης γένυς
	499 sqq	*. . ἤ τοι μαν-τεῖ-αι βροτῶν*
		οὐκ εἰσὶν ἐν δεινοῖς ὀνείροις οὐδ'- ἐν- θεσφάτοις,
		εἰ μὴ τόδε φάσμα νυκτὸς εὖ κατα-σχήσει
	492 sq.	*ἄλεκτρ' ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαιφόνων*
		γάμων ἁμιλ-λήμαθ' οἷσιν οὐ θέμις
El.	869 sq.	*κέκευθεν, οὔτε του τάφου ἀντιάσας*
		οὔτε γόων παρ' ἡ-μῶν[5])
O. R.	169	*. . νοσεῖ δέ μοι πρόπας | στόλος οὐδ' ἔνι φροντίδος ἔγ-χος*
	186	*παιὰν δὲ λάμ-πει στονόεσσά τε γῆρυς ὅμαυλος*

---

1) ,Maxime omnium celebratur Lemnium malum.'

2) Cf. Schmidt ad hunc locum.

3) Cf. Heimsoeth, Wiederherst., p. 310.

4) Cf. Wolff-Bellermann in comm.

5) ,Neque particeps factus est querellarum a **n o b i s**, quas maxime eum deplorare decet.'

O. R. 188 εὐῶπα πέμψον ἀλ-κάν
651 sq. τὸν οὔτε πρὶν- νήπιον- νῦν τ' ἐν ὅρ-κῳ μέγαν καταίδεσαι
668 προσά-ψει- τοῖς πάλαι τὰ πρὸς- σφῷν
681 sq. δόκησις ἀ-γνὼς λόγων
ἦλθε, δά-πτει δὲ καὶ τὸ μὴ 'νδικον
1201 sqq. χώρᾳ πύργος ἀνέ-στα· | ἐξ οὗ καὶ βασιλεὺς καλεῖ
ἀμὸς καὶ τὰ μέγιστ' ἐτι-μάθης, ταῖς μεγάλαισιν ἐν
Θή-βαις ἀνάσ-σων
1212 σῖγ' ἐδυνά-σθησαν ἐς τοσόν-δε
O. C. 152 sq. ἀλλ' οὐ μὰν- ἔν γ' ἐμοὶ | προσθή-σεις- τάσδ' ἀράς
533 ματρὸς κοινᾶς ἀπέβλαστον ὠ-δῖ-νος[1])
708 ματροπόλει- τᾷδε κράτι-στον
716 sq. ἁ δ' εὐήρετμος ἔκ-παγλ' ἁλία | χερσὶ παραπτομένα πλάτα
1213 sq. ζώειν, σκαιοσύναν φυλάσ-σων ἐν ἐμοὶ κατάδηλος ἔσται
1224 sq. μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι-κᾷ λόγον· τὸ δ', ἐπεὶ φανῇ
1231 sq. τίς πλάγχθη πολύμοχθος ἔ-ξω; τίς οὐ καμάτων ἔνι
1239 sqq. ἐν ᾧ- τλά-μων ὅδ', οὐκ ἐγὼ μόνος,
πάντοθεν βόρειος ὥς τις ἀ-κτὰ
κυματοπλὴξ- χειμερία κλονεῖ-ται,
ὣς καὶ τόνδε κατ' ἄ-κρας
Ant. 100 ἀκτὶς ἀελίου, τὸ κάλ-λιστον ἑπταπύλῳ φανὲν
332 sq. πολλὰ τὰ δεινὰ κοὐδὲν ἀν-θρώπου δεινότερον πέλει
370 sq. ὑψίπολις ἄπολις ὅτῳ τὸ μὴ καλὸν
ξύνεστι τόλ-μας χάριν
590 sqq. κυλίν-δει- βυσσόθεν κελαι-νὰν | θῖνα καὶ δυσάνεμον,
στόνῳ βρέμουσι δ' ἀντιπλῆγες ἀ-κταί
601 sqq. κατ' αὖ- νιν- φοινία θεῶν- τῶν | νερτέρων ἀμᾷ κοπὶς
λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν ἐρι-νύς
620 sq. σοφίᾳ γὰρ ἔκ- του- | κλεινὸν ἔπος πέφαν-ται
795 sq. νικᾷ δ' ἐναρ-γὴς βλεφάρων- ἵμερος εὐ-λέ-κτρου[2])
825 sq. Ταντάλου Σιπύλῳ πρὸς ἄ-κρῳ, τὰν κισσὸς ὡς ἀτενὴς
Trach. 208 sq. ἴτω- κλαγ-γὰ τὸν εὐφαρέ-τραν | Ἀπόλ-λω- προστάταν
223 sq. τάδ' ἀντίπρῳρα δή- σοι | βλέπειν πάρεστ' ἐναρ-γῆ
Phil. 205 sq. βάλλει βάλλει μ' ἐτύμα φθογγά | του στίβον κατ' ἀνάγ-καν
ἕρποντος[3]), οὐδέ με λά-θει

---

[1]) Tardissimus et proinde tanto gravior ad aures venit versus voce ὠδῖνος eximia arte extenta, cf. Dionys. de comp. verb. c. 15.

[2]) ,Vicit autem splendidus oculorum nitor formosae sponsae'. Dind.

[3]) ,Verus ad me accidit sonitus cuiuspiam gravi laboriosoque incessu ingredientis' Herm.

ant. v. 215 που πταίων ὑπ' ἀνάγ-κας
684 ὃς οὔτ'- ἔρ-ξας[2]) τιν' οὔτε νοσφίσας.

His exemplis, quae indubitatam mihi habere videntur vim, propositis, ne quid omittam, reticendum non est extare quaedam satis pauca, ubi arsis trisema in vocabula cadit, quae destituta notionis pondere ne e prosodiaca quidem ratione prolixiora videntur, ita ut tone syllabis una positione longis excipiatur. iam brevissimum talium locorum dabo indicem.

ε. duabus subsequentibus consonis:

Aesch. Pers. 1024 (?), Sept. 408 (?), 932, Suppl. 41, 566, 589, 648, 671, 693, Ag. 409, 423, 448, 490, 738, Cho. 315, 335, 359, 411, 627. Soph. Ai. 247, 712, O. R. 463, 678, O. C. 187, 512, 714, 1217 sq., Ant. 611, 785, 808, Phil. 1135, 1159.

ο. Aesch. Pers. 652, 1037, Suppl. 679, Ag. 257, 424, Eum. 1018. Soph. Ai. 699, O. R. 196, 875, 1197, Ant. 126, 342, 369, Phil. 136, 710, 726, 728.

α. Aesch. Pers. 560, 590, 596, 597, Sept. 324, 443, 675, Suppl. 567, 692, Ag. 141, 181, 268, 400, 463, 486, 719, 720, 723, 1411, Cho. 417, Eum. 159. Soph. O. R. 877, 1214, O. C. 161, 236, 696, 699, 1049, Ant. 138, 792, Trach. 512, 832, Phil. 1125.

ι. Aesch. Pers. 129, 593, Sept. 681, Suppl. 646, 710, Ag. 118, 218. Soph. Ai. 361, El. 234, O. C. 674, 1064, Trach. 139, 220.

υ. Aesch. Sept. 745, 820, 884. Soph. Phil. 698.

Item arses porrectas in voculis quibusdam accentu logico prorsus destitutis veluti particulis reperias Ant. 150 *ἐκ- μὲν- δὴ πολέμων,* O. C. 1072 *καὶ- τὸν- πόντιον γαιάοχον,* El. 144 *τί μοι- τῶν- δυσφόρων ἐφί-ει,* qui versus antistrophici sunt, cum in eisdem stropharum sedibus graviora deprehendas vocabula. de horum atque talium exemplorum usu recte dixit C. Bernhardi (l. c. p. 9) aliquid silentii necessario intercessisse inter id genus particulas et sequentis vocabuli pronuntiationem atque hoc quamvis parvulo spatio tones gravitatem paullum imminutam esse.

Quid igitur consecuti sumus iam emenso itinere satis longinquo? demonstrasse nobis videmur, ut optimus quisque poeta numerorum verborumque ordines admirabili artificio exaequandos curaverit, ita Aeschylum et Sophoclem in arsibus trisemis adhibendis non uni inexorabili necessitati sese adstrinxisse, sed quantum potuissent, operam dedisse, ut et re prosodiaca pleniora et sententiarum pondere insigniora vocabula maiore vocis contentione premerentur.

---

[1]) ,ἔρξας gravissimo sensu positum idem est quod ἔρξας κακόν τι' Dind.

INDEX.

I.

Aesch.*)

*) In versibus Aeschyleis numerandis Wecklinii editionem (Berol. 1885) secutus sum. ceterum exceptis eis locis, quos asterisco signavi, hoc indice exempla continentur, ubi arsis trisema trisemo pedi antistrophica ratione opposita est.

				pag.
Cho.	66 sqq.	=	71 sqq.	158
	316	=	333	152
	381	=	395	152
	427 sq.	=	448 sq.	157 sq.
	626	=	634	152
	781	=	792	152 sq.
	796 sq.	=	808 sq.	153
	821 sq.	=	835 sq.	153
Eum.	*173	=	178	182
	350	=	363	174
	353	=	366	153
	373	=	383	153 sq.
	495	=	504	154 sq.
	514 sq.	=	523 sq.	158
	529	=	541	145
	532	=	544	158
	538 sq.	=	550 sq.	154
	959	=	979	171

Soph.

Ai.	364	=	379	169
	369	=	384	159
	*397	=	414	182
	403	=	420	167
	698	=	711	174
	705	=	718	174
	879	=	925	170
	901 sq.	=	947 sq.	167
	905	=	951	159
	911	=	957	169
	1190	=	1196	160
El.	123	=	139	159
	154	=	174	167
	159	=	179	175
	1058 sq.	=	1070 sq.	180 sq.
	1063	=	1075	167 sq.
	1069	=	1081	181
	1082 sq.	=	1090 sq.	168
	1088	=	1095	161
	*1232 sq.	=	1253 sq.	183
	1239	=	1260	161
	1244	=	1265	170
	1400	=	1424	161
O. R.	178	=	188	174
	202	=	215	175
	*483—497	=	498—512	179
	657	=	686	161 sq.
	665 sqq.	=	694 sqq.	162
	867	=	877	162
	1089	=	1100	162
	1195	=	1203	146
	1205	=	1214	163
	1207	=	1216	160
	1209	=	1219	168
	*1313	=	1321	182
	1315	=	1323	170
O. C.	121	=	153	168
O. C.	*214 sq.			179
	535	=	542	163
	680	=	693	175
	699	=	712	174
	702	=	715	159 sq.
	843	=	886	183
	1058	=	1073	171
	1074	=	1085	163
	1078	=	1089	160
	1454 sq.	=	1469 sq.	183 sq.
	1677	=	1704	163 sq.
	1695 sq.	=	1722 sq.	164
	1724 sq.	=	1738 sq.	168 sq.
	1733	=	1746	160 sq.
	1735 sq.	=	1749 sq.	164
Ant.	105	=	122	164
	139	=	152	174
	586 sqq.	=	598 sqq.	164 sq.
	787	=	797	146 sq.
	*815 sq.	=	832 sq.	224 a.
	970	=	981	147
	975	=	986	165
	1123	=	1134	165
	1137 sqq.	=	1146 sqq.	165
Trach.	98 sq.	=	107 sq.	166
	499	=	508	174
	956	=	965	169
	959	=	968	161
Phil.	203	=	212	169
	209	=	218	166
	*400	=	516	183
	682	=	697	174
	686	=	701	160
	1082	=	1103	169
	1094	=	1115	166
	1100	=	1122	169
	1137	=	1161	166

II.

III.

De M. Tullii Ciceronis poetarum Latinorum studiis

SCRIPSIT

IOSEPHUS KUBIK.

Quicumque Ciceronis libros perlegerit, intelleget eum multis versibus hinc illinc e poetarum carminibus petitis scripta sua distinxisse et tamquam luminibus ornasse, id quod praecipue cadit in quaestiones de philosophia atque arte oratoria, quarum si quis unum alterumve librum obiter tantum inspexerit, non poterit id non animadvertere. est enim his, quos dixi, libris tanta versuum copia, quasi coronae flosculi undique decerpti, inserta, ut in oculos fere incurrant. Ciceronem igitur eandem videmus secutum esse rationem, quam C. Iulium Caesarem (Strabonem) oratori facit commendantem de or. II 64, 257: 'saepe . . . versus facete interponitur, vel ut est, vel paullulum immutatus, aut aliqua pars versus.'[1]) neque vero versus tantum in scriptis Ciceronianis inveniuntur, sed etiam plurima de poetarum ingeniis iudicia, ex quibus adparet eum multum operae navasse eorum carminibus legendis. ac de Graecis quidem eorumque poetis quid senserit Cicero, saepius viri docti sunt perscrutati. primus quidem hanc quaestionem movit P. O. van der Chys libro, cui inscripsit: 'Quaeritur, ut ex operibus Ciceronis non tantum omnia illa loca seligantur, quibus ipse quascunque ob causas aut aeque aut inique de Graecis iudicasse censendus sit, verum etiam ut illa iudicii sive aequitas sive iniquitas argumentorum rationibus probetur', Gandavi 1826; deinde V. Clavel eandem tractavit rem in disputatione, quae Parisiis prodiit a. 1868, 'De M. Tullio Cicerone, Graecorum interprete.' accedit Edm. Langii libellus, qui nuper totam hanc quaestionem diligentissime retractavit: 'Quid cum de ingenio et litteris, tum de poetis Graecorum Cicero senserit' Halis Sax. 1880. neque hoc loco praetermittere velim Deuerlingii librum 'Cicero's Bedeutung für die römische Literatur' Aug. Vindel. 1866 et Funkhaenelii disputatiunculam, quam publici iuris fecit in Z. f. A. W. 1849, n. 13, 'Bemerkungen über das Verhalten

---

[1]) Cf. quae hac de re dicit Quint. I 8, 11: 'nam praecipue quidem apud Ciceronem . . . . et ceteros, qui sunt proximi, videmus Ennii, Accii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii et aliorum inseri versus summa non eruditionis modo gratia, sed etiam iucunditatis, cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent. quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententiis eorum velut quibusdam testimoniis, quae proposuere, confirment'.

der Römer, namentlich Cicero's und Horaz' der griechischen Bildung gegenüber', quippe quae aliquid valeant ad illustrandam eam rationem, qua de Graecis iudicavit Cicero. sed de eiusdem Latinorum poetarum studiis nemo adhuc, quantum ego scio, accuratius egit, quamquam hic illic non pauca disputata sunt de studiis, quae Cicero impendit in unum alterumve poetarum seu veterum seu aequalium.[1]) quae cum ita sint, hanc eruditionis Ciceronianae partem, quae pertinet ad poetarum Latinorum studium et existimationem, pervestigare mihi proposui. nam, cum hoc ad Ciceronis et vitam moresque et studia genusque scribendi accuratius pernoscenda non levis momenti esse videatur, operae pretium fore censeo omnia, quae ille fecit de poetis Latinis, iudicia colligere et quo modo in scripta sua ingerere solitus sit delibatos tamquam ex poesis fontibus rivulos examinare. quibus absolutis non difficile erit ad diiudicandum, quantum studii re vera Cicero adhibuerit in carminibus lectitandis.

Sed antequam ad rem ipsam adgrediar, paucis mihi liceat exponere, quid Cicero in universum senserit de poesi poetisque.[2]) atque eum adulescentem in primis ea de causa poetis pernoscendis studuisse, ut verborum copiam augeret atque orationem suam excoleret, verba illa de oratorum studiis prodere videntur, quae ipse tribuit Crasso de or. I 34, 158: 'legendi etiam poetae . . . . omnium bonarum artium doctores atque scriptores legendi et pervolutandi et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi.' hunc enim poetarum legendorum morem Cicero se accepisse ait a Graecis (cf. Tusc. II 11, 26), quem morem eo magis secutus est, quod cognationem quandam intercedere inter poetas et oratores sibi persuaserat (de or. III 7, 27; I 16, 70). et quantum his studiis deberet, ipse aperte confessus est pro Arch. 6, 16: 'atque hoc (i. e. poetarum studium) eo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas....' quae cum ita sint, Ciceronem adulescentem carminibus legendis operam dedisse statuendum est, magis ut inserviret studiis oratoriis, quam quod vera imbueretur poesis admiratione. neque alia de causa Arati *Φαινόμενα* quae inscribuntur et *Προγνωστικά* in linguam

---

[1]) Hoc opusculo iam absoluto G. Hartelii, magistri dilectissimi, benignitate mecum communicata est E. Schollmeyeri dissertatio: 'Quid Cicero de poetis Romanorum iudicaverit', Halis Sax. 1884. quam dissertationem mihi non prius innotuisse haud aegre tuli: etenim quem Sch. per priores duodecim paginas praebet locorum conspectum, quibus Cicero citavit poetas, eundem invenies maxima ex parte sub singulis nominibus in Onomastico Tulliano. cetera autem, quae Sch. conspectui illi per sedecim paginas insequentes adiunxit, admodum ieiuna sunt et quae vix altiorem legentibus adferant Ciceronis studiorum cognitionem.

[2]) Cf. Drumann, Gesch. Roms V. p. 220, VI. p. 682 sq.

Latinam convertit, quod argumentum eum sibi sumpsisse tractandum non mirabimur, cum Arati carmina maximi tum aestimarentur non solum propter doctrinam sermonisque elegantiam, sed etiam propter vitae usum, quia ex eis rerum, quae ad astra pertinent, scientia petebatur. atque exercitationis causa Cicero ipsam poeticen attigisse videtur et adulescens carmina scripsisse, velut Pontium Glaucum (Plut. Cic. 2), Alcyonas, Uxorium, Nilum (Iul. Cap. Gord. 3, 2). neque tamen negandum est eum carminibus ipsis quodam modo delectatum studio haud mediocri poetis se dedisse. cuius rei duas adferre possumus causas: primum quod Cicero etiam aetate provectior carminibus conscribendis operam dedit (cf. Drumann l. c. VI. p. 683) et, quamquam eum 'Melpomene nascentem placido lumine' non vidit eiusque carmina adversariis satis copiosam praebebant materiem, ut eum carperent atque deluderent (cf. Quint. XI 1, 24; Iuv. 10, 124; Mart. II 89, 3), tamen ex eis studium et amor quidam potest perspici, quo amplexus est Cicero poeticen. deinde adeo erat versatus in poetarum carminibus, ut eum haud parvam ex illis hausisse delectationem facile agnoscas. praeterea magnam illam vim, quae his inest studiis, Cicero numquam neglexit. quamquam enim Tusc. II 11, 26 — nimirum ut philosophus et homo Romanus, cui res graviores, in primis publicae magis cordi esse debebant quam lusus poeticus[1] — in poetas invehitur, quod animos molliant atque effeminent, tamen, quantum illi adferrent mortalibus boni, probe perspexerat. namque eodem loco dulces esse poetas dicit adeo, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur et hanc esse ex sua sententia eruditionem liberalem et doctrinam. neque plane omittendus mihi esse videtur locus ille praeclarus vel pueris notissimus pro Arch. 7, 16, cui quamquam non ita multum tribuendum est, quia haec dicta sunt in oratione pro poeta habita eoque Cicero sine dubio iudices commovere atque in sententiam suam perducere voluit, tamen concedes haec ita pronuntiata esse, ut quae laudes debeantur poesi Ciceronem egregie cognovisse intellegatur. non erat profecto in Tullio caelestis illa ingenii vis, qua quasi deo agitante calescunt poetae, non pura illa pulchri cognitio et admiratio, non ea doctrina, unde manat subtile et politum de poematis iudicium,[2] tamen inerat in eo aestimatio

[1]) Eodem modo accipiendum est quod Cicero dicit Brut. 1, 3: 'etenim si in leviorum artium studio memoriae proditum est poetas nobiles poetarum aequalium morte doluisse, quo tandem animo eius interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius quam omnino adversarium non habere?' adparet Ciceronem poesim inter leviores artes rettulisse non quasi eam minoris faceret, sed quod pluris profecto erat homini Romano forensis opera; cf. Brut. 18, 70; de or. I 2, 6; 49, 212; Cato 14, 50.

[2]) Cf. H. Schenkl, De Cicerone poeta in 'Jahresbericht des Vereines Mittelschule', Vindob. 1886.

poesis atque amor, quibus ductus ad carmina diligenter legenda impellebatur. atque haec studia nullo tempore eum intermisisse, sed ut adulescentem, ita senem etiam eis plurimam impendisse operam inde perspicitur, quod libris, quos aetate provectus composuit et rei publicae et domesticae calamitatibus oppressus, maximus insertus est versuum numerus.[1]) etenim in disputationibus Tusculanis, quae sunt a. 710/44 absolutae et editae, vel in libris de natura deorum, vel de divinatione, qui ad idem redeunt tempus, maior invenitur in singulis versuum numerus (in Tusc. vv. 325, in libb. de nat. deor. vv. 180, de div. vv. 281) quam in universis scriptis rhetoricis (vv. 174). sane quidem negandum non est primum haec fecisse Ciceronem exemplo philosophorum Graecorum ductum, qui eiusmodi flosculis orationem variare atque exornare consueverant, deinde materiem ipsam, quam sibi in his libris tractandam proposuit, hic illic aptiorem fuisse ad inserendos e poetarum carminibus locos, id quod praecipue in libris de divinatione potest perspici. verum Ciceronis poetarum studia eo tempore re vera summa fuisse, id mihi magnum videtur esse documentum, quod eis quos de philosophia tum composuit libris permultos inmiscuit versus e Graeco conversos, quod in libros annis antecedentibus conscriptos editosque haud ita cadit. adde magnam et scriptorum et carminum varietatem, qua libri illi tamquam floribus hortuli sunt distincti: iam tibi persuadebis, quanto studio Cicero tum incubuerit in poetas legendos.[2]) epistulas vero et orationes

[1]) Hoc loco non alienum mihi videtur esse versuum adponere conspectum, quos singulis Cicero inmiscuit libris ad artem oratoriam et philosophiam spectantibus: *De inv.* (a. 670/84): l. I. vv. 28, l. II. v. 0; *De or.* (a. 699/55.): l. I. vv. 4 + l. II. vv. 25 + l. III. vv. 59 = vv. 88; *Brut.* (init. a. 708/46): vv. 9; *Orat.* (a. 708/46): vv. 38; *Top.* (a. 710/44): vv. 5; *De opt. gen. or.* (a. 710/44): vv. 3. — *De legg.* (a. 702/52 — a. 708/46): l. I. vv. 2 + l. II. v. 1 (+ v. 1 e Graeco conv.) = vv. 4; *De fin.* (a. 709/45): l. I. vv. 9 + l. II. vv. 24 (+ v. 1 e Gr. conv.) + l. IV. vv. 2 + l. V. vv. 6 (+ vv. 9 e Gr. c.) = vv. 41 (+ vv. 10) = vv. 51; *Acad.* (a. 709/45): l. I. v. 1 + l. II. vv. 16 (+ vv. 2) = vv. 17 (+ vv. 2); *Tusc. disp.* (ab a. 709/45 — a. 710/44): l. I. vv. 47 (+ vv. 14) + l. II. vv. 48 (+ vv. 74) + l. III. vv. 48 (+ vv. 35) + l. IV. vv. 46 (+ vv. 3) + l. V. vv. 6 (+ vv. 4) = vv. 195 (+ vv. 130) = 325; *De nat. deor.* (a. 710/44): l. I. vv. 14 + l. II. vv. 23 (+ vv. 96) + l. III. vv. 47 = vv. 84 (+ vv. 96) = vv. 180; *Cato M.* (init. a. 710/44): vv. 25; *De div.* (a. 710/44): l. I. vv. 203 (+ vv. 24) + l. II. vv. 21 (+ vv. 33) = vv. 224 (+ vv. 57) = vv. 281; *De fato* (a. 710/44): vv. 6; *Lael.* (a. 710/44): vv. 8; *De off.* (a. 710/44): l. I. vv. 24 + l. II. vv. 2 + l. III. vv. 12 (+ vv. 3) = vv. 38 (+ vv. 3) = vv. 41.

[2]) Unum proponam exemplum ex Tuscul. petitum, ubi hos poetas haecque carmina invenimus citatos: Naevii Hect. Prof., Ennii Annal., Achill. (?), Alcum., Androm., Eumen. (?), Iphig., Med. ex., Tel., Thyest.; Pacuvii Arm. Iud. (?), Ilion., Med. (?), Niptra, Teuc.; Accii Atr., Eurys. (?), Meleag. (?), Nyctegr. (?), Philoct.; Caec. Statii Synarist. (?), Synepheb.; Trabeam; Terentii Eunuch., Haut. Tim., Phorm.; Turpilii Leucad.; Afranium; Lucilii Satt.; Homeri Il.; Solonis, Simonidis Epigr.; Epicharmum;

in hac quaestione sciens prudensque omisi, quia ad Ciceronis studia illustranda minoris videntur esse momenti. quamquam enim constat Ciceronem plerasque orationes perpolitas et pertractatas in lucem emisisse, tamen argumentum rarissime eius modi erat, ut versus possent inmisceri. tum Cicero in orationibus suis minime adfectabat nimiae doctrinae speciem; quam ob rem, si poetae citantur, leguntur quasi dubitantis verba 'ut opinor, nisi fallor' alia. in epistulis autem maior versuum adhibitorum pars ex poetis Graecis est petita atque eis inserta litteris, quae ad Atticum sunt datae, tamquam Cicero hac re gratificare voluerit amico et poetarum Graecorum admiratori et in Graecia degenti. ceterum magna ex parte sic versibus illis utitur Cicero, ut facete lepideque in suum eos usum convertat (veluti in epistt. ad Trebatium datis ad fam. VII 6 sqq.), quam ob rem parcius eos invenimus ingestos illis epistulis, quae ab a. 708/46 — a. 710/44 scriptae sunt, cum Ciceronem tum malis et domesticis et publicis oppressum iocandi materies, ut ita dicam, plane defecerit.

Sed iam, quos praecipue Cicero adamaverit poetas Latinos, circumspiciamus. qua de re in universum tantum hic disputare in animo est, singula suo loco commemorabuntur. ac primo oculorum obtutu colligitur Ciceronem poetas aequales minus respexisse quam eos, qui priscis temporibus floruerunt, vel potius omnino neglexisse. in his autem in primis sunt illi, quos 'cantores Euphorionis' contemptim vocat Tusc. III 19, 45 tamquam, ut Baehrentis utar verbis[1]), 'serviles imitatores nimis eruditorum et prae doctrina saepe obscurorum, in verbis metrisque mollium et iusto exquisitiorum Alexandrinorum, idque respectu Ennii, masculo robore et sana simplicitate eminentis.' atque compluribus locis Cicero cantores illos Euphorionis irridet castigatque non minus propter sermonis quasdam proprietates quam artis metricae. quamquam et alia erat causa, cur eos ludibrio haberet. offendebatur enim quo haec scripsit tempore eo, quod rebus domesticis omissis potius vanis lusibus indulgere quam res Romanas carminibus celebrare malebant. quam ob rem facere non possum cum Baehrente, qui l. c. p. 20 negat Ciceronem re vera rationem illam poetarum novorum impugnasse, cum ipse more iam recepto horis subsecivis non solum luderet epigrammata amatoria, sed etiam elegiam componere adgrederetur. certe quidem apud Quintilianum (VIII 6, 73) et Plinium (Epist. VII 4, 3) epigrammata commemorantur Ciceronis ex libro ioculari, de quo mentionem facit Quintilianus l. c., deprompta et Servius ad Verg. Ecl. 1, 58 versum

Aeschyli Prom. sol., Prom. vinct.; Sophoclis Trach., Epig.; Euripidis Cresph., Hypsip. Orest., Phrix., Thes. habes igitur poetas sedecim, carmina autem quadraginta fere tria, quibus in hoc libro ornando usus est Cicero.

[1]) in praef. ad vol. alt. ed. Catulli, p. 10.

adfert e Ciceronis elegia quadam, cuius nomen insanabili corruptela obrutum est. verum ut omittam omnino non constare, quo tempore elegiam illam composuerit Tullius quodque eius argumentum fuerit, certe si quid lusit, quod conferri poterat quodam modo cum poetarum novorum commentis, lusit tamen veteres in hac re imitatus poetas neque lusus illos pro carminibus vendere voluit in aevum omne victuris. itaque eum a poetarum novorum ratione plane alienum fuisse illamque occasione data diligenter impugnasse crediderim, quod ex ipso locorum tenore, de quibus postea accuratius mihi dicendum erit, colligi posse videtur. accedebat simultatis cuiusdam stimulus, quae inter Ciceronem atque quosdam ex eis intercedebat, qui in poesi Alexandrinorum presserant vestigia. neque enim dubium est, quin ad fastidium illud, quod Cicero usquequaque prae se fert adversus poetas novos, id plurimum valuerit, quod eius modi poetae, qui forensibus quoque negotiis operam dabant, veluti C. Licinius Calvus, prorsus aliam in ea re sequebantur atque Cicero rationem: puri enim haberi volebant Attici. neque malignitatem eorum effugit Tullius satis impugnatus et lacessitus.[1]) qua de causa nihil mirum, si Cicero, cum ab Atticis premeretur, acerbitate quadam in novos illos poetas et oratores invectus est. contra eximio amore eum priscis poetis operam navasse videbimus, ad quos ubique provocat legentes, velut et nos magna cum voluptate ad lucida illa poetarum sidera, quos dicimus 'klassische Dichter' et in scaena redire solemus et in studiis privatis.[2]) sed haec hactenus.

Iam vero non superfluum videtur esse, ut accuratius Ciceronis poesis Romanae perspiciantur studia, de eis, quibus usus esse videtur, fontibus pluribus disserere. quamquam enim nemini ignotum est Ciceronem in universum a labore intento et severiore in una re ponendo fontibusque cum diligentia perscrutandis abhorruisse, tamen eum ad poetarum dignitatem recte iudicandam libros, quos praesto habebat, saepius inspexisse, vel inde potest conici, quod ipse de poetis eorumque facultatibus carmen composuit morem illum secutus, quo viri docti etiam in rebus ad litteras pertinentibus nonnumquam usi sunt oratione poetica, veluti Porcius Licinius et Accius. quo ex carmine, cui 'Limonis' — latine dicas 'Prati' — nomen erat inpo-

---

[1]) Cf. Quint. XII 10, 12; St. v. Repta 'Cicero's Kampf mit den zeitgenöss. Rednern', Suczawa 1872, p. 37 sqq.

[2]) Cf. quae de priscorum poetarum praestantia profert Quint. I 8, 8 sqq. 'multum autem veteres etiam Latini conferunt . . . . . in primis copiam verborum, quorum in tragoediis gravitas, in comoediis elegantia et quidam velut ἀττικισμός inveniri potest. oeconomia quoque in his diligentior quam in plerisque novorum erit, qui omnium operum solam virtutem sententias putaverunt.' qua re qui erat in Tullio poetarum recentium contemptus aut defenditur aut certe excusatur.

situm, nonnullos de Terentio versiculos ex Suetonii libro de poetis servavit Donatus. neque magis quicquam est dolendum, quam quod hoc deperiit carmen, cum firmam nobis praeberet ansam, qua Ciceronis poetarum studia ad amussim examinare nobis liceret. sed ad rem ipsam accedendum est. ac primum omnium satis constat grammaticae et antiquitatum studium Cratem Mallotem, Aristarchi aequalem, Romam intulisse, cum inter secundum ac tertium bellum Punicum ab Attalo rege legatus Romam missus esset (cf. Suet. de gramm. 1 sqq.). exinde autem haec studia in dies crescere et latius dispergi videmus adeo, ut ne clarissimi quidem abstinuerint, quominus et ipsi aliquid de arte grammatica scriberent, atque temporibus quibusdam super viginti celebres scholae fuisse in urbe tradantur (Suet. l. c. 3). itaque Ciceronis aetate neque paucos neque tenues fuisse illos fontes putandum est, ex quibus antiquitatis studioso licebat haurire. iam vero, ut eos praetermittam viros doctos, qui vel ad res gestas conscribendas se converterunt vel ad iuris legumque cognitionem propagandam, statim ad eos placet accedere, qui de litterarum Latinarum studiis praeclare meruerunt.

In quibus principem sine dubio locum obtinet L. Aelius Praeconinus,[1]) cuius curae magna ex parte spectabant ad antiquum sermonem Latinum explicandum atque illorum temporum carmina interpretanda. veluti Saliorum quae dicuntur axamenta interpretatus est legesque duodecim tabularum neque exiguam operam Plauti comoediis dedit enarrandis, quem adeo miratus esse dicitur, ut 'Musas Plautino sermone locuturas fuisse dixerit, si Latine loqui vellent'. hunc igitur virum litteratissimum Cicero audivit adulescens, id quod ipse testatur Brut. 56, 207. quam ob rem omnibus fere locis, ubi Aelium commemorat, diserte magistri sui persequitur merita (Brut. 56, 205). ac tanto opere antiquitatis studiosus ille et erat et habebatur, ut Cicero antiquitatis studia Aeliana appellarit de or. I 43, 193 et post illius mortem haec studia plane iacuisse Varronem fecerit dicentem Ac. I 2, 8. at idem Aelius eloquentiae non multum curae tribuit; nam ipse orator nusquam extitit, sed aliis orationes scriptitavit (Brut. 56, 207; cf. 46, 169). huc etiam illud pertinet, quod Cicero ut orator has Aelii orationes dicit leves oratiunculas Brut. 57, 207. quamquam igitur dubium esse non potest, quin Cicero de Aelii studiis probe edoctus fuerit (duodecim tabularum interpretationem ab eo confectam commemorat de legg. II 23, 59; Top. 2, 9), tamen haud scio an illius scripta ad poetas quidem spectantia non diligentius perlegerit, cum nusquam, ubi priscos poetas Latinos vel eorum carmina attigit, illius faciat mentionem.

---

[1]) Cf. Suet. de ill. gramm. c. 3, Varro apud Gell. N. A. I 18, 2; X 21, 2 et I. A. C. Van Heusde 'Disquisitio de L. Aelio Stilone', Traiecti ad Rhenum 1839.

Iam qui fuit Aelii gener, Servius Claudius grammaticus (Suet. de gramm. 3), peritissimus videtur fuisse priscae linguae proprietatum (Cic. ad fam. VIIII 16, 4). qui cum propter interceptum soceri librum nondum editum urbe egressus et peregre mortuus esset, omnes eius libros Graece Latineque scriptos, quos in Graecia reliquerat, L. Papirius Paetus, qui illius frater fuisse dicitur, Ciceroni donavit. quos libros Cicero quanti fecerit, ex epistulis duabus ad Atticum datis (I 20, 7; II 1, 12) elucet, quibus ei in Graecia moranti curam illorum verbis commendat gravissimis; nam et Graecis et Latinis eius libris sibi vehementer opus esse.

Ex viris doctis autem, qui sunt antecedentium temporum, Cicero uno loco (de fin. I 2, 5) Porcium Licinium commemorat, qui carmen composuerat quoddam de poetis, ex quo longius de Terentio fragmentum extat apud Suetonium, vita Ter. c. 2 sq., p. 27, 9 R. (cf. Ritschl, Mus. Rhen. II 648 sq.: Op. III 225 sqq.). quamquam pro certo haberi non potest, num Cicero Licinium ipsum inspexerit. potuit enim sua ex Varronis libro de poetis haurire, quem etiam Suetonius et Gellius, qui eundem citat Licinium, usurpasse videtur (cf. Ritschelii Parergon p. 244. 622. 637). deinde Q. Valerium Soranum, qui antiquitatum erat studiosissimus (Varro L. L. VII 65, X 70), Cicero de or. III 11, 43 dicit litteratissimum omnium togatorum, neque tamen certius quicquam ullo loco de eius studiis vel scriptis profert. itemque alios, qui eodem tempore vigebant, silentio praeteriit, veluti Terentium Libonem et Volcaçium Sedigitum. contra Accii poetae vel Didascalicis vel Pragmaticon libris, qui erant de litteris Graecis Latinisque[1], usus esse videtur: certe Brut. 18, 72 Accium erroris, quem in temporum quorundam ratione commiserit, coarguit. quatenus autem re vera Cicero hoc alterove grammatico usus sit, difficile est ad disceptandum, quia praeter pauca excerpta scripta illorum deperierunt ita, ut ex sola similitudine, si qua forte detegatur inter Ciceronis et illorum iudicia, concludi possit, quod ad hanc rem diiudicandam aliquid valeat.

Sed etsi Cicero non ita diligenter pervolvit libros antiquiores, certe ipsius aetas viros tulerat clarissimos, a quibus litterarum studia ad summum usque fastigium sunt perducta. quorum praestantissimus, M. Terentius Varro, Ciceronis erat amicus atque familiaris, quocum iam communi, qui eis erat, magistro Aelio Stilone erat coniunctus (Brut. 56, 205). unde etiam factum est, ut eorum studia ex parte ad easdem res pertinerent et Cicero Ac. I 1 iure dicere posset Varronem sibi et studiis isdem et vetustate amicitiae esse coniunctum.

---

[1]) Cf. Madvig 'De L. Attii didascalicis comment.', Op. I 87 sqq., G. Hermann 'De L. Attii libris Didascalicon', Op. VIII 390 sqq.

neque illo tempore, cum Ciceronis inimici summa vi enitebantur, ut in exilium mitteretur, Varro deerat amici sui temporibus (cf. ad Att. II 20, 1; II 21, 6; II 22, 4). quamquam quod Cicero ab eo expectaverat, praestitisse non videtur. at quod ille de Terentio scribit ad Att. II 25, 1, certe facere non possumus, quin acerbius habeamus quam aequius, etsi excusationis aliquid habeat in magna illa, qua tum erat Cicero, animi perturbatione. neque enim dubitandum est, quin Varro, cum Cicero exularet, causam susceperit amici (cf. ad Att. III 15, 1, ibid. 3; III 18, 1), quam ob rem Atticus gratias illi agere Ciceronem iubet ad Att. III 8, 3. Atticus enim, ut in ceteris quoque sic in ea re quasi interpretis munere fungebatur eoque illi tamquam artiore inter se coniungebantur amicitiae vinculo. is igitur, cum Cicero ei nuntiasset sibi in animo esse libros de re publica conscribere, ut Varronem induceret loquentem, rogavit, quod Cicero per totius dialogi argumentum se facere posse negavit ad Att. IIII 16, 2. postea autem Attico auctore (ad Att. XIII 21, 4; XIII 18; 23, 2; 13, 1; 25, 3), cum Varronem ad id tempus nusquam libris suis dialogi more conscriptis potuisset intexere, librum ad eum mittere in animum induxit. atque cum Varro 'magnam ei et gravem *προσφώνησιν*' (ad. Att. XIII 12, 3) denuntiasset, neque tamen biennio intermisso quod pollicitus erat, praestitisset, Cicero Attico urgente quattuor de Academia libros confecit, quos num ad Varronem mittat, etiam atque etiam interrogat: ad Att. XIII 14, 3; 19, 5; XIII 18; 23, 2; 35, 2, cum ille sit *δεινὸς ἀνήρ. τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο* (XIII 25, 3). quibus libris tamen missis epistulam adiunxit (ad fam. VIIII 8), qua ilocaliter admonet Varronem promissi. in libris autem illis de academia amplissimas tribuit Varroni laudes, quibus luculentissime illustrantur quae ille sibi in quovis litterarum genere paravit merita (Ac. I 9). Varronem autem postea ad Ciceronem misisse de lingua Latina libros V. usque ad XXV. nemo ignorat. ex his autem, quae dixi, satis adparet, quanta illi usi sint familiaritate (cf. ad fam. VIIII 8, 1).

Atque quoniam Varro pro mirabili qua erat ingenii fecunditate permultos de poetis, in primis de scaenicis[1]) libros conscripserat, fieri non potuit, quin hac ex parte illius scripta Ciceroni maximum praeberent studiorum adiumentum. quid igitur mirum, si Cicero ad Atticum IIII 14, 1 haec scribit: 'velim domum ad te scribas ut mihi tui libri pateant non secus ac si ipse adesses, cum ceteri, tum Varronis. est enim mihi utendum quibusdam rebus ex his libris.' quodsi uno tantum loco (Brut. 15, 60) Varronis ita facit mentionem, ut de illius auctoritate videatur dubitare, id prorsus nihil valet. namque eum saepius ex perenni doctrinae Varronianae

---

[1]) Cf. Gell. N. A. I 24, 3; III 3, 9; XVII 21, 43; Ritschl, Op. III p. 451 sqq.

fonte hausisse cum per se veri simile est, tum hic illic certo potest concludi.

Sequitur, ut dicam de T. Pomponio Attico. nam is quoque permultum contulit ad Ciceronis studia excitanda, id quod Cicero ipse profitetur Brut. 3, 13; 4, 15. significat autem his locis Attici librum annalem, quo is 'omnem rerum memoriam breviter et . . . . perdiligenter complexus est' (Brut. 3, 14), eamque non solum rerum insignium, quae ad rem publicam pertinebant, sed etiam quae spectabant ad litteras[1]). quem librum saepius Cicero ita commemorat, ut dicat et ad temporum rationes bene perspiciendas multum se inde percepisse (cf. Or. 34, 120; Brut. 18, 72; 4, 15; 11, 44) et ipsum studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi inflammatum esse (Brut. 19, 74). quamquam hoc vicissim factum esse ex Brut. 5, 19 adparet. nam Atticus ipse Ciceronis de re publica libris se commotum esse ait ad opusculum illud conscribendum. videtur autem Pomponius summa cum diligentia et fide librum suum scripsisse.[2]) itaque plane consentaneum erat Ciceronem haud raro amicum suum consuluisse, ut tempora quaedam certis describere posset finibus. sic ad Att. XII 5, 3; 20, 2; 23, 2; XIII 6, 4; 30, 3; 32, 3 eum rogat, ut quaestiones aliquot historicas sibi expediat, et Brut. 11, 44 se posthac cautius historiam attingere velle illo audiente promittit. sed haec sufficiant ad illustrandum illam necessitudinem, qua inter se coniuncti erant Cicero et Atticus. ex qua ille uberrimos ad studia sua alenda atque sublevanda percipiebat fructus, praesertim cum Attici bybliotheca omnia ei certe suppeditaret auxilia ad quascumque quaestiones persequendas et enodandas.

Neque vero hinc discedam, quin paucis attingam P. Nigidium Figulum, hominem iuxta Varronem doctissimum[3]), qui etsi non tam litterarum studio se dederat, quam rebus paulo subtilioribus investigandis, quae ad artem grammaticam, ad deorum cultum, denique ad physicam, mathematicam, astronomicam pertinebant (cf. Cic. Tim. 1), tamen ut vir doctissimus scriptis suis multum contulit ad studia litterarum exercenda. atque hic cum Cicerone intima coniunctus erat amicitia (Plut. Cic. 20). aderat enim Nigidius Tullio in opprimenda Catilinae coniuratione, cf. pro Sulla 14, 42; ad fam. IIII 13, 2. quam ob rem semper Ciceroni maxime gratus

---

[1]) Cf. Corn. Nep. vita Att. 18; F. Schneider 'De annali T. Pomponii Attici' Z. f. A. W. 1839, n. 5.

[2]) Cf. illam de Coriolano controversiam, quae erat inter Atticum et Ciceronem Brut. 10, 42 sqq., Schneider l. c. p. 37, Berns 'Ueber Cicero's Ansicht von der Geschichte', Attendorn 1880, p. 15.

[3]) Cf. Gell. IIII 9, 1; M. Hertz 'De P. Nigidii Figuli studiis atque operibus', Berol. 1845.

erat atque acceptus (ad Quint. fr. I 2, 16). denique in epistula consolatoria, quam dedit a. 708/46 ad illum exulantem (ad fam. IIII 13), conqueritur, quod 'P. Nigidio, uni omnium doctissimo et sanctissimo et maxima quondam gratia et sibi certe amicissimo' nullam auxilii spem possit ostendere.[1]) sed ut iam ad finem perveniamus, florebat Ciceronis tempore urbs omnium disciplinarum studiis, ita ut, si quis cum viris doctissimis amicitia erat coniunctus, ex hoc ipso usu maximum haberet incitamentum ad artes liberales litterasque colendas. quod eo magis cadit in Ciceronem, quippe qui a natura ipsa et ingenio singulari praeditus et aemulatione quadam esset imbutus, ut optimum quemque popularium et Graecorum hominum aequaret doctrina.[2])

Iam eis quae opus esse videbantur expositis priusquam ad singulas res examinandas transeo, pauca praemittenda mihi esse videntur de eis, quae Cicero in universum fecit de Romanorum ingenio atque indole, iudiciis. quam rem paucis absolvere mihi liceat, quoniam de eadem uberrime disseruit Lange p. 5 sqq. namque ei praecipue loci in hac quaestione tractanda maximi sunt momenti, quibus Cicero Romanos opposuit Graecis. atque ut in ceteris rebus ita in hac Tullius non semper sibi constat. etenim inveniuntur loci, quibus hominum Graecorum ingenia summis effert laudibus: ad Quint. fr. I 1, 27 sq., de or. I 6, 22, ib. III 15, 57, sed plures, ubi claris verbis Graecos ingenio a Romanis superari contendit: Tusc. I 1, 1, de or. I 4, 15; I 44, 197. huc quoque pertinet, quod in libris de oratore Crassum et Antonium inducit, ut qui summam prudentiam atque incredibilem eloquentiam sint consecuti, quamquam ille litteras Graecas despexit et Romanorum in omni genere prudentiam anteposuit Graecae (de or. II 1, 4), hic ne nosse quidem Graecos videbatur. neque aliter, ubi de utriusque linguae verborum copia agitur, palmam defert linguae Romanae, quae non modo non inops sit, id quod vulgo putetur, sed locupletior etiam quam Graeca: de fin. I 3, 10, III 2, 5; de div. I 1, 1; Tusc. III 4, 7; 10, 23; de or. II 4, 17 sq.; de legg. I 9, 27; ad fam. VIIII 24, 3. duo tantum extant loci, quibus Graecorum linguam copiosiorem esse perhibet quam Latinam: de fin. III 15, 51, et Tusc. II 15, 35, sed posteriore loco ita, ut hanc laudem verbis insequentibus tollere videatur. nam cum Graecos 'dolorem et laborem' uno nomine appellare dixerit, ita pergit: 'o verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia!' maiorem vero tribuit Graecis laudem Brut. 90, 310, ubi se Graece saepius declamitasse profitetur, quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi adtulerit (cf. Crassi verba de or. I 34, 155). omnes igitur eius modi locos

[1]) Cf. I. Klein 'Quaestt. Nigidianae', Bonnae 1861, p. 14 sqq.; 19 sqq.

[2]) Cf. quae Cicero ipse scripsit a. 700/54 ad Quintum fratrem III 5 et 6, 4.

singulatim pluribus examinare atque quam saepe Cicero aut sui ipsius opinione captus aut popularium ductus adulatione in errorem inciderit, inquirere, neque nostrum est et ab Langio hanc rem iam absolutam esse video. neque tamen facere possum, quin pauca addam. quod enim Lange Ciceronem gradatim, ut ita dicam, Graecorum et ingenium et litteras cognovisse et annis paulo provectiorem iustum sibi finxisse de eis iudicium censet, hac in re eum erravisse puto. profectus enim p. 7 ab loco de or. I 4, 15 ('ingenia vero nostrorum . . . hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt') hoc in primis premit libros de oratore a Cicerone conscriptos esse iam a. 699/55. deinde sic pergit: 'facile igitur potest putari eum illo tempore, quo nondum ita diligenter in Graecorum litteris erat versatus, minus quam postea harum virtutem ac dignitatem novisse . . . .' at Cicero in eodem libro (I 6, 22) Graecos ingenio et doctrina dicit abundare, unde perspici potest eum Graecorum ingenia litterasque eo ipso, quo hi libri scripti sunt, tempore satis iam perspecta habuisse neque ita parvi fecisse. quid quod quinque annis ante quam libros de oratore composuit, ad Quintum fratrem dedit litteras, quae Graecorum laudibus redundant. est epistula illa (I 1, 28), qua fratrem, cum iam per duos annos Asiam provinciam pro praetore administrasset eiusque administrationis fama minus secunda videretur, cohortatus est, ut famae suae magis consuleret. nam sortem eius esse haud miserandam, cum non sit praefectus barbaris. tum ita pergit 'cum vero ei generi hominum praesimus, non modo in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putetur humanitas, certe eis eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus. non enim me hoc iam dicere pudebit . . . nos ea, quae consecuti sumus, eis studiis et artibus esse adeptos, quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque tradita.' num igitur Cicero annis demum posterioribus, cum totus litteris se dedit, litterarum Graecarum dignitatem plane perspexit? immo ex eo tempore, quo animi excolendi causa in Graeciam et Asiam minorem erat profectus, certe intellexerat, quanti aestimanda essent Graecorum ingenia atque litterae, idque eo magis, quod iam a puero multum operae et temporis consumpserat in litteris Graecis cognoscendis.[1]) quid igitur erat, cur Cicero, cum iam pridem de litterarum Graecarum virtute ac dignitate certam iniisset atque satis iustam credo sententiam, tamen tot locis Romanos ingenii acumine superiores esse Graecis contenderet? longum est omnes, quae adferri possunt, causas enumerare, sed haec primo loco est respicienda, quod homines Romani, qui iam antiquitus animum magis adverterant ad bella strenue gerenda et rem publicam bene administrandam quam ad litterarum studia,

[1]) Suet. de clar. rhet. 2, Cic. de off. I 1, 2, Brut. 90, 310.

omnem doctrinam eiusque auctores, Graecos, aspernabantur, cum maiorum disciplinam et priscos illos mores ea plane corrumpi putarent (cf. Gell. N. A. XV 11). accedit, quod illis temporibus, quibus Romani plurimarum iam terrarum obtinebant imperia, Graeci tanta erant morum pravitate, ut iure despicerentur, cum ex magnis illis pristinae aetatis Graecis facti essent Graeculi loquaces atque inepti. facile igitur fieri potuit, ut, si quis litteris Graecis maiorem tum dedisset operam, multorum moveret simultatem et odium. atque Ciceronem ipsum ob sua litterarum Graecarum studia irrisum esse Plutarchus (Cic. 5) testatur.[1] itaque cum Cicero invidiam aequalium et irrisionem vitare vellet[2], non est mirandum, si Romanis saepius maiores tribuit laudes quam Graecis. quin etiam hic illic clare sibi profitendum esse putat se prorsus non esse Graecorum studiosum (cf. de fin. I 2, 4 sq., de opt. gen. or. 6, 18). atque inde explicandum est, quod Cicero interdum ut homo togatus Graecis eripere studet quam sibi in hac alterave re pepererant gloriam. denique huc referendum, quod sua opera Romanos Graecis plane carere posse contendit (de div. II 2, 5; Tusc. II 2, 5), quod Atticum facit ad se ipsum dicentem de legg. I 2, 5: 'postulatur a te iam diu vel flagitatur historia; sic enim putant te illam tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus.' quod si tempora illa quae fuerint, respiciemus et quem in civitate Romana locum Graeci tum obtinuerint, fieri non poterit, quin Ciceroni ignoscamus, quod temporibus cedens saepius contra veritatem et fortasse contra suam ipsius sententiam Romanorum ingeniis palmam detulit.

Nunc me convertam ad Ciceronis poetarum singulorum studia explananda, ac primum quidem ad eos, a quibus exordium sumpsit poesis Latina, Livium Andronicum, Cn. Naevium, Q. Ennium. itaque quod hominum ipsa natura fert, ut omnium rerum initia atque primordia concelebrent, id ne a Cicerone quidem alienum fuisse videmus, cum facere non posset, quin saepius ab illis iacta esse litterarum fundamenta commemoraret. neque vero id mirum, quod in hac re paulo curiosiorem se praestitit in temporum rationibus investigandis atque constituendis. velut Brut. 18, 72, ubi exemplis congestis ostendere studet ut in arte rhetorica, sic in ceteris omnibus rebus nihil esse simul inventum et perfectum, multum interesse inter Ennium et Livium Andronicum contendit. tum ita pergit: 'atqui hic Livius

[1]) Cf. Klee 'Qua de causa factum sit, ut Cicero a nonnullis aequalibus suis *Γραικὸς καὶ σχολαστικός* nominaretur' Ostrowo, 1877. qui quamquam paulo fusius totam rem tractavit, tamen vivis coloribus tempora illa, quibus vigebat Cicero, depinxit et difficultates exposuit, quae undique obstiterant Ciceronis studiis (cf. p. 4 sqq., 16 sqq.).

[2]) Cf. Ritschl Op. III, p. 607—701: Rh. M. XI. p. 477—480.

primus fabulam C. Claudio, Caeci filio, et M. Tuditano consulibus docuit, anno ipso antequam natus est Ennius, post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo, ut hic (dicit Atticum) ait quem sequimur. est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Accius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium annis XXX post quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis invenimus; docuisse autem fabulam annis post XI C. Cornelio Q. Minucio consulibus ludis Iuventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat. in quo tantus error Accii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit, cui si aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ei, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naevius.' quem locum integrum exscripsi, quippe quo aptissime demonstretur, quantam Cicero diligentiam adhibuerit ad hanc quaestionem solvendam, cum quos praesto habuit fontibus summa fide eum usum esse videamus.[1] atque idem fere legimus in ipso Tusculanorum initio I 1, 3. exposuerat enim Cicero populares suos, cum melioribus uterentur institutis et legibus, Graecis anteire in temperanda re publica neque minus in re militari administranda; doctrina sane a Graecis eos et omni litterarum genere superatos esse, quod certe non fuisset difficile, quoniam Romani sero demum attigissent litterarum studia. quibus haec adiungit: 'nam cum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poetarum . . . serius poeticam nos accepimus. annis fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium; sero igitur a nostris poetae vel cogniti vel scripti.' neque vero dubium est, quin incunabula illa litterarum Latinarum ab hominibus doctis, qui erant et ante Ciceronem et ipsius aetate, saepe iam diligenter tractata sint et illustrata, ut Cicero habuerit, unde peteret suam doctrinam. veluti de Porcio Licinio apud Gellium haec legimus XVII 21, 45: 'Porcius autem Licinius serius poeticam Romae coepisse dicit in his versibus

Poénico belló secundo Músa pinnató gradu
íntulit se béllicosam in Rómuli gentém feram'.

Ennium autem uno anno post quam Livius primam fabulam egisset, natum esse, id quod Cicero locis illis addendum esse putavit, Varro in primo de poetis libro scripsit (Gell. XVII 21, 43). denique Cicero in libro, qui est de senectute, Catonem, ubi eum demonstrantem facit senectutem minime impedire, quominus homines se dedant litterarum studiis, sic inducit lo-

---

[1]) De illo Accii errore, quem iure notavit Cicero, cf. Pideriti indices, quos Bruto adiunxit, p. 254, de tota Ciceronis ratiocinatione Ritschelii Parergon p. 54 sqq. qui ceteros quoque illius calculos ad aetates definiendas spectantes diligentissime examinavit p. 47 sqq.

quentem (14, 50): 'vidi etiam senem Livium, qui cum sex annis ante quam ego natus sum (i. e. ante a. 520/234) fabulam docuisset Centone Tuditanoque consulibus usque ad adulescentiam meam processit aetate.' in his igitur temporum rationibus stabiliendis rectam videmus Ciceronem aliis ducibus in primis Varrone iniisse viam, ex cuius libris etiam Atticum multa petiisse veri simile est (cf. Ritschelii Parerg. p. 49). neque tamen quod ad Naevii aetatem staduendam spectat apud Ciceronem iudicium, pari modo probabile videtur, quamquam eum non ignorasse alteram de hac re sententiam, Varronis dico, ex eodem loco adparet (Brut. 15, 60), quo haec leguntur: 'his enim consulibus (Cethego et P. Tuditano 550/204), ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus: quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius.' at ex totius loci tenore non minus quam ex eis, quae insequuntur: 'nam Plautus P. Claudio L. Porcio viginti annis post illos, quos ante dixi, consulibus mortuus est Catone censore' (570/184), concludi potest Ciceronem ipsum, quamquam non concedere videtur, tamen dubitavisse, num id quod in veteribus illis commentariis scriptum invenit, verum esset, quando quidem verbis illis 'nam Plautus . . . censore' causam adtulit, ex qua Naevii vita ut Plauti aequalis longius esset cum Varrone producenda. sed haec hactenus. progrediendum enim est ad eos locos, quibus Cicero de poetarum illorum vita et scriptis iudicia fecit, quibusque unum alterumve versum, qui in eorum carminibus legebatur, respexit.

Livium Andronicum igitur, ut inde initium capiamus, in tragoediis comoediisque componendis versatum esse et Odyssiam in sermonem Latinum vertisse nemini est ignotum. de tragoediis vero et comoediis eius praeter pauca fragmenta [1]) tituli tantum aliquot ad haec tempora pervenerunt; neque hoc mirum. etenim iam Ciceronis tempore in scaenam mitti desitae erant comoediae illae, rarissime prodibant tragoediae, neque a multis lectitatae esse videntur hae fabulae. quid quod Cicero ipse Brut. 18, 71 Livianas fabulas non satis dignas esse dicit, quae iterum legantur. accedit quod oratio Livii nimis erat dura compositioque artis politioris plane expers, ita ut Cicero Odyssiam tamquam opus aliquod Daedali notaverit. [2]) unde sequitur Ciceronem Livii scipta ex illo tempore, quo fortasse puer degustaverat eorum acerbitatem (nam Odyssiam postea etiam in ludis esse lectitatam Horatius testatur Epp. II 1, 62), rarissime aut omnino non inspexisse, cum ex eis neque ad voluptatem quic-

---

[1]) Cf. Ribbeckii Trag. Rom. fr.². p. 1 sqq.; Com. Rom. fr.² p. 3 sq.; Roem. Trag. im Zeit. der Rep. p. 19 sqq.

[2]) Cf. Plat. Hipp. mai. 282 A.

quam neque ad usum redundare putaret. ita factum est, ut in eius scriptis ne unum quidem legamus versiculum Livianum.

Atque eaedem fere sunt causae, ex quibus Ciceronem in Cn. Naevii carmina non maiora impendisse studia statuamus necesse est. quamquam enim de or. III 12, 45 incorruptam sermonis Naeviani antiquitatem praedicat et de legg. II 15, 39 severitatem iucundam, qua fuerint modi Liviani et Naeviani, opponit suae aetatis modis tamquam exultantibus, tamen illius carmina haud ita magni videtur aestimasse, utpote quae minus essent perpolita. namque Brut. 19, 75 priscam illam severitatem asperitatemque quandam respiciens simile de bello Punico profert ac de Livii Odyssia iudicium: 'tamen Naevii illius . . . . bellum Punicum quasi Myronis opus delectat.' qua in re certe rectissime iudicavit. etenim de Myrone haec legimus apud Plinium N. H. XXXIIII 8, 19: 'primus hic multiplicasse veritatem videtur, numerosior in arte quam Polycletus et in symmetrica diligentior, et ipse tamen corporum tenus curiosus animi sensus non expressisse, capillum quoque et pubem non emendatius fecisse quam rudis antiquitas instituisset.' Ciceronem igitur non fugerat Naevium ut Myronem satis iam profecisse, ita ut paene pulchra eius opera dici possent (cf. Brut. 18, 70), neque tamen singula perfectiore arte limavisse vel perpolivisse. velut dictionem satis fuisse duram et linguae Latinae proprietatibus minus aptam ostendunt ea quae leguntur Or. 45, 152. loquitur enim eo loco Tullius de concursione vocalium, quae num in sermone Latino admitti possit inquirit. atque cum supra dixisset 'neminem tam rusticum esse, qui vocales nolit coniungere', sic pergit: 'indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos qui, ut versum facerent, saepe hiabant, ut Naevius.' cuius rei duo adfert ex Naevio exempla. quod tamen non ita est accipiendum, ut Ciceronem putemus versatum fuisse in Cn. Naevii carminum proprietatibus, cum iudicia, quae commemoravimus, ex grammatici alicuius libro petere potuerit; immo contendere non vereor haec carmina non maiori ei fuisse curae quam Liviana, quippe qui hanc secutus esset sententiam: 'quamvis enim suaves gravesve sententiae, tamen, si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures, quarum est iudicium superbissimum' (Or. 44, 150). quamquam ex Naevii tragoediis (cf. Ribb. Tr. Rom. fr. p. 6 sqq., Roem. Trag. p. 44 sqq.) una alterave etiam Ciceronis aetate videtur acta esse et temporibus insequentibus[1]). de Equo Troiano quidem id constat. scribit enim Cicero 699/55 ad M. Marium, quocum familiariter vivebat, de ludis scaenicis a Pompeio iterum consule editis, quos spectatum Marius quod rure non venerit nihil esse dolendum. namque Aesopum in

[1]) Hor. Epp. II 1, 53. 60.

scaena iurare incipientem vocem defecisse et apparatus spectatione sublatam esse omnem hilaritatem: 'quidnam' inquit 'delectationis habent . . . . . in Equo Troiano creterrarum tria milia aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? quae popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam adtulissent' (ad fam. VII 1, 2). unde facile hanc inibimus sententiam, Equum Troianum ea de causa esse actam, quod per materiem suam et argumentum maximam praebuit Pompeio facultatem ludos quam splendidissimos edendi, idque eo magis, quod eius anni ludi primi erant in theatro a Pompeio ipso extructo.[1]) ex hac igitur fabula, quae satis fuisse nota videtur aequalibus, unius versus partem apud Ciceronem legimus citatam eamque proverbii instar (Fest. 343 M.). sunt enim verba Sinonis

'séro <nunc> sapiúnt Phryges' (fr. 2),

quae facete in suum transtulit Cicero usum in epistula, quam dedit ad Trebatium uno anno post, quam Equus Troianus in scaena est acta. erat enim Trebatius, id quod ex epistulis a Cicerone ad eum in Britanniam missis clare perspicitur, homo urbis amoenitatum amantissimus (cf. ad fam. VII 6, 1; 8, 1; 13, 2; 15, 1 all.) et cui haud magno opere adrideret res militaris. itaque Cicero VII 16, 1 iocose eum carpit, quod magnae sapientiae virum in vitandis belli periculis se praebuerit his verbis: 'in Equo Troiano scis esse in extremo: sero sapiunt . . . . tu tamen, mi vetule, non sero . . . . . deinde quod in Britannia non nimis φιλοθέωρον te praebuisti, plane non reprehendo: nunc vero in hibernis intectus mihi videris: itaque te commovere non curas!

úsque quaque sápere oportet: íd erit telum acérrimum' (inc. inc. f. 40).

quod praeceptum sapientiae plenum ad eandem fabulam relatum Ribbeck Roem. Tr. p. 49 aut cantori aut, id quod mihi veri similius videtur, Ulixi tribuit, viro omnium callidissimo.

Porro ex alia Naevii tragoedia versus invenitur apud Ciceronem, qui proverbii loco in ore omnium videtur fuisse. in Hectore proficiscenti (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 8, Roem. Trag. p. 46 sqq.) enim Priamus filium ad bellum abeuntem summis prosequitur laudibus, ad quas is respondet his verbis:

'laétus sum laudári me abs te, páter, laudató viro' (fr. 2).

quod Hectoris gaudium Cicero Tusc. IIII 31, 67 laetitiae nimis elatae ac turpi opponit adulescentuli, qui inducitur in scaenam apud Trabeam. atque ad eadem Hectoris verba etiam alio loco adludit, ad fam. V 12, 7. rogat

---

[1]) Tac. Ann. XIIII 20; Plut. Pomp. 42; Plin. N. H. XXXVI 15, 115; Ribbeck Roem. Trag. p. 652.

enim Cicero hac epistula summa cum arte composita et ut ipse post gloriatus est (ad Att. IIII 6, 4) 'valde bella', L. Lucceium, scriptorem historicum haud ignobilem, ut de rebus in consulatu a se gestis et de exilio reditu-que suo commentarios componat. 'atque hoc' inquit 'praestantius mihi fuerit et ad laetitiam et ad memoriae dignitatem, si in tua scripta pervenero . . . . . quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum . . . . . sed etiam auctoritas clarissimi et spectatissimi viri et in rei publicae maximis gravissimisque causis cogniti atque in primis probati . . . . . placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum laudari se laetatur, sed addit etiam a laudato viro'; cf. etiam ad fam. XV 6, 1.

Porro duo extant in Ciceronis de senectute libro versus ex Naevii Ludo[1]) petiti (Cato 6, 20), quibus castigatur adulescentium temeritas. nam cum interrogatum sit

'cedo, quí uestram rem públicam tantam ámisistis tám cito?',

hoc respondetur in primis:

'prouéniebant orátores noui, stulti adulescéntuli',

quae sic Catonem facit interpretantem: 'temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis'. versu autem posteriore haud scio an Naevius, qui erat eius mos (cf. Gell. III 3, 15), aliquem ex eis lacessiverit, qui tum in re publica multum valebant gratia et auctoritate, ita ut versus ille non minus fortasse fuerit notus, quam illud 'fató Metelli Római fiunt cónsules.' neque igitur mirum, si hi potissimum versus ex omnibus Naevii comoediis, quarum non exiguus erat numerus, a Cicerone citantur.

Denique proverbialiter usurpatum fuisse videtur, quod Cicero Phil. II 27, 66 de Antonio, cuius vitam describit flagitiosam, petiit ex Naevio. postquam enim exposuit Antonium Pompei bona, quae sub hasta venissent, solum arripuisse, sic pergit: 'sed ut est apud poetam, nescio quem,

mále parta male dílabuntur' (inc. f. 1).

haec sunt omnia, quae ex Naevii scriptis apud Ciceronem invenies. quem quamquam perspicuum est Naevii dignitatem pluris fecisse quam Livii (commemoratur enim Naevius aut eius scripta duodeciens, Livius quater), tamen id, quod supra de Ciceronis studiis Naevianis diximus, respicientibus nobis versuum laudatorum naturam proverbialem sane comprobatur, praesertim cum ne illarum quidem fabularum, quae dicuntur praetextae, quas tres scripsisse fertur Naevius, — nisi forte cum Ribbeckio illa 'cedo . . adulescéntuli' ad Lupum mavis referre — mentionem umquam fecerit Cicero, id quod facere eum utpote hominem togatum quodam modo decebat.

---

[1]) Hanc probo scripturam, qua recepta palliatam significari certum est; Ribbeck contra Lupus recepit; cf. Trag. Rom. fr. p. 278.

Sed his missis ad Ennium transeo, qui quam principem locum obtineret inter poetas Latinos, Cicero ipse perspexerat. nam maxima fere versuum pars, qui ex carminibus petiti apud eum leguntur, Ennianae est originis, unde in propatulo est Ciceronem hunc poetam in primis adamasse eiusque carminibus vel maximam dedisse operam. quaerentibus autem nobis, quanam re Cicero commotus tanto exarserit in Ennium studio, plures sunt causae in promptu. primum enim ad Ennium revocandum est, quod rudis adhuc lingua Latina ab eo exculta est et polita. deinde Ennius carmine suo epico, Annalibus, alter fere Romanis extiterat Homerus (cf. Hor. Epp. II 1, 50), ut ex his duabus causis Ciceronem ut oratorem et hominem Romanum summa in illum religione imbutum fuisse veri simile sit. denique non omittendum videtur Ennium in tragoediis componendis in primis imitatum esse Euripidem, cuius tragoediae quanta sint sententiarum ubertate nemo ignorat.[1]) itaque Cicero, cum ex illis sententias saepe numero posset depromere ad philosophiae praecepta illustranda, hac re praecipue commotus videtur esse, ut eas diligentius legeret. sunt enim loci triginta fere quinque, quibus ad Euripidem respicit; cf. Lange l. c. p. 57 sq. atque eodem modo Ennianae tragoediae uberrimam ei suppeditabant materiem, unde sententias tamquam principales posset petere, quas ad philosophiae leges examinatas aut refelleret ut falsas aut comprobaret ut vera testimonia. quibus de causis totum se Tullius dederat Ennio eiusque non solum scripta, sed etiam vitam penitus habuit cognita, unde factum est, ut ex eis, quae Cicero per omnia sua scripta de Ennio dispersit, totius fere eius vitae quasi imago non tantum adumbrata, sed plane expressa ante oculos nobis ponatur. atque de anno, quo natus sit Ennius, quid statuerit Cicero supra iam exposuimus p. 252. patriam eius fuisse Rudias in Peucetiis ex loco de or. III 42, 168 cognoscitur. Romam autem deductum familiarem eum extitisse Africani maioris et Scipionis Nasicae Cicero saepius commemorat, quam ob rem etiam in sepulcro Scipionum imaginem eius ex marmore esse constitutam ait pro Arch. 9, 22. id quod Cicero, cum pro Archia causam dicit, tamquam exemplum iudicibus proponit (cf. 11, 27), quod imitentur: nam cum imperatores prope armati poetarum nomen coluerint, non debere togatos iudices a Musarum honore et poetarum salute abhorrere. quanta porro familiaritate coniunctus fuerit Ennius cum Nasica, ex eo possumus intellegere, quod Cicero rettulit de or. II 68, 276. quamquam enim concedendum est facete illud Nasicae dictum, ut fieri solet in viris illustribus, tempore demum insequenti potuisse confingi, tamen hoc veri subesse certe

---

[1]) Cf. Cic. ad fam. XVI 8, 2: 'ego certe singulos eius (Euripidem dicit) versus singula eius testimonia puto'.

non negabimus Nasicam cum Ennio amantissime et familiarissime vixisse. eundemque poetam M. Fulvius Nobilior in Aetoliam secum duxerat ut praeconem factorum suorum. quod a M. Porcio Catone in oratione quadam ei ut probrum esse obiectum legimus Tusc. I 2, 3, ubi Cicero causas enumerat, quibus factum sit, ut serius Romani litteras attingerent; in quibus primam fuisse, quod non vulgo tributus esset poetarum generi honos; cui rei Catonis illam orationem esse documento. quam ob rem non multum tribuendum esse videtur ei, quod a Catone Ennius familiaris appellatur (de sen. 4 10).[1]) nimirum id quod huius libri consilio conveniebat, plane aliam Tullius Catonis sibi finxit imaginem a vera alienam. deinde Ennium, cum Annalibus non tantum singulos viros, sed etiam totius populi nomen celebrasset, civitate esse donatum Cicero compluribus locis refert: pro Arch. 10, 22: 'ergo illum . . . Rudinum hominem maiores nostri in civitatem receperunt.' quod factum esse Q. Nobilioris opera ex Brut. 20, 79 comperimus: 'Q. Nobiliorem, M. F., iam patrio instituto deditum studio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit, cum triumvir coloniam deduxisset.' huc etiam referendus est versus ex Ennii Ann. l. XVI:

'nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini' (431 M.),

quem Cicero de or. III 42, 168 citat ad demonstrandum numeri pluralis pro singulari positi usum. porro de Ennii senectute haec facit Cicero Catonem disputantem 5, 14: 'sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt, quod non faciebat . . . . . . Ennius.' sequuntur duo versus ex Ann. petiti:

'sic ut fortis equus, spatio qui saepe supremo
vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit (481 sq. M.),

cui dicto adiungitur statim haec interpretatio: 'equi fortis et victoris senectuti comparat suam . . . . annos septuaginta natus — tot enim vixit Ennius — ita ferebat duo quae maxima putantur onera, paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur.' denique in definiendo, quo anno mortuus sit Ennius, pari diligentia Ciceronem usum esse videmus atque in temporibus statuendis, ad quae revocanda sunt litterarum Latinarum primordia. etenim Catoni de sen. 5, 14 haec tribuit verba: 'quem quidem (Ennium dicit) probe meminisse potestis: anno enim undevicesimo post eius mortem hi consules T. Flaminius et M. Acilius facti sunt (604/150); ille autem Caepione et Philippo iterum consulibus mortuus est (585/169), cum ego quinque et sexaginta annos natus legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasissem' et Brut. 20, 78 hunc annum illum fuisse accipimus,

---

[1]) Cf. L. Mueller Q. Ennius p. 63.

quo Ennius C. Sulpicia Gallo praetore ludos Apollini faciente Thyestem fabulam docuerit. quod vero Cicero Tusc. I 15, 34 Ennii epigramma, quod in eius sepulcro insculptum fuisse dicitur, adfert:

'aspicite, o cives, senis Enni imaginis formam,
hic vestrum panxit maxima facta patrum',

hoc, ut multa alia id genus elogia non prodiisse ab ipsius poetae manu, sed a grammaticis, quos quidem his temporibus iam non novimus, carminibus editis praefixum esse O. Jahn Herm. II 242 sq. ostendit.[1])

Haec sunt, quae de Ennii vita et tempore ex libris Ciceronianis possumus adsequi — haud infirma sane studii acerrimi documenta, quo Cicero poetam illum amplexus est, cuius studii fructus facere non potuit quin hic illic digressione facta latiore usus oratione proponeret, veluti de sen. 5, 14 vel Brut. 18, 72, ubi ipse quae uberius locutus erat de Ennii aetate, minus apta videri ait toti sermoni eiusque rei excusationem sibi interponendam esse putat.

Sed ut iam ad maiora progrediamur, haec nobis occurrit quaestio expedienda, utrum Cicero de Ennii dignitate recte iudicaverit necne. atque quam summam Ennii laudem omnium temporum viri docti duxerunt, hanc etiam Cicero amplissimam ei tribuit, quamquam sua aetate vix penitus potuit perspicere, quantum re vera de lingua Latina sibi peperisset Ennius meritum eo quod in litteras Latinas induxit versum hexametrum.[2]) tamen Cicero probe sensisse videtur, quantum hac re Ennius profecisset in carminibus maiore cum arte componendis et perpoliendis quam qui ante eum usi erant versu Saturnio, satis illo quidem incondito. itaque quae de se Ennius ipse cum ostentatione quadam iactaverat, Cicero saepius commemorat ita, ut illi plane adsentiatur. Bruti quidem loco 18, 71, ubi versus illos, quos antiqui poetae adhibuerint, iam diu evanuisse dicit, his utitur verbis: 'quid, nostri veteres versus, ubi sunt?

quos olim fauni vatesque canebant,
cum neque Musarum scopulos quisque superarat,
nec doctis dictis studiosus quisquam erat ante hunc (Ann. 226 sqq. M.)

ait ipse de se, nec mentitur in gloriando; sic enim sese res habet.' sequitur illud quod supra commemoravimus de Odyssia indicium. atque Or. 51, 170 tamquam alterum Ennium sese praedicat: eandem enim sibi vindicat in oratione pedestri gloriam, quam in poesi Ennius sibi paraverat lingua Latina ad versus hexametri leges adcommodata. etenim utrumque elaborasse

---

[1]) Cf. L. Mueller Q. Ennius p. 247 sq.

[2]) Cf. L. Mueller, de re metr. p. 69, Q. Ennius 223 sqq.; G. Ungermann, Q. Ennius versu hexam. in litteras lat. inducto quatenus meritus sit, Confluent. 1866.

et effecisse, ut sententia apte verbis comprehensa bene clauderetur atque excurreret numerose. quae cum ita sint, sic pergit: 'ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere:

versibu', quos olim fauni vatesque canebant;

mihi de antiquis eodem modo non licebit? praesertim cum dicturus non sim 'ante hunc', ut ille, nec quae sequuntur 'nos ausi reserare'. neque hoc loco Ciceronem ipsum nimio sui amore captum mentiri in gloriando contendere ausim: nam rhetoricam eum omni ex parte excoluisse nemo negabit; sed illa 'praesertim . . reserare' sic sunt prolata, ut eam nanciscamur sententiam, Ennium Ciceroni tamen nimium videri in gloriando et iusto maiorem sibi arripuisse laudem. qua in re Cicero, nisi forte aemulatione quadam ductus haec scripsit, deceptus est. suo enim iure Ennius et viam se patefecisse ad Musarum scopulos potuit dicere neque ante se quemquam doctis studuisse dictis. sed forsitan quispiam dixerit verba illa Ciceronis sic etiam posse accipi, ut eum usum esse illis statuamus, potius ut ipse nimiae ostentationis evitaret speciem, quam ut aliquid detraheret Ennio. verum Ciceronem non alienum fuisse ab Ennii obtrectatione ex Brut. 19, 75 sq. adparet, ubi paulo commotior in Ennium prope invehitur cum acerbitate quadam, quae ex ipsa, de qua agitur, re minime fluxit. dicit enim Cicero Naevii 'quem in vatibus et faunis adnumeret Ennius', bellum Punicum quasi Myronis opus delectare. tum sic pergit: 'sit Ennius sane, ut est certe, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum reliquisset. sed ipse dicit, cur id faciat. 'scripsere' inquit 'alii rem versibus'. iam quasi iratus ob Ennii magniloquentiam in ipsum se convertens paene malevole haec addit: 'et luculente quidem scripserunt, etiamsi minus quam tu polite. nec vero tibi aliter videri debet, quia Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti.' quamvis enim veri simile sit Ennium hic illic secutum esse Naevium[1]), Ciceroni tamen illo loco nihil erat causae, cur in hac potissimum re pluribus moraretur. sed quae hoc loco cernitur acerbitas inde explicatur, quod Cicero noluit imminui quicquam de auctoritate et laude poesis Romanae. cum igitur carpsisset Naevium Ennius, non dubitavit eum defendere atque Ennium ipsum sane acerbius reprehendere. verum et his quos commemoravi locis et eis qui infra sequuntur, iure concedit Ennium permultum valuisse ad linguam Latinam excolendam. quod tacito quodam sermone etiam Brut. 20, 78 profert. agitur enim de minoribus Catonis aequalibus, in quibus cum alii, tum C. Sulpicius Gallus commemoratur, 'qui maxime omnium nobilium Graecis litteris studuit; isque et

[1]) Cf. L. Mueller Q. Ennius p. 86. 87. 123. 147. 149.

oratorum in numero est habitus et fuit reliquis rebus ornatus atque elegans. iam enim erat unctior quaedam splendidiorque consuetudo loquendi.' cuius rei statim adponitur causa: 'nam hoc praetore '. . . . mortem obiit Ennius', unde potes concludere Ciceronem ad Ennium non exiguam illius unctioris splendidiorisque loquendi consuetudinis partem voluisse referri.

Iam vero ad singula si procedimus, Ennium magis rationem habuisse linguae Latinae proprietatum, quam qui ante eum floruerunt poetae, Cicero videtur profiteri Or. 45, 152. cum enim in illis poetis, qui, ut versum facerent, saepe vitiose hiatum admisissent, Naevium in primis nominasset, Ennium ei opponit. 'at Ennius semel: 'Scipio invicte' (Ann. 345 M.). quod quamquam non ita est intellegendum, ut omnino semel Ennium hiasse putemus, sed quantum quidem Cicero tum meminerit semel, tamen hac in re Ennius sine dubio multo erat perfectior, ita ut licuerit Ciceroni eum cum illis ab hac parte comparanti dicere quae supra adtulimus. deinde sine vocalibus in fine positis contrahere solitos esse homines Romanos brevitatis causa ibidem adfirmat Cicero, cuius rei adferuntur ex Ennio, ut videtur, exempla 'palm' et 'crinibus.'[1]) atque ut in hoc, quem citavi, Oratoris loco (c. 45 sq.) paulo subsistam, Cicero ibi in sermonis Enniani proprietatibus quodam modo se praebet versatum. pluribus enim exponit rationes, quae valeant ad collocationem et formam verborum, ut oratio evadat quam suavissima et aurium iudicio aptissima (Or. 44, 149—48, 162). itaque novos poetas eorumque antiqua corrigendi morem reprehendit, cum consuetudine ipsa licentia concedatur in formis quibusdam usurpandis, id quod demonstrat exemplis plurimis ex Ennio, Pacuvio, Accio, Terentio congestis. atque Ennium quidem comperimus cum alia insolentius posuisse, tum genetivi pluralis formas in -um desinentes 'meum factum' (Alex. fr. 6, v. 44 Ribb.) 'exitium examen' (Alex. fr. 6, v. 51 Ribb.), quamquam idem dixerit 'liberorum'. neque minus eum usurpasse 'isdem' pro nominativo singularis ac pro ablativo pluralis, quod Cicero illustrat duobus exemplis: 'isdem campus habet', inquit Ennius (Ann. 560 M.) et 'in templis isdem' (inc. sed. 1 M.), 'at 'eisdem' erat verius, nec tamen probavit, ut opimius (cf. Quint. VIIII 4, 36); male sonabat 'iisdem'; impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret'. atque eodem modo Cicero negat se reprehendere illud 'scripsere alii rem' (Ann. 226 M.); 'scripserunt' se verius esse sentire, sed libenter obsequi se consuetudini auribus indulgenti. videmus igitur Ciceronem omnia fere revocare ad solum aurium arbitrium, qua in re non satis perspexisse videtur Ennium, ut singula verba in versus

[1]) Inc. inc. fr. 213² R., 'palmi crinibus' scripsit Ribbeck, 'palmis crinibus' Mueller (F. 202) Ciceronem corrupto exemplari deceptum esse suspicatus. quod sequitur apud Tullium 'tecti fractis' num ad Ennium pertineat, dubitari potest.

speciem redigeret, saepius esse coactum formas inusitatiores adhibere, quippe cui luctandum esset cum ipsis linguae Latinae verbis quasi repugnantibus hexametri versus numeris. sed in universum his de rebus satis recte Cicero iudicat de or. III 48, 184: 'neque vero haec (oratio) tam acrem curam diligentiamque desiderat, quam est illa poetarum, quos necessitas cogit et ipsi numeri ac modi sic verba versu includere, ut nihil sit ne spiritu quidem minimo brevius aut longius quam necesse est.' qua necessitate videlicet ipse satis premebatur, cum accederet iuvenis ad carmina componenda. sed ad Ennium ut revertamur, refertam fuisse eius dictionem accipimus verborum formis antiquioribus et cotidiani sermonis consuetudinem habuisse hic illic clare expressam; velut Ennium semper dixisse 'Burrum' et 'Bruges', neque auditum esse 'qui est omnibus princeps', sed 'omnibu' princeps', quod quidem olim fuisset politius, ipsius Ciceronis aetate iam subrusticum. huc etiam spectat quod Cicero profert de Ennii genere dicendi Or. 31, 109: 'an ego Homero, Ennio, reliquis poetis et maxime tragicis concederum, ut, ne omnibus locis eadem contentione niterentur crebroque mutarent, nonnumquam etiam ad cotidianum genus sermonis accederent,' et Or. 11, 36: 'Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum'. atque cum Ennius saepius descenderet ad sermonis cotidiani usum, fieri non poterat, quin interdum nimis sibi indulgeret, quamquam vix potest negari eum magis propter linguae ipsius asperitatem, quam neglegentiae alicuius obsequio peccavisse [1]. hoc tamen concedendum est recte dicere Ciceronem l. c. 'multa apud Ennium esse neglegentius.' atque invenit profecto Tullius quod notaret in Enniano dicendi genere: de or. III 41, 164, ubi de translatione agitur, Ennium dicit verbum quoddam angustius atque minoris quam oportuerit ponderis usurpasse ibidemque 40, 162 iure reprehendit metaphoram ab Ennio false adhibitam. 'quo in genere (translationis)' inquit 'primum est fugienda dissimilitudo: 'caeli ingentes fornices' (inc. f. 33 Ribb); quamvis sphaeram, ut dicitur, in scaenam adtulerit Ennius, tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse.' qua in re certe adstipulabimur Ciceroni, quia re vera caeli ingens cavatio minus apte componitur cum angusto arcu triumphali. sed Cicero, quasi hunc Ennii errorem statim vellet obtegere eiusdem virtutum laude, exemplum adfert ex Aiace ut videtur desumptum [2], quo ostendat, quam apte hac figura aliis locis usus sit Ennius. adiungit enim hos versus:

'uíue, Ulixes, dúm licet.
oculís postremum lúmen radiatúm rape' (inc. inc. f. 29 R.)

---

[1]) Cf. Koene 'Ueber den Sprachgebrauch der roemisch. Epik.', Monast. 1840, p. 4. 7. 248 etc.

[2]) Si quidem recte coniecit Ribbeck; cf. Roem. Trag. p. 132.

(cf. Soph. Ai. 228 sqq.), de quibus hoc fert iudicium: 'non dixit 'cape', non 'pete' (haberet enim moram sperantis diutius esse victurum), sed 'rape'. hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, 'dum licet'. in initio autem Medeae quid habuerit Cicero quod castigaret, infra exponam.

Sed haec iam missa faciamus. dicendum enim est, quid Cicero iudicaverit de verbis ab Ennio factis primumque usurpatis. nam hoc quidem inter omnes constat Ennium cum omnino linguam Latinam novis, quae ipse invenerat verbis, locupletasse, tum epicae dictionis verborum copiam auxisse vel potius condidisse (cf. Horat. A. P. 55), ex qua insequentium temporum poetae epici hauriebant, in primis Lucretius, Vergilius, Ovidius.[1]) atque in universum rectam de hac re profert Cicero sententiam Or. 21, 68: 'ego autem, etiamsi quorundam grandis et ornata vox est poetarum, tamen in ea cum licentiam statuo maiorem esse quam in nobis (oratoribus) faciendorum iungendorumque verborum, tum . . . .' Ennium autem in primis habitum esse a Cicerone verborum novatorem ex loco de or. III 38, 154 adparet. cum enim de tribus illis rebus Crassum faciat loquentem, quas in verbo simplici orator adferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum aut novatum aut translatum, exempla, quae de vocibus novatis adferuntur, omnia fere petita sunt ex uno Ennio. sic enim audimus Crassum dicentem: 'novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, ut haec:

túm pauor sapiéntiam omnem mi éxanimato expéctorat (Alcum. fr. 2 R.);[2])

videtis enim . . . 'expectorat' ex coniunctione facta esse verba, non nata.' tum tria ex Ennio adduntur exempla, substantivi adiectivi verbi: 'sed saepe vel sine coniunctione verba novantur, ut ille 'senius disertus', ut 'di genitales' (Ann. 110 M.) ut 'bacarum ubertate incurvescere' (Eum., inc. inc. R. f. 72). unde sequitur Ciceroni, cum Ennianis potissimum usus sit exemplis, haud ignotum fuisse, quantum Ennio deberent ab hac parte Romani. itaque cum Ennii sermo et propter formas illas priscas, cuius modi sunt 'Bruges, Burrum', et propter voces ab ipso cum audacia quadam conformatas, quarum magna pars ex insequentium temporum usu evanuerat, Ciceronis aetate grande quiddam sonaret atque sublime, haud inepte eum iudicasse statuamus necesse est, quod de or. III 7, 27 Ennium ex tribus illis tragoediae Graecae principibus cum Aeschylo comparavit, qui altiore quasi incedit cothurno et grandiore utitur dicendi genere a

---

[1]) Cf. A. Zingerle 'Ovid und sein Verhältniss zu den Vorgängern . . .' II, p. 1—11, C. A. Bentfeld 'Der Einfluss des Ennius auf Vergil', Salisburg. 1875, denique Koenii librum, quem supra laudavi.

[2]) Cf. de or. III 58, 217 'Priamó ui uitam euítarei' (Androm. fr. 9 Ribb.).

populi usu remoto. atque ex vetusto illo et grandi sono sermonis Enniani explicatur id quod de eo fecerunt iudicium Quint. X 1, 88, Gell. N. A. XII 4, 3. denique eximias Cicero laudes Ennio largitur de or. I 34, 154, ubi Crassum de exercitationibus rhetoricis inducit disputantem: 'in cotidianis .... commentationibus equidem adulescentulus proponere solebam illam exercitationem . . ut . . versibus propositis quam maxime gravibus . . . eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. sed post animadverti hoc esse in hoc vitii, quod ea verba quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset .... Ennius, si ad eius versus me exercerem ....' sed de Enniano dicendi genere hactenus.

Restat ut paucis dicam, quid Cicero senserit de Ennio philosopho. ac primum quidem omnes sciunt Ennium de diis ita cogitasse, ut Euhemeri plane reciperet sententiam, cuius ἱερὰν ἀναγραφήν ipse vertit in linguam Latinam.[1]) quae vero fuerit Euhemeri de diis sententia, Cicero de nat. deor. I 41, 119 Velleium Epicureum facit sic exponentem: 'quid? qui aut fortis aut claros aut potentis viros tradunt post mortem ad eos pervenisse eosque esse ipsos, quos nos colere, precari venerarique soleamus, nonne expertes sunt ....? quae ratio maxime tractata est ab Euhemero: quem noster et interpretatus et secutus est praeter ceteros Ennius'. Ciceronem autem ipsum, qui Academicorum disciplinae se addixerat, Euhemeri hanc atque Ennii rationem improbasse consentaneum est, quam ob rem nihil miraberis, si nullo alio loco hoc de libro quicquam commemoratum inveneris. quamquam Ennius, cum iniisset de diis opinionem, quae ad Epicureorum rationem vel proxime accederet, carminibus suis Ciceroni saepius praebuit materiem, unde ad refellendas alius sectae rationes peteret argumenta. atque in Ennii tragoediis in primis 'Telamo' magnam id genus sententiarum ubertatem habuisse videtur, deinde 'Melanippa' (cf. Ribb. Roem. Trag. p. 179), 'Thyestes', 'Iphigenia'. itaque Cicero, cum libro altero de divinatione Stoicorum disciplinam contra Quintum fratrem susceperit refutandam, c. 50, 104 his verbis illum adloquitur: 'nec solum ea non sumitis ad concludendum, quae ab omnibus concedantur, sed ea sumitis, quibus concessis nihilo magis efficiatur quod velitis; primum enim hoc sumitis: 'si sunt di, benefici in homines sunt.' quis hoc vobis dabit? Epicurusne, qui negat quicquam deos nec alieni curare nec sui? an noster Ennius, qui .... loquitur ....

égo deum genus ésse semper díxi et dicam caélitum,
séd eos non curáre opinor, quíd agat humanúm genus (Tel. fr. 1 R.),

[1]) Cf. August de civ. dei VII 26 (27); Krahner, 'Grundlinien zur Geschichte des Verfalles d. roem. Staatsrelig.' p. 37; Gerlach, Hist. Stud. p. 137 sqq.

et quidem cur sic opinetur rationem subicit; sed nihil est necesse dicere, quae sequuntur . . .' causam autem illam, quam Ennius protulit, Cicero commemorat de nat. deor. III 32, 79, ubi C. Aurelius Cotta Stoicorum illud deos curare res hominum fusius studet evertere: 'ac nos quidem', inquit 'nimis multa de re apertissima; Telamo autem uno versu locum totum conficit, cur di homines neglegant

nám si curent, béne bonis sit; mále malis: quod núnc abest' (Tel. fr. 1 R.).

eodemque modo Ennii menti ab omni superstitione liberae plane id respondet, quod ex eadem fabula de div. I 58, 132 Cicero facit fratrem citantem. qui cum esse divinationem pluribus demonstrasset, cuius tota vis et origo referenda esset ad deos (I c. 49—55), ad fatum (I c. 56), ad naturam (I c. 57. 58), se tamen spernere confitetur 'sortilegos vicanos haruspices, de circo astrologos . . .' 'non enim' inquit 'sunt ii aut scientia aut arte divini,

séd superstitiósi uates ímpudentesque hárioli
aút inertes aút insani aut quíbus egestas ímperat,
quí sibi semitám non sapiunt, álteri monstránt viam:
quíbus diuitias póllicentur, áb iis drachumam ipsí petunt.
de hís diuitiis síbi deducant dráchumam, reddant cétera (Tel. fr. 2 R.).

atque haec quidem Ennius, qui paucis ante versibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur, 'quid agat humanum genus.' postremo omittendus non est locus ille de div. I 40, 88, quo antiquorum temporum vates opponuntur recentibus: 'atque etiam . . . Amphiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri neque eorum similes, ut apud Ennium est,

quí sui quaestus caúsa fictas súscitant senténtias (inc. f. 27 R.),

sed clari et praestantes viri . . . . futura dicebant.' ex his igitur adparet Ciceronem quid Ennius de diis cogitaret sane quidem perspexisse et sententias illas, quibus impugnaretur vulgi superstitio, ex eius carminibus libenter sumpsisse. quamquam non facile nobis persuadebimus eum diligentius perlegisse Ennii Euhemerum, id quod etiam cadit in alterum Ennii de philosophiae praeceptis carmen, Epicharmum dico, ex quo unus extat versus Ac. II 16, 52.

Exposui, quid in universum Cicero senserit de Ennio, quantamque operam dederit vitae eius ac meritis cognoscendis. nunc me convertam ad singula Ennii carmina, ac primum quidem ad Annales. atque suo iure de opt. gen. or. 1, 2 Cicero Ennium dicit 'summum epicum poetam', quia ipsius aetate nemo alius extiterat poeta, qui in hoc genere palmam eriperet Ennio. neque hoc fugit Ciceronem Ennium praecipue imitatum esse Homerum, qua de re facile potuit iudicare. namque ipsum in Homeri carminibus maxime fuisse versatum cum ex iudiciis, quae de illo fecit, tum

ex eo potest intellegi, quod plurimos ex omnibus fere Iliadis et Odyssiae partibus versus (ex Il. XL, ex Od. XVIIII) libris suis inseruit, qua de re disputavit Lange p. 33 sqq. itaque Cicero de fin. I 3, 7 se ex Platone et Aristotele profitetur nonnullos locos sic (i. e. accurate) velle transferre, ut ex Homero soleat Ennius. quid quod Ennius ipso Annalium initio Homerum sibi in somniis visum esse memorat, cuius animam in suum corpus transiisse.[1]) ad quod Ennii somnium Cicero saepius adludit. Scipionem Aemilianum quidem de re publ. VI 10 quod habuerit somnium facit narrantem. cum enim in multam noctem de Africano collocutus esset cum Masinissa, artiore somno se esse oppressum. 'hic mihi' inquit 'credo ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somniis tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui.' atque ad eandem rem ab Ennio commemoratam Cicero respicit Ac. pr. II 16, 51; 27, 88.

Priusquam vero ad singulos versus a Cicerone adhibitos transeo, id monere non supervacaneum videtur esse, quantum studii in universum populus Romanus impenderit in Ennii Annales. tantum enim abfuit, ut illi Ciceronis aetate amandarentur ad singulorum eruditorum umbracula, ut partes eorum coram populo Homeri carminum more recitarentur. quod paulo post Ennii mortem factum esse per Q. Vargunteium Suet. de gramm. 2. testatur. neque dubium esse videtur, quin Ciceronis quoque tempore idem factum sit atque celeberrima ad audiendum carmen tam praeclarum corona confluxerit. atque is recitandi mos renovatus est Gellii aetate, quo antiquorum poetarum studia diu neglecta refovebantur. Gellius quidem XVIII 5, cum una fuisset Puteolis cum Antonio Iuliano rhetore, nuntiatum sibi esse narrat anagnosten quendam . . . . . Ennii Annales legere ad populum in theatro; tum Iulianum dixisse: 'eamus auditum nescio quem istum Ennianistam.' quanta autem audientium adsensione anagnostes ille munere suo functus sit, ex eis, quae sequuntur, elucet: 'quem cum iam inter ingentes clamores legentem invenissemus . . . . . neque multis postea versibus additis celebrantibus eum laudantibusque omnibus discessit.' quod veterum poetarum studium Macrobii demum aetate extinctum esse ex eis intelleges, quae Macrob. Sat. VI 9, 9 hac de re memoriae tradit. itaque quamquam ex Ciceronis temporibus nihil eius modi proditum est, tamen maximam habet veri speciem etiam tum populum laetum audisse Ennii Annalium has vel illas partes recitatas. cui rei hoc patrocinari videtur, quod nonnulli huius carminis loci in multorum ore fuisse videntur. etenim Cicero saepius ita loquitur, ut pauca tantum verba commemoret quasi satis sint

[1]) Cf. Porph. in Hor. Epist. II 1, 50, Front. Epist. I 4, p. 11 N.

ad omnia, quae circa sunt, in memoriam revocanda (de sen. 6, 16; 1, 1; de fin. II 32, 106; or. 27, 93; ad Att. VI 2, 8; Tusc. I 12, 27; de re publ. I 18, 30 all.), et orationibus suis, quamquam rarius, versus intexuit ex Annalibus petitos, qui tamquam proverbia nemini erant ignoti. velut pro Mur. 14, 30 verba Ennii:

'pellitur e medio sapientia, vi geritur res,
spernitur orator bonus, horridu' miles amatur.
haud doctis dictis certantes, sed maledictis
miscent inter sese inimicitiam minitantes.
non ex iure manum consertum, sed magi' ferro
rem repetunt . . .' (Ann. 276 sqq. M.)

sic conglutinat cum suis, ut suturam nemo potuerit cognoscere, nisi de re plane edoctus. ex illis versibus autem qui sunt extremi notissimi videntur fuisse; Cicero quidem in litteris ad Trebatium familiarem in Britanniam missis (ad fam. VII 13, 2) haec scripsit: 'sed, ut ad te redeam, te istic invitum non esse vehementer gaudeo . . . . tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum prosit. nam, ut audio, istic

non ex iure manum consertum, sed magi' ferro
rem repetunt.'

atque eodem modo pro Balbo 22, 51 ad Ennii de Hannibale versum respicit, ut qui audientibus veniat haud ignotus: 'neque enim ille summus poeta noster Hannibalis illam magis cohortationem quam communem imperatoriam voluit esse:

'hostem qui feriet, erit' inquit 'mihi Karthaginiensis
quisquis erit' (Ann. 282 sq. M.).

quoniam igitur Ennii Annales in tanto erant apud omnem populum Romanum honore, non est mirum, si Cicero tot locis eorum facit mentionem. namque eo ipso, quod volitabant per ora virum, non ita magno videtur opus fuisse studio atque labore ad eos cognoscendos. at Ciceronem ipsum saepius eos lectitasse ac diligentius pervolvisse, inde possumus intellegere, quod ex omnibus fere libris versus ab eo adferuntur, quos hic collectos proponere ab incepto nostro alienum non erit. sunt igitur loci hi:

	lib. I.
v. 5	: Ac. pr. II 16, 51; 27, 88.
v. 6	: Ac. pr. II 27, 88.
vv. 28—44	: de div. I 20, 40.
vv. 73—93	: de div. I 48, 107.
v. 110	: de or. III 38, 154; Tusc. I 12, 28.
vv. 114—118	: de re publ. I 41, 64.
	lib. III.
v. 155	: de div. II 39, 82.
	lib. IIII.
v. 167	: de re publ. I 16, 25.
	lib. VI.
v. 181	: de div. II 56, 116.
vv. 196—203	: de off. I 12, 38.
vv. 204—205	: de sen. 6, 16.

vv. 206—207: de div. II 56, 116.
v. 214 : de re publ. III 3, 6.
v. 220 : de nat. deor. III 2, 4.

lib. VII.

v. 226 : Brut. 19, 76; Or. 47, 157.
vv. 227—229: Brut. 18, 71; Or. 51, 171; de div. I 50, 114; cf. de legg. II 27, 68.
vv. 230—231: Or. 51, 171.
v. 237 : de inv. I 19, 27.

lib. VIII (cf. pro Arch. 9, 22).

v. 273 : Tusc. I 20, 45; de nat. deor. III 10, 24.
vv. 276—281: pro Mur. 14, 30; ad fam. VII 3, 2.
vv. 282—283: pro Balbo 22, 51.
v. 286 : ad Att. II 19, 2.
vv. 286—288: de off. I 24, 84; de sen. 4, 10.

lib. X.

v. 345 : Or. 45, 152.
vv. 348—353: Brut. 15, 58.
v. 353 : de sen. 14, 50.
v. 358 : de or. III 42, 67; Or. 27, 97; ad fam. VIIII 7, 2

lib. XI.

v. 384 : de re publ. I 18, 30; de or. I 45, 198; Tusc. I 9, 18.
vv. 385—388: de sen. 1, 1.

lib. XV.

v. 425 : de re publ. V 1, 1. (Aug. de civ. d. II 21.)

lib. XVI (cf. de prov. cons. 9, 21).

v. 431 : de or. III 42, 168.

lib. XVII.

vv. 481—482: de sen. 5, 14.

ex libb. inc.

vv. 527—528: de or. III 42, 168.
v. 560 : Or. 47, 157.
v. 580 : ad Att. VI 2, 8.
v. 600 : de re publ. I 2, 3.

Iam plurimos vides versus citatos esse ex libro I (vv. XXXXV). quod cur ita se habeat, causa in propatulo est, neque ullam desiderat demonstrationem. namque per se intellegitur hominem Romanum usquequaque potissimum rediisse ad illas Annalium partes, quibus suae civitatis primordia versibus celebrarentur. itaque Cicero libro alteri de divinatione viginti versus intexuit de Romulo et Remo augurium capientibus et de Vestalis virginis somnio versus sedecim. minorem vero ei adtulisse videntur delectationem qui insequuntur libri (II—V), quibus regum facta continebantur et bella, in primis cum Samnitibus gesta. sed eo diligentius eum libros VI—XI legisse veri simile est, ex quibus versus XXXXVIIII ab eo proferuntur. agebatur autem his libris de gravibus illis bellis, quae populo Romano cum Pyrrho, Hannibale, Philippo erant subeunda. quae quanti fuissent momenti ad Romanorum imperium constituendum et ad ultimas fere terras proferendum, omnibus notum erat; quam ob rem maiore studio hos in primis amplexus esse videtur Cicero. accedit quod his libris Fabricii, Catones, Maximi, Marcelli, Fulvii, Scipiones summis laudibus decorati sunt ab Ennio,[1]) e quorum nominibus haud exigua gloria etiam ad totum redundavit populum Romanum.[2]) quae cum ita essent, satis causae esse Cicero probe perspexit, cur hi potissimum libri essent legendi. iam extremos Annalium libros

[1]) Cf. de sen. 6, 16; de re publ. III 3, 6; Brut. 15, 58; de sen. 14, 50; de off. I 24, 84; de sen. 4, 10; ad Att. II 19, 2; Tusc. I 9, 18 etc.

[2]) Cf. pro Arch. 6, 22.

ita videtur perlegisse, ut ei maxime haererent in memoria versus, quibus de se ipso suaque vita locutus est Ennius; hos enim saepius commemorat.[1])

Sed haec hactenus. iam vero iuvat, quomodo Cicero Ennii tragoediis studuerit, exponere. atque quod in Annalibus fecimus, ut inquireremus, quatenus fuissent noti universo populo Romnno, idem in tragoediis quoque instituamus. primum igitur perlustremus fabulas illas, quas Ciceronis testimonio ipsius tempore in scaena actas esse constat. hac enim re mirum quantum earum cognitionem divulgatam et studia ipsa vel maxime aucta esse nemo negabit.

Atque maximo plausu Andromacha Aechmalotis (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 23 sqq., Roem. Trag. p. 135 sqq.), ut inde ordiamur, Ciceronis aetate acta esse videtur. is quidem ad Att. IIII 15, 6 de ludis Apollinaribus, qui celebrati sunt a. d. VII. Id. Quinct. ann. 700/54, scribit se venisse in spectaculum, primum magno et aequabili plausu — deinde operam se dedisse Antiphonti cuidam, qui Andromachae partes egerit. palmam quidem eum tulisse, neque tamen ipsi admodum placuisse. 'sed nihil' inquit 'tam pusillum, nihil tam sine voce, nihil tam . . . verum haec tu tecum habeto.' alias autem Aesopum Andromachae personam induisse idque ita, ut summa Ciceronem adficeret delectatione, ex loco de or. III 26, 102 possumus cognoscere. atque habuit haec fabula, quantum ex eis, quae extant, fragmentis potest concludi, quod *ἔλεον* et *φόβον* in spectantium animis excitaret. quid quod Cicero ipse, quem de carminibus saepe non ut artis iudicem, sed ut oratorem vel philosophum sententiam fecisse videmus, verbis, quae Andromacha facit de sorte sua miserrima, abripitur in summam poetae admirationem. Tusc. III 19, 44 quidem Epicuri sententiam, animi maerorem sanari posse corporis voluptatibus refutaturus, ut summi maeroris vere depicti atque expressi exemplum proferat, ad Andromacham nos revocat, quae tot tantisque malis implicata haec effundit verba miserabilia:

'quíd petam praésidi aut éxsequar? quóue nunc
aúxilio aut éxili aút fugae fréta sim?
árce et urbe órba sum. quo áccedam? quo ápplicem?
cuí nec arae pátriae domi stant, fráctae ac disiectaé iacent,
fána flamma déflagrata, tósti alti stant párietes
déformati atque ábiete crispa . . . .',

et quamquam deinde Cicero illa, quae sequuntur, nota esse admonet, tamen abstinere non potest, quin adiciat canticum, quod pronuntietur 'flexibili, pleno, interrupto, flebili vocis genere' (de or. III 58, 217):

---

[1]) Cf. de or. III 42, 168; de sen. 5, 14 et vide p. 258

'o páter, o patria, o Príami domus,
saeptum áltisono cardíne templum!
uidi égo te astante ope bárbarica,
tectís caelatis lácuatis,
auro ébore instructam régifice.'

tum ita pergit: 'o poetam egregíum! .... sentit enim omnia repentina et necopinata esse graviora. exaggeratis igitur regiis opibus, quae videbantur sempiternae fore, quid adiungit?

haec ómnia uidi inflámmarei,
Priamó ui uitam euítarei,
Iouis áram sanguine túrparei (fr. 9).

praeclarum carmen! est enim et rebus et verbis et modis lugubre.' videmus igitur Ciceronem huius loci pulchritudinem vere poeticam probe sensisse et valde admiratum esse; neque enim omittit, quin prima quaque occasione data huc respiciat: de or. III 26, 102 Aesopum commemorat aptissime pronuntiare solitum esse haec Andromachae verba flebilia. 'quid ille alter' (Aesopus) inquit 'quíd petam praésidii?' quam leniter, quam remisse, quam non actuose! instat enim 'o páter, o patria, o Príami domus!' in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta.' Tusc. I 35, 85 inde petit argumentum, quo demonstret fortunam esse volubilem neque quemquam ei debere confidere. praeterea ad eundem Andromachae locum spectant: de Or. III 47, 183; Or. 27, 93; Tusc. III 22, 53; pro Sest. 57, 121; de Or. III 58, 217. denique Cicero ex eadem fabula Tusc. I 44, 105 (fr. 12) et III 19, 44 (fr. 10) Andromachae verba eodem pertinentia citat et Tusc. I 21, 48 (fr. 6) Polyxenae, ut videtur, verba, quae de vita decedens locuta est (cf. Ribb. Roem. Trag. p. 139, Eurip. Hec. 367 sq., 335 sq.).

Neque vero minus placuisse videtur Ciceronis tempore audientibus Medea exul (Ribb. Tr. Rom. fr. p. 43 sqq., Roem. Trag. p. 149 sqq.), quandoquidem ipsum huius fabulae argumentum eius modi erat, ut et poetae summa facultas daretur ad animi motus depingendos, et spectantes eo vel maxime commoverentur. quod argumentum quam fuerit gratum atque acceptum, inde potes perspicere, quod etiam Ovidius Medeam scripsisse fertur, qua nihil fuisse clarius Tacitus dicit (dial. 12). atque plurimi extant apud Ciceronem loci, quibus ad Ennii tragoediam respicit, saepius ita, ut concludere possimus eam — nimirum e scaena — non minus eis fuisse notam, ad quos Cicero vel scribit vel loquitur, quam ipsi; cf. pro Cael. 8, 18 (fr. 1), pro Mur. 41, 88 (fr. 10), pro Rab. Post. 11, 29 (fr. 7), ad fam. VII 6 (fr. 5, fr. 15), ad Att. VII 26, 1 (fr. 7). in primis autem huius fabulae initium Cicero usquequaque habet in promptu. ut enim in Euripidis Medeae ipso initio nutrix in scaenam prodit, cum cupido

ceperit miseram proloqui 'caelo átque terrae Médeae míserias' (Eur. Med. v. 57 sq.; cf. Tusc. III 26, 63), ita ab Ennio Medeae nutrix illa inducebatur eadem fere verba loquens atque apud Euripidem. sed cum haec primum Argus adventum ut stirpem malorum exsecraretur, deinde omnino totum illud inceptum, illa Enniana causam miseriarum paulo altius repetit statimque haec dicit:

'utinám ne in nemore Pélio secúribus
caesa áccedisset ábiegna ad terrám trabes.
neue índe nauis íncohandae exórdium. . . .' (fr. 1).

quae res a Cicerone saepius ut vitiosa causarum enumeratio notatur: de fato 15, 35: 'ex hoc genere igitur illud est Ennii: 'utinám . . . trabes'. licuit vel altius 'utinam ne in Pelio nata umquam esset arbor!' etiam supra 'utinam ne esset mons ullus Pelius!' similiterque superiora repetentem regredi infinite licet. 'neue . . . coepísset'. quorsum haec praeterita? quia sequitur illud 'nam . . . saúcia' non, ut eae res causam adferrent amoris.' atque simili modo Top. 16, 61: 'hoc igitur, sine quo fit, ab eo, quo certe fit, diligenter est separandum. illud enim est tamquam 'utinám . . . . trabes.' nisi enim accidisset abiegna ad terram trabes, Argo illa facta non esset, nec tamen fuit in eis trabibus efficiendi vis necessaria.' itaque de inv. I 49, 91 Cicero hoc idem profert ex Ennii Medea ut exemplum remoti. 'remotum est' inquit 'quod ultra quam satis est repetitur . . . . huius modi est illa quoque conquestio 'utinám . . . trabes.' longius enim repetita est quam res postulabat.' denique ad eundem locum adludit: pro Cael. 8, 18, de nat. deor. III 30, 75, de fin. I 2, 5, Tusc. I 20, 45. at quamquam Cicero hoc Medeae initium saepius castigavit, tamen quin summam ex tota fabula perceperit voluptatem non est dubitandum. atque ei potissimum loci eum videntur delectasse, quibus Medea loquens inducebatur. quae cum omni tempore et omnibus in rebus concitatiorem quendam animi motum prae se ferret, fieri non potuit, quin verba quoque altiore quasi effunderet spiritu inflata, quae cuius modi fuerint, ex Ovid. Met. VII 1 sqq. possumus suspicari. quamquam enim non contendam Ovidium hac in re plane imitatum esse Ennium, quamvis magnam ei sine dubio dederit operam [1]), tamen similia in Ennii tragoedia poterat Medea sola proloqui. itaque Cicero, qui id semper agebat, ut audientes vel commoveret vel persuaderet, ex his Medeae orationibus vel maximam hauriebat delectationem. quae cum ita sint, quid mirum, si Cicero ex eis in primis locis versus petivit, quos scriptis suis insereret. sic ad fam. VII 6 iocose illam attigit orationem, quam habuit Medea ad matronas Corinthias, ut se excu-

1) Cf. Zingerle l. c. p. 2.

saret, quod abesset a patria (fr. 5 et 15) eundemque habuit in mente locum de off. III 15, 62. de nat. deor. III 25, 65 sq. illius reminiscitur soliloquii, quo Medea consilium suum videtur exposuisse, qua ratione poenas repetitura esset ab Iasone (fr. 8 et 9, inc. inc. f. 90). quid quod nonnulla Medeae dicta in communem videntur abiisse usum, velut locus ille, quo se miseram atque inopem ab omnibus esse desertam conqueritur:

> 'quo núnc me uortam? quód iter incipiam íngredi?
> domúm paternamne ánne ad Peliae fílias?' (fr. 10).

quae verba et Graccho (Cic. de or. III 56, 214, Quint. XI 3, 115) et Ciceroni ipsi pro Mur. 41, 88 ante oculos versata esse videntur, quamquam id quidem pro certo adfirmari nequit. Ciceronem autem hanc fabulam vidisse actam si ex loco, qui est de or. III 58, 217, statuemus, fortasse non errabimus. agitur enim ibi, quo vocis genere in variis animi motibus opus sit actori, neque dubium est, quin Cicero, exempla cum congereret, eas in primis respexerit fabulas et locos, quae ex scaena ipsa memoria tenebat. itaque etiam verba illa 'quo núnc . . . fílias?', cum miserationem exprimant ac maerorem, flexibili, plena, interrupta voce pronuntianda esse contendit. neque vero omittam, quam facete Cicero, quae Creon dicit ad Medeam verba

> 'si té secundo lúmine hic offéndero
> moriére' (fr. 7, cf. Eur. Med. 352)

adhibuerit in epistula ad Atticum a 705/49 data (VII 26, 1). scribit enim de Caesaris celeri eventu fugaque Pompei. se ipsum fugere velle negat (cf. VII 24): 'omnia erant facta hoc biduo laetiora. itaque fuga, quae parabatur, repressa est. Caesaris interdicta 'si té . . . offéndero' respuuntur' (cf. etiam pro Rab. Post. 11, 29). sed ut haec iam absolvamus, addere nobis liceat, quibus locis praeter eos, quos commemoravi, ad hanc Ennii fabulam legentes revocare videatur Cicero: Or. 46, 155 (inc. f. 26), de nat. deor. III 26, 67 (inc. inc. f. 93), pro rege Deiot. 9, 25 (inc. inc. f. 88), pro Rab. Post. 11, 29 (inc. inc. f. 87), Tusc. IIII 32, 69 (fr. 11).

Atque quoniam locum illum Ciceronianum de or. III 58, 217 attigi, statim adiungam Alcumeonem fabulam (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 17 sqq., Roem. Trag. p. 197 sqq.), ex qua Cicero loco illo exemplum petit ad explanandum quod sibi proposuerat. inducebatur enim Alcumeo, cum matrem necasset, sicuti Orestes a furiis exagitatus: atque scaenae illae, quibus vel miseriam suam deplorat vel visis per insaniam portentis exterritus auxilium petit ab Arsione vel Alphesiboea, Ciceronem vel maxime commovisse videntur: ad has enim, ubicumque hanc comme-

rat fabulam, respicit, veluti loco illo de or. III 58, 217, ubi vocis genus, quo pronuntiandae sint Alcumeonis querelae:

'múltis sum modis círcumuentus, mórbo, exilio atque ínopia;
túm pauor sapiéntiam omnem mi éxanimato expéctorat:
máter terribilém minatur uítae cruciatum ét necem,
quaé nemo est tam fírmo ingenio et tánta confidéntia,
quín refugiat tímido sanguen átque exalbescát metu' (fr. 2).

demissum dicit et haesitans et abiectum. porro ad eundem locum adludit de fin. IIII 23, 62, de or. III 38, 154, Tusc. IIII 8, 19, de fin. V 11, 31. in primis autem scaenae illae materiem ei suppeditarunt, ubi de dormientium et insanorum visis locutus est, veluti Ac. pr. II 17, 51 sq. ibi enim Lucullum sic facit loquentem: 'quod idem contingit insanis, ut et incipientes furere sentiant et dicant aliquid quod non sit, id videri sibi, et cum relaxentur, sentiant atque illa dicant Alcmaeonis:

séd mihi ne utiquam cór consentit cum óculorum aspectú (fr. 4);

cf. ibid. 27, 88. deinde, ubi refutatur Luculli sententia, dormientium et vinolentorum et furiosorum visa imbecilliora esse quam vigilantium, siccorum, sanorum, haec legimus 28, 89: 'quid? ipse Alcmaeo tuus, qui negat, 'cor sibi cum oculis consentire', nonne ibidem incitato furore:

unde haéc flamma oritur?

et illa deinceps

íncedunt, incédunt; adsunt ádsunt, me med éxpetunt.

quid, cum virginis fidem implorat:

fér mi auxilium, péstem abige a me, flámmiferam hanc uim, quaé me excruciat,

num dubitas quin sibi haec videre videatur? itemque cetera:

inténdit crinitús Apollo
arcum aúratum, luna ínnixus,
Diána facem iacit á laeua (fr. 3).

qui magis haec crederet, si essent, quam credebat, quia videbantur? adparet enim iam 'cor cum oculis consentire.' quodsi Cicero ex hac potissimum scaena complures versus exscripsit, et agnoscere mihi videtur veram illam quam Ennius expresserat insani imaginem, et profiteri se locis illis, qui reapse magna videntur fuisse pulchritudine, vehementer motum esse. namque aliis etiam locis Alcmaeonem furentem ante oculos videtur habuisse: pro Sext. Rosc. Amer. 24, 66, in Pis. 20, 46, Tusc. III 5, 11.

Iam sequitur, ut agam de Telamone et Thyeste fabulis, quas Ciceronis aetate magno plausu esse actas pro certo potest haberi. ac Telamo quidem (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 54 sqq., Roem. Trag. p. 133 sqq.) valde probata videtur fuisse spectantibus ob meliorem de rebus divinis intelle-

gentiam, qua ibi se instructum praestitit Ennius. itaque Cicero, cum de div. II 50, 104 versus illos de deorum otio commemorat: 'an noster Ennius?' inquit 'qui magno plausu loquitur assentiente populo: 'ego deum . . . abest.' eademque respicit de nat. deor. III 32, 79, de div. I 58, 132; 40, 88. neque dubium est, quin eiusdem fabulae sint versus inc. inc. fab. fr. 45, quibus Tusc. III 13, 28; 24, 58 utitur Cicero, ut omnia repentina esse graviora demonstret. sunt enim verba, quibus Telamo nuntium de filii morte accepit. quae Cicero cum citat, satis ostendit se animi eximiam magnitudinem, quae illis refertur, probe perspexisse et totius loci venustate maxime esse delectatum.

Similes autem de diis atque in Telamone sententiae prolatae esse videntur in Thyeste (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 57 sqq., Roem. Trag. p. 199 sqq.), quam ultimam docuisse Ennium e Cic. Brut. 20, 79 adparet (cf. p. 259). ac magnam habet veri speciem hanc fabulam Ciceronis quoque tempore in scaenam missam esse, id quod ex loco de nat. deor. II 2, 4 possumus suspicari. nam quod Cicero Lucilium Balbum stoicum facit loquentem: '. . . quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius:

áspice hoc sublímen candens, quem ínvocant omnés Iovem' (fr. 7),

id mihi ostendere videtur huic sententiae sua quoque et Balbi aetate a populo summos esse impertitos plausus. certe Tullio illa placuisse videtur; nam saepius commemoratur: de nat. deor. II 2, 4; 25, 65; III 4, 10; 16, 40. ex personis autem, quae inducebantur, Thyestes maxime eum commovebat quippe qui sorte sua omnium excitaret misericordiam. is igitur, cum a fratre turpissima fraude esset deceptus, summo adflictus maerore in scaenam prodit et chorum sibi adpropinquare vetat:

'nolíte, hospités, ad me adíre: ilico ísti:
ne cóntagió mea bonís umbraue óbsit.
tánta uis scéleris in córpore haeret' (fr. 8).

quae verba doloris plena Cicero adhibet Tusc. III 12, 26, ut quo aegritudinis vi homo abripi possit ostendat. 'qualis enim' inquit 'tibi ille videtur

Tántalo prognátus, Pelope nátus, qui quondam á socru
Oénomao rege Híppodameam ráptis nanctust núptiis' (inc. inc. f. 57).

tum ad ipsum Thyestem se convertit his verbis: 'tu te, Thyesta, damnabis orbabisque luce propter vim sceleris alieni?' quae vero sequebantur chori verba:

'quidnam ést, obsecró? quid te adírier abnútas?' (fr. 8),

in eis Cicero illud 'abnutas' minus apte positum esse contendit de or. III 41, 164: 'nolo verbum ésse angustius id, quod translatum sit quam fuisset

illud proprium ac suum. 'quidnam . . . abnútas?' melius esset 'vetas, prohibes, absterres', quoniam ille dixerat: 'ilico . . óbsit.' at Thyestes, brevi recreatus, summa Atreo luculentis verbis precatur mala, quae exsecratio altiore sono et ubertate quadam profusa oratori certe maxime adridebat. itaque Tusc. I 44, 107, haec adtulit Thyestis verba:

'ípse summis sáxis fixus ásperis, euísceratus,
látere pendens, sáxa spargens tábo, sanie et sánguine atro,
néque sepulchrum, quó recipiat, hábeat portum córporis,
úbi remissa humána uita córpus requiescát malis' (fr. 11).

quamquam eo, de quo dixi, loco ut philosophus Thyestem castigat, quod etiam mortuum omnes cruciatus perpeti velit, quod quidem sit perquam inane et vanum. atque hunc locum omnium maxime innotuisse, ex oratione in Pis. 19, 43 elucet, ubi Cicero ad Thyestis preces illas adludit, quae etiam temporibus insequentibus tamquam effigies exsecrationum habitae esse videntur; cf. Hor. Epod. 5, 86; C. I 16, 17. Thyesti quoque attribui possunt versus inc. f. 30, quibus de infortunio suo ille conqueritur (Tusc. III 19, 44), et inc. inc. f. 57, ubi Thyestes a choro, quis esset interrogatus (fr. 4, cf. Or. 55, 184), respondet: 'Tántalo prognatus . . núptiis' (Tusc. III 12, 26). praeterea Ennium laudibus effert Cicero propter sententiam quandam sapientiae plenam, quae fortasse hac in fabula Atreo opponebatur (cf. Ribb. Roem. Trag. p. 202). namque de off. II 7, 23 hanc statuit legem: 'omnium autem rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi, nec alienius quam timeri.' tum ita pergit: 'praeclare enim Ennius

quém metuunt odérunt, quem quisque ódit, periisse éxpetit' (inc. f. 36).

denique eandem habuisse videtur Cicero in mente fabulam de off. III 29, 104, ubi Ennio magnas tribuit laudes propter aptissima, quae ille dederit, Fidei epitheta (inc. f. 37); cf. etiam de off. I 8, 26; de re publ. I 32, 49 (inc. f. 38).

Porro Telephum fabulam (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 56 sq., Roem. Trag. p. 104 sqq.) Cicero vidit in scaena actam, si quidem inc. inc. f. 17 cum Ribbeckio (R. Tr. p. 108) huc licet referri. loquitur enim de or. III 26, 102 Tullius — nam quod haec verba Crasso tribuuntur, nullius est momenti — de elocutionis varietate. cuius exempla adferens cum alia tum haec memorat: 'numquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest

nám sapiens uirtúti honorum, praémium, haud praedám petit,

sed abicit prorsus, ut in proximo:

séd quid uideo? férro saeptus póssidet sedís sacras

incidat, aspiciat, admiretur, stupescat.' quae verba ab illo prolata esse Ribbeck censet, qui, cum meditans in scaenam prodiisset, subito Telephum conspicit,

qui cum parvulo Oreste ad aram confugerat, ut quod postulasset, vi ab Agamemnone impetraret. deinde ex eadem fortasse fabula Cicero sententiam petiit generalem de off. I 16, 51, ubi de bonorum quorundam communitate disputat. 'omnium autem' inquit 'communia hominum videntur ea, quae sunt generis eius, quod ab Ennio positum in una re transferri in permultas potest:

> hómo, qui erranti cómiter monstrát uiam,
> quasi lúmen de suo lúmine accendát, facit.
> nihiló minus ipsi lúcet, cum illi accénderit (inc. f. 29).

una ex re satis praecipit, ut, quidquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur vel ignoto . . . . . . sed quoniam copiae parvae singulorum sunt, eorum autem, qui his egeant, infinita est multitudo, vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem: 'nihiló minus ipsi lúcet.' qui locus quam notus fuerit Ciceronis aequalibus, inde potest perspici, quod Cicero etiam in oratione pro Balbo habita 16, 36 ad eum respicit poeta non nominato.

Vidisse deinde Ciceronem **Achillem** actam suspiceris (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 15 sq., Roem. Trag. p. 112 sqq.), qua fabula continebatur Graecorum legatio ad Achillem frustra missa, tum pugnae illae, quibus Graeci in summum vocati sunt periculum[1]), denique Patrocli mors et Achillis consilium rursus in bellum redeundi. atque ex pugnis illis, quae circa naves sunt commissae, unam, quae tamquam embolium et in Iliade est inclusa et Ennii fabulae inserta fuisse videtur, sic persequitur Cicero, ut eum quasi inter spectantes in theatro sedere putes. demonstrat enim Tusc. II 15, 35 sqq. consuetudine laborum perpessionem dolorum fieri faciliorem, cuius rei plura congerit exempla, in quibus illud quoque ex militia petitum, militem veteranum facilius ferre vulneris dolorem. itaque cum in universum dixisset: 'quin etiam videmus ex acie efferri saepe saucios, et quidem rudem illum et inexercitatum quamvis levi ictu ploratus turpissimos edere', certum quendam militem exercitatum tironi opponit: 'at vero ille exercitatus et vetus ob eamque rem fortior, medicum modo requirens, a quo obligetur

> (Euryp.) o Pátricoles' inquit 'ad uós adueniens aúxilium et uestrás manus
> petó, prius quam oppetó malam pestem mándatam hostilí manu.
> neque sánguis ullo pótis est pacto prófluens consístere.
> si quí sapientiá magis uestra mórs deuitarí potest.
> namque Aésculapi líberorum saúcii opplent pórticus
> non pótis accedi (cf. Il. XI 809 sqq.).

---

[1]) Ribbeck quidem has scaenas fabulae, cui reddendum esse titulum 'Hectoris Lutra' Bergk ostendit in ann. phil. 1861, p. 625 sq., attribuere mavult, qua in re ei adstipulari nequeo, quandoquidem fabulae illius argumentum maius obtineret spatium quam ut una tragoedia posset confici.

certe Eurypylus hic quidem. hominem exercitum! ubi tantum luctus continuatur, vide quam non flebiliter respondeat, rationemque etiam adferat, cur aequo animo sibi ferendum sit:

(Eur.) qui álteri exitiúm parat,
eum scíre oportet síbi paratum, péstem ut participét parem.

abducet Patricoles, credo, ut conlocet in cubili, ut volnus obliget. si quidem homo esset, sed nihil vidi minus. quaerit enim quid actum sit:

(Patr.) elóquere, eloquere, rés Argiuum proélio ut se sústinet.
(Eur.) non pótis ecfari tántum dictis, quántum factis súppetit
labóris (inc. f. 2).

quiesce igitur et volnus adliga! etiam si Eurypylus posset, non posset Aesopus.' nonne hic Cicero ita loquitur, ut propemodum ante oculos nobis ponatur totius scaenae imago? atque egit Aesopus partes suas, id quod e Ciceronis verbis intellegere possumus, tam perfecte, ut summa adfecerit Ciceronem sui admiratione. nam cum per se scaena illa, ubi virtus, ut ita dicam, vere Romana illustratur, vel maxime delectat, tum delectatio etiam augebatur, si Eurypyli partes ab histrione agebantur, qui fortitudinem illam herois saucii et virtutem gestu voceque ad veritatem expressit. quid igitur mirum, si Cicero hunc potissimum locum memoria tenuit, qui etiam Or. 46, 155 in mente ei versatus est? eodemque revocat audientes in oratione pro Rosc. Am. habita 32, 90, ubi de caede civium a Sulla proscriptorum loquitur: 'multos' inquit 'caesos non ad Trasumenum lacum, sed ad Servilium vidimus.' tum verba illa sequuntur, quibus Ulixes, cum Protesilai nave incensa cur fugeret ab Aiace vel Achille esset interrogatus, respondit:

'quís ibi non est uúlneratus férro Frugio? (inc. f. 1).[1])

Denique dicendum est de Melanippa et Aiace. atque ex Melanippa (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 51 sq., Roem. Trag. p. 176 sqq.), quamquam Ciceronis aetate agebatur (de off. I 31, 114), ne unus quidem versus, quantum video, apud Ciceronem extat, quod eo magis mirandum est, quod haec fabula et sententiis abundasse videtur, quibus Anaxagorae de rerum natura praecepta referebantur, et ornamentis oratoriis erat distincta. id unum ex loco illo de off. I 31, 114 comperimus Melanippae partes ei praecipue convenisse, qui multum valuerit a gestu. nam qui versus de nat. deor. II 25, 65 a Cicerone citatur, num is iure ad hanc fabulam referatur, maximae dubitationi obnoxium est.

Neque aliter res se habet in Aiace (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 17, Roem. Trag. p. 131 sqq.). namque etiam hanc fabulam Ciceronis tempore

[1]) Ad quem loc. cf. schol. Gronov. ceterum in Verr. act. II 1, 18 et Or. 48, 160 quae extant verba Enniana ad eandem fabulam referenda esse videntur (fr. 6, et inc. f. 7).

esse actam eodem loco (de off. I 31, 114) edocemur: dicit enim Cicero Aesopum non saepe suscepisse partes Aiacis. sed unum tantum locum ex hac fabula bis attingit, ex oratione videlicet Aiacis insani, qua Achivos sese cecidisse laetatur: de or. III 40, 162 (cf. p. 262) et Ac. II 28, 89 (inc. inc. f. 29).

Sed de his fabulis hactenus. sequitur ut agam de eis, quae num Ciceronis actate aetae sint, pro certo non potest adfirmari. quamquam hanc illam vel certe singulos locos quosdam non ignota fuisse videbimus eis, qui Ciceronis tempore erant, hominibus: unde ad eam facile inclinabimus sententiam has quoque fabulas tum a scaena remotas non fuisse.

Ac primum quidem dicam de Iphigenia (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 38 sqq., Roem. Trag. p. 94 sqq.), ex qua Cicero Tusc. IIII 36, 77, ubi loquitur de ira, iurgii illius inter Agamemnonem et Menelaum facit mentionem, quod eodem modo invenitur apud Euripidem Iph. Aul. 327 sqq. quod iurgium, ut apud Euripidem, per *στιχομυθίαν*, quae dicitur, peractum esse ex loco supra commemorato adparet: 'alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae, ut facile adpareat Atrei filios esse.' hunc igitur locum, ubi animi motus optime depinguntur eo, quod vox premit vocem, contumelia sequitur contumeliam, Ciceroni placuisse non est mirum. habent enim eius modi loci etiam in tragoediis Graecis, quod mirum quantum delectet. atque ut apud Euripidem 956 sqq. ob Calchantis vaticinationem Achilles iratus in vates invehitur, sic Ennius quoque pro more suo (cf. p. 264 sq.) astrologos facit carpentem Achillem:

'ástrologorum sígna in caelo quaésit, obseruát, Iouis
cúm capra aut nepa aút exoritur mómen aliquod béluae
quód est ante pedes, noénu spectant, caéli scrutantúr plagas' (fr. 8.),

quae verba omnibus notissima videntur fuisse. etenim Cicero de re publ. I 18, 30 Laelium, ut videtur, de Aelio Sexto inducit sic loquentem: 'cuique (Aelio Sexto) contra Galli studia disputanti in ore semper erant illa de Iphigenia Achillis: 'ástrologorum . . . plagas', et Donatus ad Ter. Adelph. III 3, 32 ('quod ante pedés modo est | uidére') sumpsisse ait poetam de illo in physicum pervolgato Achillis dicto: 'quod est . . . . .', unde concludi licet Laelii et Terentii aetate actam esse hanc fabulam. atque quamquam certe dicere non possumus, num Ciceronis quoque tempore sit in scaenam missa, tamen colligitur per longum tempus locos nonnullos in omnium mente haesisse (cf. illud 'pervolgato'). Cicero quidem etiam de div. II 13, 30 Achillis illa verba commemorat. deinde eiusdem fabulae facete utitur verbis, quibus Clytaemnestra, cum ab Agamemnone arcessita filiam adduceret, maritum adloquitur:

'póstquam abs te, 'Agamemno, út uenirem, tétigit aures núntius éxtemplo' (inc. inc. f. 11)

(cf. Eur. 633). scribit enim Cicero ad Att. XIII 47, 1 de nuntio ab illo sibi misso et rebus eius iussu statim confectis: 'postquam abs te Agamemno', non 'ut venirem', — nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset —, sed, ut scriberem, 'tetigit aures nuntius, extemplo' instituta omisi, ea quae in manibus habebam abieci, quod iusseras edolavi.' Tusc. III 34, 57 autem utrum Cicero Ennii (fr. 2) an Euripidis ipsius verba (vv. 16 sqq.) in mente habuerit, diiudicari nequit. denique de div. II 26, 57 (inc. f. 22) et Tusc. III 3, 5 (inc. f. 24) qui citantur Ennii versus ex hac sunt fabula petiti, si quidem cum Ribbeckio facis versus illos huic fabulae tribuenti; cf. etiam Tusc. I 49, 116.

Iam vero transeo ad Alexandrum (Ribb., Trag. Rom. fr. p. 19 sqq., Roem. Trag. p. 81 sq.), quae per ipsum, quod ei suberat, argumentum (de quo cf. Hygin. 91) magnam habuisse videtur scaenarum varietatem, quibus spectantium animi vel maxime commovebantur. Ciceronem autem hanc fabulam praecipue adamasse et magnus versuum numerus indicat, quos ex ea in libros suos ingessit, et verba demonstrant, ex quibus, quanta huius tragoediae admiratione Cicero fuerit imbutus, perspicitur. namque de div. I 21, 42, quo loco de praedictionibus per somnia editis disputat, somnium illud Hecubae praegnantis refert facem eam peperisse ardentem; tum coniectores imperasse, ut, quidquid ea peperisset, necaretur, ne id patriae foret exitio (inc. inc. f. 5 'máter grauida . . Pérgamo'). quae verba Ribbeck Cassandrae vel Veneri tribuit, quarum altera utra haec prologi vice exposuerit. atque ibidem 31, 66 Cicero totum fere exaravit locum, quo Cassandra, cum Paris a matre esset agnitus, oculis ardentibus passisque crinibus quod sola parentum gaudio obstet conqueritur. haec enim legimus apud Ciceronem: 'ea (praesagitio) si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur.

(Hec.) séd quid oculis rábere uisa es dérepente ardéntibus?
úbi illa [tua] paulo ánte sapiens uírginali' modéstia?
(Cass.) máter, optumárum multo múlier melior múlierum,
míssa sum supérstitiosis áriolatiónibus:
námque Apollo fátis fandis démentem inuitám ciet.
uírgines aequális uereor, pátris mei meum factúm pudet
óptumi uirí. mea mater, tuí me miseret, meí piget:
óptumam prógeniem Priamo péperisti extra me: hóc dolet:
mén obesse, illós prodesse, me óbstare, illos óbsequi!'

summo igitur se adflictam dicit dolore, quod malorum seriem futuram praesagiens omnium minuat laetitiam, quae exorta est in primis parentibus Paride filio invento. atque excellunt haec verba summa pulchritudine poetica,

quam etiam Cicero admiratus facere non potuit, quin exclamaret: 'o poema tenerum et moratum atque molle!' atque quasi reprimere vellet animi commotionem surgentem, statim ad rem ipsam se revocat. 'sed hoc' inquit 'minus ad rem: illud quod volumus . . . . .' et quoniam hoc canticum praeclarum agere coepit, versus quoque adponit, quibus animi a deo percussi furor refertur:

'ádest, adest fax óbuoluta sánguine atque incéndio!
múltos annos látuit: ciues, férte opem et restínguite!.

deus inclusus corpore humano, iam non Cassandra loquitur:

iámque mari magnó classis cita
téxitur: exitium éxamen rapit:
áduenit, et fera uéliuolantibus
náuibus compleuít manus litora' (fr. 6).

atque ex eodem cantico videntur esse versus, quos Cicero de div. I 50, 144 citat: 'multos' inquit 'nemora silvaeque, multos amnes aut maria commovent, quorum furibunda mens videt ante multo quae sint futura, quo de genere illa sunt:

eheú, uidete!
iúdicabit ínclutum iudícium inter deás tris aliquis:
quó iudicio Lácedaemonia múlier, Fúriarum úna, aduenìet (f. 7).

praeterea eundem huius fabulae locum egregium invenimus a Cicerone adhibitum Or. 46, 155, de div. II 55, 112, ad Att. VIII 11, 3.

Reliquarum autem Ennii fabularum pauca extant in Ciceronis libris fragmenta, atque ne haec quidem certo possunt saepe uni vel alteri tragoediae attribui: e Cresphonte (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 29 sqq., Roem. Trag. p. 186 sqq.) duo legimus versus de inv. I 49, 91 (fr. 6), ex Erechtheo (Ribb. fr. p. 31 sq., Roem. Trag. p. 181 sqq.) fortasse sunt petita verba illa de veris amicis: 'amícus certus ín re incerta cérnitur' (inc. f. 43), quae leguntur de amic. 17, 64; deinde eodem rettulit Ribb. versiculum de sacris Eleusiniis de nat. deor. I 42, 119 (inc. inc. f. 26), idemque ad Hecubam (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 36, Roem. Trag. p. 142 sqq.) verba illa plena sapientiae 'nimiúm boni est, cui níl malist' de fin. II 13, 41 (inc. f. 20; cf. Eur. Hec. 627 sq.), cuius fabulae etiam illud 'palm' et 'crinibus' videtur esse, quod legimus Or. 45, 153 (cf. p. 261).

Iam agendum est de aliquot versibus, quos Ribb. iure mea quidem sententia Eumenidibus tribuit (Trag. Rom. fr. p. 32, Roem. Trag. p. 146 sqq.). namque Cicero Tusc. I 28, 68, cum ex totius mundi praestantia argumentum petit, ut aliquem esse eius effectorem vel moderatorem demonstret, ad laetam terrae ubertatem depingendam Ennii utitur verbis, quibus Minerva Eumenides hortata esse videtur, ut omni modo terrae Atticae

faverent et omnibus eam explerent bonis. sunt autem verba haec: 'hic autem, ubi habitamus, non intermittit suo tempore

caelúm nitescere, árbores frondéscere,
uités laetificae pámpinis pubéscere,
ramí bacarum ubértate incuruéscere,
segetés largiri frúges, florere ómnia,
fontés scatere, herbis práta conuestírier' (inc. inc. f. 72, cf. Aesch. Eum. 902 sqq.).

atque altero loco de or. III 38, 154 illud 'iucurvescere' commemoratur a Cicerone ut exemplum verborum ab Ennio novatorum (cf. p. 263). ad eandem fabulam pertinere videntur Apollinis Pythii verba, quibus hic se in rebus difficilioribus consilium praebere petentibus praedicat (inc. f. 19), quae legimus de or. I 45, 119, ubi Crassus oraculum illud Delphicum comparat cum domo iuris consulti, quae sit totius civitatis oraculum.

Restat, ut verba commemorem, quae in fabula aliqua — neque enim de hac satis constat — dixisse fertur Neoptolemus, quae verba per longum temporis spatium in omnium ore fuisse videntur. certe optime eis Romanorum exprimitur indoles, magis ad bella gerenda idonea quam ad artes colendas. induxit enim Ennius Neoptolemum haec loquentem:

'philosophari est míhi necesse, at paúcis: nam omnino haúd placet' (inc. f. 13).

quem locum non insulse respicit Cicero Tusc. II 1, 1: 'Neoptolemus quidem apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis; nam omnino haud placere: ego autem, Brute, necesse mihi quidem esse arbitror philosophari . . . . . sed non paucis, ut ille' (cf. ibidem II 1, 2). atque in contrariam partem dicentem facit Cicero Antonium de or. II 37, 156: 'sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium: 'paúcis, nam . . . . placet.' quae verba etiam Aelium Sextum iuris peritum in ore semper habuisse Cicero testatur de re publ. I 18, 30.

Sequitur versuum, quos ex singulis Ennii fabulis citavit Cicero, conspectus per numeros significatus, qua in re Ribbeckium sequar auctorem, primo loco eos versus complectens, qui certo singulis tragoediis possunt attribui, altero eos, qui profecti sunt ab Ennio quidem, neque tamen cuius sint fabulae, certe potest diiudicari, tertio, quorum origo num sit Enniana non satis liquet:

Achilles	1	13	—
Aiax	2	—	—
Alcumaeo	11	—	—
Alexander	16	—	12
Andromacha	22	1	—
Cresphontes	2	—	—
Erechtheus	—	1	—

Eumenides	—	4	5
Hecuba	—	1	1
Iphigenia	9	4	2
Medea exul	25	1	11
Melanippa	—	1	—
Telamo	8	1	1
Telephus	—	3	2
Thyestes	9	7	2
	105	37	36
	142		(+ 36)

Huc accedunt incertarum Ennii fabularum versus sex: de off. I 18, 61 (fr. 11; Roem. Trag. p. 131 tribuitur Aiaci), de or. III 40, 162 (fr. 33), Tusc. IIII 33, 70 (fr. 35, refertur a Ribb. ad Sabinas p. 205), de off. II 18, 62 (fr. 44), de or. II 54, 222 (fr. 53).

Iam cum hanc rem ad finem perduxerim, paucis liceat mihi comprehendere quae supra uberius exposui. videmus igitur Tullium eos potissimum locos excerpsisse, quibus aut graviter magnificeque exprimuntur affectus aut dictum aliquod sapientia plenum acutumve continetur, id quod consilio, quod in libris suis eius modi versibus tamquam luminibus ornandis atque illustrandis sequebatur, quam maxime conveniebat. fabulas praetextas, si locum excipias Tusc. IIII 33, 70, non respexit. omnino autem neglexit comoedias ab Ennio scriptas, antiquitatis situ iam tum obrutas atque oblivioni datas.

Priusquam ad ceteros tragicos transeo, pauca mihi dicenda sunt de Ennii Saturis et Epigrammatis. atque e Saturis, quae magna erant et metrorum et argumentorum varietate, eos in primis respexisse videtur Cicero libros, quibus aut de philosophia agebatur, aut de rebus, quae homini Romano curae esse debebant; itaque 'Euhemeri' (ed. Muell. p. 78 sqq.) de nat. deor. I 42, 119 facit mentionem, itemque ex 'Epicharmo' (ed. Muell. p. 77 sq.) unum citat versum Ac. pr. II 16, 52. sed longe minorem eum his libris dedisse operam iam supra dixi. contra 'Scipionem' (ed. Muell. p. 74 sqq.) maiore eum amplexum esse diligentia et per se veri simile est, et versus, quos inde petiit, indicare videntur: de fin. II 32, 106, ubi fluxae voluptati sincerum opponit gaudium, verba illa commemorat, quibus Scipio Africanus Carthaginiensibus victis per ἀποστροφήν quam dicunt grammatici Romam adloquitur: 'itaque beatior', Cicero ait, 'Africanus cum patria illo modo loquens,

desine, Roma, tuos hostes . . . .

reliquaque praeclare,

nam tibi munimenta mei peperere labores (fr. 8 M.).

laboribus hic praeteritis gaudet.' quem locum etiam attingit de or. III 42, 167. atque eodem refertur a Muellero initium versus, quod legimus ibidem 'testes sunt campi magni', sine dubio τὰ Μεγάλα πεδία καλούμενα (Polyb. XIIII 7), ubi Scipio a. 551/203 Syphacem Hasdrubalemque vicerat (Liv. XXX 8). ceteras vero saturas, quae sunt 'Hedyphagetica', 'Sota', 'Praecepta' seu 'Protrepticus', Tullius omnio non curavit.

Epigrammata Ennium fecisse eumque apud Romanos primum Isidor. Origg. I 38 testatur. quae cum pro genere suo sententiarum argutias quasdam et subtilitatem prae se ferrent, fieri non potuit, quin diligentius ea legeret Cicero, quippe qui eius modi lusus in primis adamasset: maxime autem clarissimum illud Ennii praeconium ei videtur placuisse:

nemo me dacrumis decoret nec funera fletu
faxit cur? uolito uiuo' per ora uirum (Ep. fr. 2 M.)[1].

namque hoc epigramma saepius nobis apud Ciceronem occurrit: Tusc. I 15, 34 immortalitatis documentum hoc esse Cicero arbitratur, quod 'inhaeret in mentibus saeculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis et existit maxime et adparet facillime.' quam ad rem demonstrandam cum alia, tum Ennii illud adsciscit elogium; deinde eiusdem libri 49, 117 hos Ennii versus componit cum illis Solonis

μηδέ μοι ἄκλαυτος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς,

quos ipse sic vertit in linguam Latinam:

mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis
maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

atque meliorem dicit esse Ennii quam Solonis orationem, quod mors certe non sit lugenda, sed potius exoptanda. in eandemque sententiam de sen. 20, 73 Catonem inducit loquentem: 'Solonis quidem sapientis est elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. volt credo, carum esse suis. sed haud scio an melius Ennius: 'nemo . . faxit.' atque haec Ennii verba, quibus sempiternam sui memoriam quasi animo praesagiente praedixit, mirum quantum inclaruerant apud Romanos. neque enim dubium est, quin hunc Ennii locum ante oculos habuerint Verg. Georg. III 8 sq., et Ovid. Met. XV 871 sqq. ac fortasse etiam Ciceronis verba illa, quae supra commemoravimus, Hor. C. II 20, 21 sqq.; cf. III 30. praeterea duo libris suis inseruit Cicero Ennii epigrammata, quibus de Scipione Africano agitur: Tusc. V 17, 49 (fr. 4 M.) et de legg. II 22, 57 (fr. 3 M.); denique de div. II 54, 111 Ennium dicit carmina vel epigrammata scripsisse paulo artificiosiora, quae dicuntur ἀκροστιχίδες. 'non esse autem'

---

[1]) O. Jahn Herm. II 242 hos versus ad Saturas rettulit.

inquit 'illud carmen (i. e. Sibyllae) furentis cum ipsum poema declarat, tum vero ea quae ἀκροστιχίς dicitur, cum deinceps ex primis versuum litteris aliquid conectitur, ut in quibusdam Ennianis: 'Q. Ennius fecit.' id certe magis est attenti animi quam furentis.'

Sed haec hactenus. atque ut rei summam paucis complectar: fuit in Cicerone magna Ennii admiratio, fuit studium singulare, quod impendit in carmina eius pernoscenda. etenim aut Ennii ipsius aut carminum eius locis fere CLV facit mentionem, ex carminibus autem versus CCXXXVIIII (+ vv. XXXVII), [Ann. vv. LXXXII (+ vv. II), trag. vv. CXXXXVIII (+ vv. XXXVI), Satur. vv. IIII, Epigr. vv. V] scriptis suis intexuit. et quoniam hic praecipue poeta fuit, in quo Cicero summa cum delectatione versaretur cuique totum se dedisset, nihil mirabimur, quod Cicero saepissime nimis largas Ennio laudes tribuit, quae summam produnt eius admirationem: veluti pro Mur. 14, 30 de Ennio legimus: 'ut ait ingeniosus poeta et auctor valde bonus', de or. I 45, 198: 'sic appellatus a summo poeta est', eodemque modo de prov. cons. 21 'summus poeta' et de opt. gen. or. 1, 2 'summus epicus poeta.' porro ad carminum ipsorum dignitatem ac pulchritudinem spectant illae admirantis voces: Tusc. III 19, 45: 'o poetam egregium! . . . praeclarum carmen! est enim et rebus et verbis et modis lugubre', vel de div. I 31, 66: 'o poema tenerum et moratum atque molle.' sententiarum autem singularum praestantiam Cicero multis locis significat: veluti Tusc. IIII 33, 70 'bene ergo Ennius', de off. II 7, 23 'praeclare enim Ennius' atque ibid. 18, 62 'nam praeclare Ennius', de fin. II 13, 41 'hoc dixerit potius Ennius', de am. 17, 64 'quamquam Ennius recte', de sen. 20, 73 'sed haud scio an melius Ennius.' quid quod Cicero eo usque Ennii amoris processit, ut, si quidem verba illa Or. 48, 160 'ipsius antiqui declarant libri' recte interpretor, aut inspexerit aut adeo paraverit sibi libros vetustate insignes, qui ipsa Ennii aetate conscripti esse videbantur. atque quamquam vix putandum est eum, cum Attici bybliopolae amicus esset, tantam solvisse pro illis pecuniam, quanta temporibus insequentibus Antonium Iulianum rhetorem librum Ennianum conduxisse Gellius XVIII 5, 11 memoriae prodidit, tamen id quoque magnum mihi videtur documentum, quanti aestimaverit Cicero Ennium.

Nunc me convertam ad ceteros poetas tragicos, ac primum quidem ad M. Pacuvium, Ennii ex sorore nepotem, cuius fabulas magna ex parte etiam Ciceronis tempore actas esse videbimus. quamquam aliquanto minus impenderat Cicero in hunc poetam studium: cuius rei quae fuerit causa, infra demonstrabitur. itaque de Pacuvii vita, ut inde sumam exordium, nusquam loquitur Cicero nisi uno loco, ex quo possumus concludere, quo tempore viguerit Pacuvius, extat is Brut. 64, 229, ubi ad Accianam legen-

tes revocat auctoritatem (cf. p. 246). etenim cum in universum dixisset multis, quibus paulo longior vita contigisset, id evenisse, 'ut et cum multo maioribus natu, quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur', eius rei profert ex litterarum Latinarum historia exemplum: 'ut Accius' inquit 'eisdem aedilibus (614/140) ait se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset.' unde etiam quo anno natus sit Pacuvius possumus adsequi. iam vero quaerendum est, de fabulis Pacuvianis quid iudicaverit Cicero. atque ad poeticam earum spectat dignitatem, quod ille de opt. gen. or. 1, 2 Pacuvium summum dicit poetam tragicum. qua in re num rectum viderit, his quidem temporibus propter reliquiarum tenuitatem haud potest disceptari. sed in eo certe vel commodissime eum iudicasse statuamus necesse est, quod Pacuvium quodam modo cum Sophocle comparat de or. III 7, 27. in quo poeta satis versatum eum fuisse Lange ostendit p. 59, cum octo locis ad eius fabulas respiciat. atque plures sunt causae, de quibus poetas illos inter se licet componere: primum quidem in plurimis fabulis Pacuvius Sophoclem sibi proposuerat imitandum; certe ut Sophocles sic etiam Pacuvius ἀναγνωρισμῷ, quem dicunt, saepe videtur effecisse actionis περιπέτειαν,[1]) deinde e Sophocle plurima videtur sumpsisse argumenta, denique, ut iam ad externa veniam, quae sane sunt leviora, tamen huc una res potest referri: utrumque poetam videmus ad summam usque senectutem animi vigorem retinuisse et alacritatem (Brut. 64, 229). Cicero uno quidem loco, Tusc. II 21, 48 sqq. ex utriusque poetae 'Niptris' scaenam quandam respiciens Pacuvium dicit meliorem iniisse rationem quam Sophoclem, apud quem Ulixes perquam flebiliter lamentetur in volnere. qua in re non tam Pacuvii artem tragicam laudat quam prudentiam. 'intellegit' inquit 'poeta prudens ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram.' et celebratum esse ab artis aestimatoribus Pacuvium utpote poetam doctum testes sunt Hor. Epp. II 1, 55 sq., Quint. X 1, 97. quam quidem rem alii aliter interpretati sunt.[2]) sed hoc nihil ad nos. progrediendum enim est ad alia, quae extant apud Ciceronem de Pacuvio, iudicia. atque Or. 11, 36 legimus: 'sed in omni re difficillimum est formam, qui χαρακτὴρ Graece dicitur, exponere optimi, quod aliud aliis videtur optimum . . . . . Pacuvio (delector) inquit alius, omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus.' quod a Teuffelio p. 14 ad id in primis refertur, quod versus Pacuviani bene defluxerint atque numerose. sed haud scio an recte statuamus, si illud ornati referamus ad elocutionem ipsam orationis ornamentis distinctam, ita ut verbis illis a Cicerone idem fere exprimatur, quod de Pacuvio dicit Varro apud Gell. VI 14, 6, exemplum esse

[1]) Cf. G. S. Teuffel 'Caec. Stat., Pac., Att., Afran.', p. 6, 10 sq.

[2]) Cf. Teuffel p. 13.

ubertatis in lingua Latina Pacuvium.[1]) de hac igitur re rectam videmus Ciceronem iniisse sententiam, fortasse Varronis ductum auctoritate. atque quoniam elocutionem attigimus, deinceps exponatur, quid in universum senserit Cicero de sermone Pacuviano. qua in re disceptanda magni momenti est locus ille Bruti 74, 258: 'solum quidem . . . . . et quasi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam et Latinam, cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis. mitto C. Laelium, P. Scipionem: aetatis illius ista fuit laus tamquam innocentiae sic Latine loquendi — nec omnium tamen, nam illorum aequales Caecilium et Pacuvium male locutos videmus — sed omnes . . . . .' fuit enim uterque peregrinus, Caecilius Gallus, Pacuvius Brundisinus, quam ad rem fortasse adludit Cicero eis quae insequuntur verbis: 'sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur.' atque profecto multum sibi hac in re Pacuvium indulsisse vel frustula illa ostendunt, quae a grammaticis memoriae sunt prodita. neque vero alienum fore puto, si ad iudicium illud Ciceronis comprobandum exempla locutionis Pacuvianae congeram. ac primum quidem de substantivis si quaeramus, magna occurrit copia eorum in -tas vel -tudo desinentium, quae a puro sermone sunt aliena: v. 58 R. tristitas, 52 famulitas, 109 unanimitas, 161 orbitas, grandaeuitas, 178 discorditas, 188 concorditas, 292 timiditas, 301 desertitas; tum 126 vanitudo, 127 prolixitudo, 149 temeritudo, 164 anxitudo, 247 lenitudo, mollitudo, 313 paenitudo. accedit 'itiner' forma nominativi vice usurpata et accusativi 45. 121. 226. deinde, ut ad declinationem transeam, substantivorum, quorum stirpes in -o desinunt, genetivi numeri pluralis saepissime terminantur in -um: 34 armum, 43 parentum incertum inuestigandum gratia, 80 maiorum meum, 81 extum, 82 portentum pauos, 329 liberum, 335 armamentum stridor, 401 meum socium pectora, 404 altrix terra exuperantum uirum. quem usum quamquam contra poetas novos defendit Tullius, tamen in Pacuvio latius dispersum esse adfirmat Or. 46, 155: 'at ille alter (Pacuvius) in Chryse non solum . . . . 'maiorum meum', quod erat usitatum, sed durius etiam 'consílium, socii, augúrium atque extum intérpretes'; idemque pergit: 'postquám prodigium horríferum, portentúm pauos', quae non sane sunt in omnibus neutris usurpata.' tum casus per falsam ut ita dicam analogiam formati saepe admittuntur in substantivis declinationis quam dicunt grammatici quartae: 70 parti (gen. sing.), 77 flucti (nom. plur.), 97 aesti (nom. plur.), 172 grados, 133 soniti (gen. sing.). porro invenimus stirpem, frontem usurpata gen. masc. 51. 421. 382, specus gen. fem. 99 et 252, arva-ae et armenta-ae

---

[1]) Cf. Teuffel p. 12.

gen. fem. 396. 349. iam si ad adiectiva et pronomina transgredimur, haec videntur memoratu digna: 188. 208 perpes-tis, 307 copis-e, 136. 320 plerus, 230 egregiisima forma; tum 150. 395 med, 248 ted, 39 sed; 24 is (dat. plur.), 221 is (nom. plur.), 324 sapsa res, 39 illum eumpse, 94 quoius. sequitur, ut exempla congeram ex verborum usu Pacuviano, ac primum e formis ad verborum stirpes pertinentibus: 10 frendĕre, 229 fulgĕre, 217 poti (potiri), 114 sonit, 214 sonunt, 165. 344 tagit, 228 attigat, 110 deiugare, 195 adiugare, 222 abiugare, 207 danunt, 218 perf. pegi, 172 tetinerim, 226 tetinisse, 112 monerint. deinde verba activa, quae postea ut deponentia usurpabantur, legimus: 71. 203 rimarem, 101 opino, 181 moro, 166. 212 dignarent, dignet, 210 altercas, 225. 302 uagat, 298 tuta, 306 moderat; contra genere passivo legimus 354 miseretur: miseret, 100 potestur. e formis ad verborum terminationes pertinentibus has noto: 112 auerruncassint, 126 faxis (cf. 424), turpassis, 297 axim, 209 transaxim, 321 occisti, 325 accepso; 66. 282 expedibo. huc accedunt adverbiorum formae tales, quales sunt: 131 amiciter, 332 properiter, 73 aequiter, 322 facul, 424 topper. praeterea multa extant apud Pacuvium vocabula, quae admodum resipiunt antiquitatis situm; quorum aliquot hic adiungam exempla: 106 redamptruare, 385 spira, 150 tortum, 185 clepere, 213 unose, 271 infabre, 128 crepera res, 386 incicor, 227. 255 baetere, 232 camilla, 215 uugulus. verba autem, quae ipse fecit Pacuvius, non semper habuisse venustatem ex Quint. I 5, 67 potest concludi. quanta vero, ut iam huic rei finem imponamus, inter Pacuvii eiusque aequalium veluti Terentii, sermonem inter cedat differentia, ex eo potissimum perspicitur conspectu, quem de elocutione Plautina et Terentiana dedit Engelbrecht in Studiis Terent. p. 74 sqq. recte igitur Ciceronem dixisse statuamus necesse est Pacuvium male locutum esse, quamquam non est praetereundum Pacuvii fuisse Terentium aequalem natu multo minorem et antiquitatem quandam in dictione tragica inde ab Ennio usque ad Accium esse conservatam. quod si Cicero Or. 49, 164 versu quodam ex Pacuvio — ut videtur — citato haec profert: 'quare bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore Graecorum, nisi forte sic loqui paeniteat: 'quá tempestate . . parit' (inc. inc. f. 42), nihil aliud quam suasisse mihi videtur, ut verba etiam prisca, dummodo Latina essent, anteponerentur vocabulis Graecis, quibus libenter uterentur poetae novi. exemplum igitur adscivit e poeta antiquiore, qui priscum illum sermonem Latinum cum severitate quadam retinuisse videtur. itaque voces illas vere Latinas esse usurpandas dicit, fugiendam tamen asperitatem, cuius duo adfert exempla ex Pacuvio puto petitas[1]): 'habeo ístam ego perterrícrepam' itemque 'uérsutiloquas málitias.'

[1]) Cf. Quint. I 5, 67.

Iam accedendum est ad ipsas Pacuvii fabulas. quarum permultas ipsius Ciceronis aetate in scaena videri actas esse iam supra diximus. quas nunc persequi mihi in animo est. ac primum dicatur de Iliona (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 100 sqq., Roem. Trag. p. 232 sqq.), cui audientes maxime videntur favisse, quod ex eis, quae Cicero de ea memoriae prodidit, certo potest concludi. in primis autem verbis illis, quibus Deiphilus a Polymestore insciente pro Polydoro occisus matri per somnia visus auxilium petit atque ut sepulcro condatur obsecrat, vehementer commoti sunt spectantium animi. a qua commotione ne Cicero quidem videtur alienus fuisse, quamquam verba illa ut philosophus impugnat Tusc. I 44, 106: 'ecce alius exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat:

matér, te appello: tú, quae curam sómno suspensám leuas
neque té mei miseret, súrge et sepeli nátum [tuum].

haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, difficile est non eos, qui inhumati sint, miseros iudicare —

prius quám ferae
uolucrésque

metuit, ne laceratis membris minus bene utatur; ne combustis, non extimescit —

neu réliquias [quaesó] meas sireis dénudatis óssibus
per térram sanie délibutas foede diuexárier (fr. 4).

non intellego, quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.'[1]) agnovit igitur Cicero in hisce verbis magnam vim poeticam, cui vix ratiocinatio philosophorum possit repugnare. atque locus hic celeberrimus saepius Ciceroni ante oculos est versatus. namque huc respicit etiam Ac. pr. II 27, 88 ubi loquitur de dormientium visis: 'Iliona somno illo 'matér, te appello' — nonne ita credit filium locutum, ut experrecta etiam crederet? unde enim illa:

age astá: mane, audi: ítera dum eadem istaéc mihi' (fr. 5).

quam penitus autem haec scaena in populi etiam mente haeserit, ex ceteris locis Ciceronianis: pro Sest. 59, 126, ad Att. XIIII 14, 1, Tusc. II 19, 44 potes concludere.[2]) etenim primo loco Cicero, ubi de Appio Claudio praetore, Clodii fratre loquitur: 'is' inquit 'cum cotidie gladiatores spectaret numquam est conspectus, cum veniret. emergebat subito, cum sub tabulas subrepserat, ut 'matér te appello' dicturus videretur . . .' [3]) porro illud 'ítera dum eadem istaéc mihi' quasi πτερόεν ἔπος adhibetur altero loco:

---

[1]) De verbo 'septenarios' cf. Ritschl Mus. Rhen. XXVI 619, Bergk Phil. XXXI 240 sq., Ribbeck Roem. Trag. 234, adn. 8.

[2]) Adde Hor. Sat. II 3, 63 sqq.

[3]) Cf. schol. Bob. ad h. l.

'itera dum . . . mihi! coronatus Quintus noster Parilibus? Parilibus. solusne? solus . . . .' et tertio: 'si summus dolor est' inquit (Epicurus) 'brevem necesse esse. 'itera dum . . . mihi!' non enim satis intellego, quid summum dicas esse, quid breve.' denique ad eandem fabulam Welcker coniecit referendos esse versus, quos Cicero adfert de Or. III 58, 219, qui videntur sumpti esse ex oratione, qua Iliona Polydoro fratri ab oraculo Delphico venienti totum rerum ordinem explicavit. sunt autem versus hi:

> 'quá tempestate Hélenam Paris innúptis iunxit núptiis,
> égo tum grauida explétis iam fere ád pariendum mensibus:
> pér idem tempus Pólydorum Hecuba pártu postremó parit' (inc. inc. f. 42).

quae verba Cicero desiderare dicit vocis genus 'sine commiseratione grave quoddam et uno pressu ac sono obductum'. eademque respicit Or. 49, 164.

Iam vero sequitur, ut agam de Teucro (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 116 sqq., Roem. Trag. p. 223 sqq.), quae fabula populo adprime grata atque accepta fuisse videtur. quid quod materiem praebuit ad exercitationes rhetoricas, quippe qua varii generis orationes continerentur; cf. de Or. I 58, 246: 'nec quisquam est eorum, qui, si iam sit ediscendum aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere'. altero autem eiusdem operis loco II 46, 193, quamquam loquitur Antonius, tamen vix potest dubitari, quin Cicero ipse referat, quod suis oculis viderit. agitur enim de animi commotione, qua oratorem ipsum, qui alicuius causam susceperit defendendam, esse debeat, ut verbis suis audientium moveat animos. quod etiam fieri solere in scaena ab histrionibus. iam post exemplum e Teucro desumptum, verba dico illa, quibus Telamo senex excepit Teucrum, cum audivisset Aiacem esse mortuum, amissum Eurysacem, haec sequuntur: 'in hoc genere saepe ipse vidi, ut ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur ut sua sponte aliena dicentis:

> ségregare abs te aúsus's aut sine íllo Salaminam íngredi,
> néque paternum aspéctum es ueritus —

numquam illum aspectum dicebat, quin mihi Telamo iratus furere luctu filii videretur; ut idem inflexa ad miserabilem sonum voce:

> quom aétate exacta índigem
> líberum lacerásti orbasti extínxti, neque fratrís necis
> néque eius gnati párui, qui tibi ín tutelam est tráditus (fr. 12)

flens ac lugens dicere videbatur. quae si ille histrio, cotidie cum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat, quid Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse?' eodemque loco utitur de or. III 58, 217 Crassus, ut qui proferendus sit eo vocis genere quod iracundia sibi sumat: 'acuto, incitato,

crebro, incidenti'. ex ea autem oratione, qua Teucer adversus patrem iratum se defendere studet, complures inveniuntur apud Ciceronem versus, neque dubium est, quin ea Tullius vehementer sit delectatus. ac primum quidem Teucer locutus esse videtur de adversis, quae Graecorum ducibus obtigissent, auspiciis: Agamemnonem tamen naves solvi iussisse. huc igitur respicit Cicero de div. I 16, 29. deinde Teucrum dixisse veri simile est de horribili illa tempestate, qua Achivi Troia redeuntes in mari obruti essent. quam procellam Pacuvium summa cum arte depinxisse fragmenta ipsa ostendunt: unde facile eam inibimus sententiam Ciceroni vel maxime placuisse descriptionem illam omnibus orationis luminibus ornatam. iure enim ad eam rettulit Ribbeck inc. f. 45, cuius unam partem legimus de div. I 14, 24. quo loco demonstratur a Cicerone omnes fere artes homines fallere posse, neque tamen ideo dici posse eas artes esse nullas. 'quid?' inquit 'gubernatores nonne falluntur? an Achivorum exercitus et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio, ut 'profectione laeti piscium lasciviam intuerentur', ut ait Pacuvius, 'nec tuendi satietas capere posset?

> ínterea prope iam óccidente sóle inhorrescít mare,
> ténebrae conduplicántur, noctisque ét nimbum obcaecát nigror'.

num igitur tot clarissimorum ducum regumque naufragium sustulit artem gubernandi?' altera autem huius loci pars citatur de or. III 39, 157 magnis cum laudibus elocutionis: 'sed ea transferri oportet, quae . . . clariorem faciunt rem, ut illa omnia 'inhorrescít . . nigror

> flámma inter nubés coruscat, caélum tonitru cóntremit,
> grándo mixta imbrí largifico súbita praecipitáns cadit,
> úndique omnes uénti erumpunt, saéui existunt túrbines,
> féruit aestu pélagus.

omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt.' atque ex eadem oratione videtur sumptus esse versus ille, quem Caelius in epistula ad Ciceronem data (ad fam VIII 2, 1) facete adhibet (fr. 15). praeterea huic fabulae tribuit Ribbeck inc. f. 50 et inc. inc. f. 96, quae leguntur apud Ciceronem de div. I 36, 80, de inv. I 45, 83, denique locum illum communem inc. inc. f. 49:

> . . . . pátria est, ubicumque ést bene,

quae verba Teucrum patria decedentem, ut socios cohortaretur, dixisse e Tusc. V 37, 108 adparet (cf. Hor. C. I 7, 21 sqq.). Cicero enim demonstraturus ne exilium quidem a sapiente malum haberi Teucri illo adscito: 'itaque' inquit 'ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest . . . .'

Magna porro delectatione Chryses fabula spectantes videtur adfecisse (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 86 sqq., Roem. Trag. p. 248 sqq.), quippe quae scaenas haberet, quae magna certe excellebant pulchritudine. de Laelii quidem

aequalium huius fabulae admiratione satis constat. in primis autem magnum excitasse comperimus plausum locum illum, quo Thoas rex Orestem Pylademque, qui cum Iphigenia profugerant, in insula quadam consecutus, ubi a Chryse, Apollinis sacerdote, benigne erant excepti, ut Orestes sibi traderetur, petiit. sed cum Chryses ipse nondum sciret, uter eorum esset Orestes, utrumque iubet adduci: tum certamen illud inter amicos exoritur nobilissimum, quo spectantes penitus sunt commoti. est enim locus hic

P. égo sum Orestes. O. ímmo enimuero ego sum, ínquam, Orestes . . .
P. et O. . . . ámbo ergo igitur símul una enicárier
cómprecamur (inc. fr. 13).

quo de loco sic loquitur Laelius (de am. 7, 24): 'itaque, si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula! cum ignorante rege, uter Orestes esset, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret, stantes plaudebant in re ficta'. neque minorem huius loci fuisse admirationem Ciceronis ipsius tempore ex loco de fin. V 22, 63 evincitur. quem totum huc transferam, quia ex eo etiam perspicitur Ciceronem quoque eius pulchritudinem probe sensisse: 'an obliviscimur, quantopere in audiendo legendoque moveamur, cum pie, cum amice, cum magno animo aliquid factum cognoscimus? quid loquor de nobis, qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus? qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur: 'égo . . Orestes', contraque ab altero 'ímmo . . Orestes . .' cum autem etiam exitus datur conturbato errantique regi 'ámbo . . cómprecamur', quotiens hoc agitur, ecquandone nisi admirationibus maximis?' idemque locus Ciceroni sine dubio ante oculos versatus est de fin. II 24, 79. alio autem loco, Or. 49, 155, quo genetivi plur. in -um desinentis exempla Cicero congerit, ex ea oratione, qua Orestes Chrysi casus suos exposuit, ut videtur, petiit versus illos: 'ciués, antiqui . . . . . . portentúm pauos' (fr. 4). restant duo loci Pacuviani, a Cicerone commemorati, quos Ribbeck quondam Chrysi attribuit, in libro autem, qui inscribitur Roem. Trag. p. 256 sqq. num huc referri possint, valde dubitat.[1]) explicatur enim eis Anaxagorae philosophi de rerum natura doctrina, quae res cuinam ex Chrysis fabulae personis tribui possit non liquet. Ciceronem eos adhibuisse non est mirum, quandoquidem eius modi sententias undique ex poetarum carminibus eum videmus delibasse. itaque de div. I 57, 131 fratrem suum divinationis patrocinio suscepto cum aliis, tum his verbis

[1]) Cogitat Ribbeck de titulis Chrysae et Chrysippi a librariis confusis; nam Ciceronem ipsum errorem commisisse haud facile possis suspicari.

facit perorantem: 'quae si a natura profecta observatio atque usus agnovit, multa adferre potuit dies, quae animadvertendo notarentur, ut ille Pacuvianus qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognosse videatur:

. . . . nam isti quí linguam auium intéllegunt
plusque éx alieno iécore sapiunt quam éx suo,
magis aúdiendum quam aúscultandum cénseo (fr. 5).

cur? quaeso, cum paucis interpositis versibus dicas satis luculente:

quídquid est hoc, ómnia animat fórmat alit augét creat
sépelit recipitque ín sese omnia, ómniumque idem ést pater,
índidemque eadem aéque oriuntur de íntegro atque eodem óccidunt' (fr. 6).

atque in eiusdem loci versu, quem legimus de nat. deor. II 36, 91 'íd quod nostri caélum memorant, Grái perhibent aéthera' (fr. 6), Cicero Pacuvium erroris vel potius neglegentiae iure convincit; nam cum verba illa dicat homo non Romanus, sed Graecus, non potuisse eum dicere 'nostri caelum memorant'. denique de or. III 42, 167 ut exemplum verbi translati 'mollitur mare' commemoratur (fr. 1).

Notissima deinde non solum saepe in scaena agendo, sed etiam legendo videtur fuisse Ciceroni eiusque aequalibus Antiopa fabula (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 76 sqq., Roem. Trag. p. 281 sqq.). certe de off. I 31, 114 Tullius Rupilium histrionem semper egisse memorat Antiopam, de fin. I 2, 4 hac potissimum Pacuvii fabula legentes vel audientes maxime delectari posse dicit. 'quis enim' inquit 'tam inimicus paene nomini Romano est, qui . . . . . Antiopam Pacuvii spernat aut reiciat, quod se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat?' ex tota autem tragoedia, quae haud paucas exhibuisse videtur summae pulchritudinis scaenas, non facile fuit clarior locus ullus, quam ille, ubi Amphio et Zethus diversas quas inierant vitae rationes[1]) longiore oratione persequentes uberrime exposuerunt, quid hominibus boni adferretur hoc vel illo vivendi modo. huc igitur Cicero compluribus locis legentes revocat, neque dubium est, quin ille utriusque fratris orationibus, quibus certe argumenta etiam subtiliora ad res contrarias defendendas prolata sunt, admodum sit delectatus. quamquam a Cicerone notatur haec controversia, quod non ex re ipsa fluxerit, sed tamquam digressione facta fabulae inserta sit: de inv. I 50, 94 'aliqua pars argumentationis . . . aliquo in vitio reperietur . . . . aut si non id quod accusabitur, denfendet, . . . ut Amphion apud Euripidem, item apud Pacuvium, qui vituperata musica sapientiam laudat' (cf. rhet. ad Her. II 27, 43). de or. II 37, 155

[1]) Cf. Hor. Epp. I 18, 39 sqq.

autem Cicero Catulum sic facit ad Antonium salse loquentem: 'itaque eos (Carneadem, Critolaum, Diogenem), dum Romae essent, ... et ab aliis frequenter auditos; quos tu cum haberes auctores, miror cur philosophiae sicut Zethus ille Pacuvianus prope bellum indixeris'. ad quae Antonius versu Enniano respondet facete, de quo vide p. 281. planeque eandem rem videmus de re publ. I 18, 30 a Laelio attingi: 'atque idem (S. Aelius Catus), inquit, — multum enim illum audiebam et libenter — Zethum illum Pacuvii nimis inimicum doctrinae esse dicebat: magis eum delectabat Neoptolemus Ennii, qui se ait philosophari velle, sed paucis . . . .' at quamvis notissima fuerit haec fabula, apud Ciceronem non plus quattuor vel quinque versus ex ea petiti reperiuntur. de div. II 64, 133 de somniorum obscuritate agit, quae ut recte interpretemur deos velle debere, si quidem nos eis moneri velint; at tamen somnia saepissime ab hominibus non intellegi. nam ea talia esse, qualem Amphionis apud Pacuvium orationem:

'quadrupés tardigrada agréstis humilis áspera,
breui cápite, ceruice ánguina, aspectú truci,
euíscerata inánima cum animalí sono.

cum dixisset obscurius, tum astici respondent:

non íntellegimus, nísi si aperte díxeris (fr. 4).

at ille uno verbo 'testudo . . . .' huc etiam rettulit Ribbeck inc. inc. f. 70 'uírginem me quóndam inuitam pér uim uiolat Iúppiter', quo Tullius ad fam. VIIII 22, 1 usus est, fortasse ex illa oratione sumpto, qua Antiopa omnes, quos perpessa erat casus adversos, Amphioni Zethoque narrat, atque ut se benigne excipiant, obsecrat. denique huius fabulae argumentum Ciceroni potuit in mente versari de am. 19, 70, quamquam negari nequit similia argumenta et in aliis tragoediis et in fabulis, quae leguntur apud historicos, saepe recurrere, ita ut certo discerni non possit, quam potissimum Cicero loco illo fabulam respexerit.

Ex ceteris autem tragoediis Pacuvianis fortasse Niptra (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 107 sqq., Roem. Trag. p. 270 sqq.) vidit Cicero in scaena actam. describit enim Tusc. II 21, 48 locum illum, ubi Ulixes a Telegono filio percussus moriens effertur, eo modo, ut tamquam in scaena videatur spectare histriones agentes. atque magnam habet veri speciem eum anim illa magnitudine, qua se in volnere accepto praebet Ulixes, vel maxime esse commotum. docet enim h. l. molle illud, quod insit in animis hominum, superandum esse ratione, cuius rei adfert e Niptris exemplum. 'non nimis' inquit 'in Niptris ille sapientissimus Graeciae saucius lamentatur vel modice potius:

pedetémptim ac sedató nisu,
ne súccussu arripiát maior
dolor!

Pacuvius hoc melius quam Sophocles — apud illum . . . (cf. p. 285), tamen huic leviter gementi illi ipsi, qui ferunt saucium, personae gravitatem intuentes non dubitant dicere:

(Chor.) tu quóque Ulixes, quamquám grauiter
cernímus ictum, nimis paéne animo es
mollí, qui consuetús in armis
aeuom ágere.

intellegit poeta prudens . . . . . (v. p. 285). atque ille non inmoderate magno in dolore:

retinéte, tenete! opprímit ulcus:
nudáte! heu miserum me, éxcrucior!

incipit labi deinde ilico desinit:

operíte: abscedite iámiam.
mittíte: nam attrectatu ét quassu
saeuum ámplificatis dolórem (fr. 9).

videsne, ut obmutuerit non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor? itaque in extremis Niptris alios quoque obiurgat idque moriens:

cónqueri fortúnam aduersam, nón lamentarí decet:
íd uiri est offícium, fletus múliebri ingenio ádditus (fr. 10).

huius animi pars illa mollior rationi sic paruit ut severo imperatori miles prudens'. ex tota de hoc loco disputatione satis adparet Ciceronem non minus eo delectatum esse quam scaena illa ex Achille petita (p. 276 sq.), qua Eurypylus saucius similem vim prodit animi. postremo Cicero verborum facit mentionem servae illius, quae Ulixi peregre reverso pedes abluens, quis sit, agnoscit. quam ancillam Cicero quidem Anticleam appellat, cum Homerus Eurycleam nutricem inducat, quae illo fungatur munere, Anticlea autem nomen sit matris Ulixis. sed quoniam non est putandum Sophoclem vel Pacuvium matris hoc nomen in servam transtulisse, magnam habet veri speciem Ciceronem aliquo errore esse deceptum. fuit autem scaena illa mollitudine quadam, quae delectatione summa permulceret animos, versusque ipsi, ut M. Fronto dicit apud Gellium II 26, 13, iucundissimi. ex hac igitur parte, unde tractum fabulae nomen, versiculum adfert Cicero Tusc. V 16, 46, quo Anticlea similitudinem quandam in hospite se ait cognoscere cum Ulixe absente. legimus enim l. c.: 'haec quae sunt minima, tamen bona dicantur necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis et ea quae Anticlea laudat Ulixi pedes abluens: 'lénitudo órationis, móllitudo córporis' (fr. 2).

Porro Medus (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 103 sqq., Roem. Trag. p. 318 sqq.) Ciceronis tempore non fuit a scaena remota, si quidem hoc ex libri de off. I 31, 114, qui locus iam saepius est citatus, iure licet concludi: 'suum quisque igitur noscat ingenium acremque se et bonorum vitiorum suorum iudicem praebeat, ne scaenici plus quam nos videantur habere prudentiae. illi enim non optumas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt; qui voce freti sunt . . . Epigonos Medumque . . .' atque ex querela, Aeetae senis, qui a Medea filia destitutus, tum regno expulsus a Perse fratre, miserabili habitu in scaenam prodit, qui omnibus iniecerit miserationem, petita esse videntur quae Cicero Tusc. III 12, 26 recepit, cum aegritudinem positam esse in opinione mali recenti studuit demonstrare: 'quid? illum filium Solis nonne patris ipsius luce indignum putas?

refúgere oculi: córpus macie extábuit:
lacrimaé peredere úmore exsanguís genas:
situm ínter oris bárba pedore hórrida
intónsa infuscat péctus inluuié scabrum (inc. inc. 102).

'haec mala' ita pergit Cicero ad regem ipsum conversus 'o stultissime Aeeta, ipse tibi addidisti; non inerant in eis, quae tibi casus invexerat . . . . . . sed maeres videlicet regni desiderio, non filiae . . . .' deinde locum illum, ubi mirabili modo Medea ipsa in scaena adparet curru insidens, quem ducunt angues alites, Cicero duobus locis commemorat idque ea ratione, ut cognoscere possis hanc fabulam et praecipue scaenam illam, quippe quae sine dubio magno sit apparatu acta, vel notissimam fuisse Ciceronis aequalibus: de inv. I 19, 27 et de re publ. III 9, 14: 'nunc autem, si quis illo Pacuviano 'invehens alitum anguium curru' multas et varias gentes et urbes despicere et oculis conlustrare possit, videat primum . . .' denique dicatur de loco Tusc. IIII 32, 69, quo Cicero cum in alias libidines, tum in amorem invehitur et poetas non modice carpit, utpote qui fabulis suis illum defendant et tamquam deum aliquem celebrent. itaque summae esse arbitratur audaciae, quod Medea, ut se excusaret, ad Aeeten patrem in hac Pacuvii fabula, ut videtur, protulit: 'atque ea tamen' inquit 'patri dicere audet se coniugem habuisse

íllum, Amor quem déderat, qui plus póllet potiorque ést patre' (inc. inc. f. 95).

cf. praeterea de nat. deor. III 19, 48.

Sequitur, ut agam de Armorum Iudicio et de Hermiona. ac primum quidem ex Armorum Iudicio (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 80 sqq., Roem. Trag. p. 218 sqq.), quamquam etiam hanc fabulam Ciceronis aetate actam esse veri simile est[1]), perpauci adferuntur ab illo loci: Or. 46, 155, ubi

---

[1]) Id colligere licet ex Suet. Caes. 84; nam quo modo factum sit, ut cantarentur in ludis funebribus Caesaris ex hac fabula illa quae leguntur fr. 15, si ea iam lon-

loquitur de genetivi pluralis formis minus usitatis, cum alia, tum hoc adponit e Pacuvio exemplum: 'nec enim dixerim tam libenter 'armum iudicium', etsi est apud eundem

. . . nilne ad te dé iudicio armum áccidit?' (fr. 10).

his verbis aliquis in scaena alium de iudicii eventu interrogasse videtur, ita ut iudicium illud extra scaenam factum esse putandum sit (cf. Ribb. Roem. Trag. 220), quamquam causae, de quibus uterque heros Achillis arma sibi vindicanda censet, sine dubio palam in scaena expositae sunt (cf. Ovid. Met. XIII 11 sqq.). atque ex Ulixis versuti illius et callidi oratione sumptos esse versus coniecit Ribbeck, quos apud Ciceronem legimus de fin. V 11, 31:

'. . . . . quin etiám ferae,
quíbus abest ad praécauendum intéllegendi astútias,
[mórtis iniectó terrore] horréscunt' (inc. f. 8).

Iam ex Hermiona (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 96 sqq., Roem. Trag. p. 261 sqq.) unus extat apud Ciceronem versus, qui nimirum maxime ei erat probatus. sunt enim verba, ut Ribbeck arbitratur, ex Hermionae orationis alicuius exordio, quo se convertit ad illam 'suadae medullam', quae iam ab Ennio est celebrata:

'ó flexanima atque ómnium regína rerum orátio!' (fr. 14).

quem locum magna cum Pacuvii laude Cicero commemorat de or. II 44, 187: 'sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poeta dicta est 'flexanima . . . oratio', ut non modo inclinantem . . . . . sed etiam adversantem . . . . . ut imperator fortis ac bonus, capere possit' (cf. Quint. I 12, 18). fortasse etiam Tusc. II 21, 47 poetae verba Cicero in mente habuit, cum dixit: 'sed praesto est domina omnium et regina ratio, quae . . .'

Restat, ut versuum qui apud Ciceronem leguntur Pacuvianorum adponam conspectum eodem, quem in fabulis Ennianis secutus sum, modo et ordine:

Antiopa	4	—	1
Armorum Iudicium	1	3	—
Chryses	4	11	—
Hermiona	1	—	—
Iliona	6	—	3
Medus	—	1	8
Niptra	15	—	—
Teucer	5	10	8
	36	25	20
	61		(+20)

gius fuisset remota a scaena, haud intellego. ceterum num verba 'mén . . pérderent' cf. App. bell. civ. II 146) etiam Ciceroni or. Phil. II 3, 5, id quod suspicatus est Lange Vind. trag. Rom. p. 34, ante oculos versati sint, maximae mihi dubitationi obnoxium esse videtur.

Iam vero rem breviter comprehendam: sunt igitur ex Pacuvii fabulis inserti scriptis Ciceronianis versus LXI (+ XX); ipsius vel etiam eius fabularum mentio fit locis fere XXXVIIII. atque ex his, quae disserui, in propatulo est Ciceronem minus operam dedisse Pacuvii fabulis quam Ennii. quamquam enim permultae e tragoediis Pacuvianis aetate illa summo cum plausu sunt actae Ciceroque ipse Pacuvium dicit summum poetam tragicum, tamen videmus vix tertiam partem illius versuum numeri, quem in Ennii versibus ab eo adhibitis statuimus, ex fabulis Pacuvianis apud eum extare. nempe Cicero aliquantum offendisse eo videtur, quod Pacuvius non usus esset latinitate pura et castigata. quae ratiocinatio etiam comprobatur alia re. namque parem eandemque rationem etiam deprehendemus in Ciceronis Caecilii studiis. at tamen nullo pacto potest contendi Tullium non esse delectatum Pacuvii tragoediis aut prae sermonis illa condicione non intellexisse earum pulchritudinem atque gravitatem.

Sed nunc ad propositum redeundum atque de Accio, tertio illo tragicorum Romanorum principe, agendum est, qui quamquam eandem fere ac Pacuvius in fabulis suis servavit dictionis antiquitatem, tamen diligentius a Cicerone videtur esse lectitatus, sive quod fabulae eius ut recentioris temporis poetae saepius in scaena actae novam praebebant voluptatem, sive quod Cicero Accium ipsum annis iam provectum vidit eoque familiariter usus esse videtur. qua re fieri poterat, ut Cicero maiore incenderetur studio in egregium, quem ipse noverat, poetam. huc accedit, quod Accius certe non ignarus fuit sermonis puri, quippe qui animum advertisset ad res quasdam grammaticas[1]) et priscum illum sermonem in fabulis suis retinuit morem quasi gerens tragicae quam acceperat dictioni. quid quod Cicero in aestimandis quorundam oratorum facultatibus auctoritatem sequitur Accianam Brut. 28, 107: 'vester etiam D. Brutus, M. filius, ut ex familiari eius L. Accio poeta sum audire solitus et dicere non inculte solebat, et erat cum litteris Latinis, tum etiam Graecis ut temporibus illis, eruditus. quae tribuebat idem Accius etiam Q. Maximo'. atque eam inter Accium et D. Brutum familiaritatem attingit Cicero duobus aliis locis: pro Arch. p. 11, 27 'D. quidem Brutus summus vir et imperator[2]) Accii, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum'[3]), et de legg. II 21, 54 Accium dicit perfamiliarem D. Bruti. de poetica autem Accii dignitate nullum adfertur a Cicerone iudicium, nisi quod de or. III 7, 27 Accius quodam modo cum Euripide comparatur, credo, quod uterque ultimus fuit

---

[1]) Cf. Mar. Vict. Gramm. Lat. VI 8, 11 K., Ritschl Opusc. IIII 142. 153. 361. 492. 687.

[2]) Cf. Vell. Pat. II 5, Mommsen Hist. Rom.[7] II p. 17 sq. 122. 169.

[3]) Cf. Plin. N. H. XXXVI 5, 26.

populi sui magnus poeta tragicus. praeterea pro Planc. 24, 59 Accius a Cicerone in universum dicitur 'gravis et ingeniosus poeta'. atque Tullium, cum Accio gravitatem vindicaret, recte iudicasse inde sequitur, quod eadem fere iudicia apud alios antiquitatis aestimatores haud spernendos leguntur, veluti Horat. Epp. II 1, 56, Quint. X 1, 97. et Pacuvius ipse, cum Accius in Asiam proficiscens apud eum devertisset Tarenti eique Atreum tragoediam recitasset, sonora quidem esse quae scripsisset ille et grandia agnovit Gellio teste N. A. XIII 2, 3 sqq.[1]) iam vero de sermone Acciano duo extant apud Ciceronem loci: Or. 46, 156 accipimus Accium promiscue usurpasse genetivi pluralis formas in -um et -orum desinentes, quae res duobus comprobatur exemplis, ex Aegistho et Clytemestra, ut videtur, depromptis; tum Tusc. III 9, 20, ubi agitur de invidia, Cicero addit huius vocis etymologiam: 'quod verbum' inquit 'ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippo 'quísnam florem líberúm inuidít meum?' quam locutionem 'invidere aliquem' statim accuratius examinat. 'male Latine videtur' ait 'sed praeclare Accius; ut enim videre, sic invidere florem rectius quam flori. nos consuetudine prohibemur; poeta ius suum tenuit et dixit audacius.'[2]) quae vero alia inveniuntur apud Ciceronem iudicia, ut Tusc. I 44, 105 'melius Accius' vel Tusc. II 5, 13 'falsumque illud Accii', de off. III 29, 106 'idcirco recte a poeta', omnia pertinent ad singularum sententiarum praestantiam vel pravitatem, neque quicquam valent ad demonstrandum, quid senserit de poetica Accii facultate Cicero.

Iam in eo est, ut agamus de fabulis ipsis, quatenus Cicero eis dederit studium atque operam quantumque ex eis ceperit delectationis. atque pro eo quem instituimus ordine primum dicatur de eis, quae Ciceronis testimonio in scaena sunt actae. nulla autem magis probata videtur fuisse et universo populo et Ciceroni ipsi quam Atreus (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 161 sqq., Roem. Trag. p. 447 sqq.). in primis autem Atrei ipsius partes vel maxime videntur Ciceronem commovisse; namque ex eius orationibus plurimi fere sunt ab illo petiti versus. atque Aesopum, qui Atrei personam solebat agere (cf. Tusc. IIII 25, 55), Cicero habuisse ante oculos videtur de or. III 58, 219, ubi de vario in agendo vocis genere loquitur: 'aliud (vocis genus sibi sumat) vis, contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis:

iterúm Thyestes Átreum adtractatum áduenit,
iterúm iam adgreditur me ét quietum exúscitat:
maiór mihi moles, máius miscendúmst malum,
qui illíus acerbum cór contundam et cómprimam (fr. 3).

[1]) Cf. Teuffel l. c. p. 16. 31 sqq.
[2]) Cf. Quint. VIIII 3, 1.

Thyestes enim, qui propter adulterium a fratre erat expulsus, domum redierat. qua re Atreus novas suspicatus in se insidias novosque dolos parari consilium init maiore aliquo malo illius vitae adgrediendae. eodemque respicit Cicero de nat. deor. III 26, 68, ubi Cottam demonstrantem inducit rationem, quam dii hominibus quasi summum bonum dederint, persaepe fontem fieri summorum malorum. itaque, cum ex eiusdem poetae Medea, ut videtur, sceleratum illud Medeae consilium commemorasset, sic pergit: 'quid ille funestas epulas fratri comparans, nonne versat huc et illuc cogitatione rationem? 'maiór . . . cómprimam'. denique hi versus citantur Tusc. IIII 36, 77. porro ex eodem Atrei seu soliloquio seu sermone, quem iungit cum aliquo satellitum suorum, quocum in scaenam prodiit, sumpti sunt versus illi, quos legimus de nat. deor. III 27, 68. quibus Atreus, ut odium suum consiliumque nefarium excuset, quas sibi frater intulerit iniurias, exponit: coniugem suam ab illo perductam esse in stuprum (fr. 6. 7), tum 'stabilimen regni sui, agnum aurea clarum coma', sibi ab illo esse furto abreptum (fr. 8). itaque summum supplicium de Thyeste fratre sibi sumendum esse putat et fortasse comite suo, ut populi vereatur vocem, hortante illud 'óderint, dum métuant' (fr. 5) obicit, quod Cicero saepius commemorat: de off. I 28, 97: 'tum servare illud poetas, quod deceat, dicimus, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur: ut si Aeacus aut Minos diceret 'óderint dum métuant . . .' indecorum videretur, . . . at Atreo dicente plausus excitantur; est enim digna persona oratio'. atque in or. Phil. I 14, 34 Cicero, cum Antonium moneat, ne gloriosum putet metui a civibus suis, 'carum esse civem' inquit 'bene de re publica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est: metui vero et in odio esse invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. quod videmus etiam in fabula illi ipsi, qui 'óderint, dum métuant' dixerit, perniciosum fuisse. eademque Atrei verba leguntur pro Sest. 48, 102[1]). neque minus quadrat in Atrei personam praeceptum illud 'proinde íta parent se in uíta, ut uinci nésciant' (inc. inc. f. 60), ad quod legentes Cicero revocat Tusc. V 18, 52. notissima porro videntur fuisse propter sententiae magnam veritatem verba illa, quae Thyestes dixisse fertur ad filios suos:

. . . . uigilándum ést semper: múltae insidiae súnt bonis (fr. 9*).

quem versum Cicero pro Planc. 24, 59 his cumulat laudibus: 'quae scripsit gravis et ingeniosus poeta, non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et laudem excitaret'. et pro

---

[1]) Ceterum celeberrimum hoc dictum insequentibus etiam temporibus non evanuerat ex hominum memoria; cf. Suet. Tib. 59, Cal. 30.

Sest. 48, 102, cum eadem citasset verba, 'verissime dictum est' inquit; tum ex eis qui insequebantur versibus duos adicit

'íd quod multi inuídeant multique éxpetant inscítiast
póstulare, nísi laborem súmma cum cura écferas' (fr. 9[b])

et hisce disputationem suam concludit verbis: 'praeclara enim illa praecepta dederat iuventuti'. hos igitur versus Ciceronem etiam pro Planc. 24, 59 citasse mihi quidem persuasum est; legimus enim loco illo post 'sunt bonis': 'sed quod multi inuídeant'. quoniam vero eis, quae sequuntur, Ciceronem ad duos illos versus adludere manifestum est, ita ut omissis illis versibus sententiarum conexus pessum detur, eos a librario aliquo praetermissos esse arbitror. sed ad rem redeo. commemorat igitur Cicero illam quoque scaenam, ubi Thyestes fraude nefaria perspecta Atreum obiurgat, quod hospitium tam foede violaverit, quae scaena spectantium animos certe maxime commovit: de off. III 28, 102; 29, 106 (fr. 15). eodemque referendum videtur quod Atreus fratrem inludens dicit humanitate plane abiecta: 'natís sepulchro ipse ést parens' (fr. 14), quod legimus apud Ciceronem de off. I 28, 97 his adiectis 'at Atreo dicente plausus excitantur'. porro spectantibus non est dubium quin penitus in mente haeserint verba, quibus Thyestes voce miserabili quantum sibi paratum sit a fratre malum conqueritur. unde Cicero delibavit versiculos de or. III 58, 217: 'aliud . . . vocis genus iracundia sibi sumat, acutum, incitatum, crebro incidens:

ípsus hortatúr me frater, út meos malís miser
mándarem natós' (fr. 16).

quos versus etiam Tusc. IIII 36, 77, ubi de ira agitur, invenimus citatos. ad illam enim molem, quam Atreus in fratrem suum moliendam statuit, respiciens: 'quo igitur' inquit 'haec erumpit moles? audi Thyestem: 'ípsus . . . natós'. eorum viscera adponit. quid est enim quo non progrediatur eodem ira quo furor?' eiusdemque cantici videntur esse verba, quae tamquam proverbium Ciceroni usquequaque sunt in promptu, quibus Thyestes se concupiscere dicit evolare

'úbi nec Pelopidárum nomen néc facta aut famam aúdiam' (inc. inc. f. 64).

huc respicit Cicero ad fam. VII 30, 1, ubi Curioni, quam misere se habeat res publica, scribit: 'ego vero iam te nec hortor nec rogo, ut domum redeas: quin hinc ipse evolare cupio et aliquo pervenire, 'úbi . . . . . aúdiam', cf. ibid. 28, 2. atque in epistulis ad Atticum datis de eodem rei publicae statu cum scribit, eodem Thyestae utitur versu desiderium suum exprimens, ut possit concedere, ubi nihil iam audiat de re publica: ad Att. VIIII 10, 2; XIIII 12, 2; XV 11, 3, cf. or. Phil. XIII 21, 49. iam vero Atrei

sunt verba, quibus Thyesten maledicentem, ut videtur, iubet vinciri, quae commemorat Cicero Tusc. IIII 25, 55: 'an tibi irati tum videmur, cum quid in causis acrius et vehementius dicimus? quid? . . . .

écquis hoc animadvórtet? uincite! (fr. 18).

num aut egisse umquam iratum Aesopum aut scripsisse existimas iratum Accium?' totam autem Atrei personam iracundiae naturam prae se tulisse e loco de or. III 58, 217 adparet, ubi eadem verba legimus: 'aliud . . . . genus iracundia sibi sumat . . . . . . 'écquis . . . . uincite!' tum adicitur 'et Atreus fere totus'. quanto vero ardore Aesopus partes suas egerit, ut re vera iratus posset videri, ex narratiuncula illa potest intellegi, quam memoriae prodit Plut. in Cic. vita 5. ceterum praeter eos quos commemoravi locos ex hac fabula Cicero petiit versus Tusc. II 5, 13 (fr. 20), in Pis. 33, 82 (fr. 19), fortasse etiam de off. III 21, 84 (inc. f. 1).

Sed iam ad alia transeundum est. atque mirum satis certe nobis videbitur, quod Cicero e reliquis, quas ipsius tempore actas esse constat, Accii fabulis, perpaucos adscivit versus, id quod cadit praecipue in Clytemestram, in Epigonos, in Teucrum. etenim Clytemestram (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 139 sqq., Roem. Trag. p. 460 sqq.) actam esse cum Naevii Equo Troiano anno 699/55 Pompeio iterum consule ludos instaurante e Ciceronis ad Marium epistula adparet (ad fam. VII 1, 2). quas fabulas propter nimium apparatum nihil habuisse Cicero scribit, quo veram adferrent voluptatem: 'quid enim delectationis habent sescenti muli in Clytemestra . . . .?' quae verba Ribbeck p. 464 recte ad illam mihi videtur rettulisse scaenam, ubi Agamemno magna cum praeda ex bello Troiano triumphans domum rediit.[1]) ad hanc igitur fabulam quattuor locis videtur Cicero adludere: Or. 46, 156: 'múlier una duóm uirorum' (inc. f. 6), ad fam. VIIII 22, 1 'quae múlier una úsurpat dupléx cubile' (inc. inc. 68), quae verba videntur esse Electrae matrem obiurgantis; denique de or. III 41, 166 (inc. inc. 67) et Top. 16, 61 (inc. inc. f. 21).

Eodemque modo ex Cicerone de off. I 31, 114 colligi potest Epigonos fabulam (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 173 sqq., Roem. Trag. p. 487 sqq.) eius tempore esse actam primasque huius fabulae partes ei in primis convenisse histrioni, qui voce fretus fuerit. quamquam ad huius tragoediae duos tantum locos respicere videtur Cicero: de inv. I 50, 94, Verr. IIII 18, 39 (inc. inc. f. 77) et ad fam. VI 6, 6 ubi de se, cum secutus esset

[1]) Mirum quantum Horatius Epp. II 1, 189 sqq. cum Cicerone consentit in eius modi fabulis, quas nos dicimus 'Ausstattungsstücke', aestimandis; nam et ille multitudinis imperitae iudicium perversum castigat, quae plus delectationis habeat in apparatu quam in fabula ipsa.

partes Pompeianas, verbis utitur Amphiarai: 'itaque vel officio vel fàma bonorum vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego 'prudens ét sciens ad péstem ante oculos pósitam' sum profectus' (inc. inc. f. 78).

Ex Tereo autem, ut iam de hac loquar fabula (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 218 sq., Roem. Trag. p. 577 sqq.), ne unus quidem extat apud Ciceronem versus, quamquam certe ipsius tempore est acta idque etiam a. 710/44 Bruto post Caesaris caedem ludos Apollinares edente factum esse e compluribus apud Ciceronem locis elucet. atque Brutum quidem, ut eiusdem nominis praetexta ageretur voluisse constat (ad Att. XVI 5, 1), sed Antonio auctore actam esse Tereum (cf. ad Att XVI 2, 3): quam fabulam scaenas habuisse veri simile est,[1]) quibus libertas celebrata sit, a tyrannis impugnata. quod si statuemus, plane intellegemus quod Cicero Phil. I 15, 36 dicit: 'quid? Apollinarium ludorum plausus vel testimonia potius et iudicia populi Romani parum magna vobis videbantur? . . . . . . nisi forte Accio tum plaudi et sexagesimo post anno palmam dari, non Bruto putabatis . .' et or. Phil. II 13, 31: 'cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati?' denique or. Phil. X 4, 8: 'quamquam qui umquam aut ludi aut dies laetiores fuerunt, quam cum in singulis versibus populus Romanus maximo clamore et plausu Bruti memoriam prosequebatur?'

Iam venio ad Eurysacem (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 179 sqq., Roem. Trag. p. 419 sqq.), quam fabulam a. 697/57 esse actam ex orat. pro Sest. 56, 120 sqq. adparet. atque canticum illud, quo Eurysaces, ut videtur, populares incusabat, quod se praebuerint animo in Telamonem tam ingrato eumque regno expulerint, Aesopo histrioni suppeditavit materiem, unde concelebraret quam maxime amicum suum Ciceronem[2]). qua in re facere non possum, quin ipsius Ciceronis proponam verba luculenta sane: 'quid fuit illud, quod recenti nuntio de illo senatus consulto . . . . . . ad ludos scaenamque perlato, consessu maximo summus artifex (Aesopus) . . . . . fiens et recenti laetitia et mixto dolore ac desiderio mei egit ad populum Romanum multo gravioribus verbis meam causam, quam egomet de me agere potuissem? summi enim poetae ingenium non solum arte sua, sed etiam dolore exprimebat qua enim vi

qui rem publicam ánimo certo adiúuerit,
státuerit, steterít cum Achiuis

vobiscum me stetisse dicebat, vestros ordines demonstrabat! revocabatur ab universis

. . . . . ré dubia
haúd dubitarit uítam offere néc capiti pepércerit (fr. 13)

---

[1]) Cf. Ribb. p. 585.

[2]) Cf. Schol. Bobb. ad c. 56 et 57.

haec quantis ab illo clamoribus agebantur! . . . . . . 'súmmum amicum, súmmo in bello' nam illud ipse actor adiungebat amico animo et fortasse homines . . . . . . adprobabant 'summo ingénio praeditum!'. ex eis autem quae sequuntur, intellegi potest Aesopum ex Ennii Andromacha, cuius partes summa arte eum egisse de or. III 26, 102 legimus, canticum illud huic fabulae inseruisse, quo Andromacha Priami et patriae domus deplorat interitum (cf. p. 269 sq.); sic enim pergit Tullius: 'iam illa quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paulo post in eadem fabula (cf. Bergk, Phil. XXXI 238) sunt acta! 'o páter!' . . . . . me, me ille absentem ut patrem deplorandum putabat . . . . . . quanto fletu de illis nostris incendiis ac ruinis,[1]) cum patrem pulsum, patriam adflictam deploraret, domum incensam, eversam: quae sic egit, ut demonstrata pristina fortuna (illud 'uidi égo te . . . .' fr. 9), cum se convertisset 'haec ómnia uidi inflámmari', fletum etiam inimicis . . . . . excitaret'. eodemque loco duos praeterea adfert ex Eurysacis oratione versus:

'o íngratifici Argíui, inmoenes Grái, inmemores bénefici,
éxsulare sínitis, sistis pélli, pulsum pátimini (fr. 13)

. . . . . illud scripsit disertissimus poeta pro me, egit fortissimus actor . . . . de me, cum omnes ordines demonstraret, senatum, equites Romanos, universum populum Romanum accusaret'. huic etiam fabulae Ribbeck tribuit verba, quibus in Telamone reduce, omnibus rebus egente, stupet populus:

'hícine est ille Télamo, modo quem glória ad caelum éxtulit,
quem áspectabant, cuíus ob os Grai óra obuertebánt sua?' (inc. inc. 50);

quos versus legimus Tusc. III 18, 39 et ad fam. VIIII 26, 2, quorum loco posteriore admodum facete his verbis utitur Cicero. scribit enim ad Paetum se cenasse apud Volumnium Eutrapelum et quidem supra se accubuisse Atticum, infra Verrium, qui item erant Paeti familiares. tum iocose pergit: 'audi reliqua. infra Eutrapelum Cytheris accubit. in eo igitur, inquis, convivio Cicero ille, 'quem áspectabant, cuíus ob os . . . . . sua?' non mehercule suspicatus sum illam adfore . . . . .'

Sed his missis ad alia nos convertamus. atque ex ceteris fabulis vix potest dubitari, quin Philocteta (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 203 sqq., Roem. Trag. p. 376 sqq.), quamquam id diserte nusquam a Cicerone dicitur, eius tempore in scaena sit acta. quae res ideo magnam habet veri speciem, quod huius fabulae permultis locis fit a Cicerone mentio, saepius ita, ut perspici possit, quam longe lateque eius cognitio fuerit dispersa (cf. ad fam. VII 33, 1; Tusc. I 28, 68 de fin. V 11, 32). Cicero autem pro more suo atque natura eis in primis commovebatur scaenis, ubi Philocteta, quot et quanti sibi fuissent perpetiendi labores, disertis verbis conquerebatur, vel

[1]) Cf. Boissier, Cicéron et ses amis p. 232.

eis, ubi vehementi morbi impetu paene confectus ex imo pectore gemitus ducebat et querelas. unde plerique sunt a Cicerone sumpti versus: Tusc. II 7, 19, cum de dolore loquitur, quantum eum malum poetae fingant inducentes vel fortissimos viros lamentantes, Philoctetae utitur exemplo: 'aspice Philoctetam, cui concedendum est gementi . . . . . nihil igitur hunc virum sagittae, quas ab Hercule acceperat, tum consolantur, cum

e uíperino mórsu uenae uíscerum
uenéno inbutae taétros cruciatús cient (fr. 12).

itaque exclamat auxilium expetens, mori cupiens:

heu! quís salsis fluctíbus mandet
me ex súblimo uertíce saxi?
iam iam ábsumor: confícit animam
uis uúlneris, ulceris aéstus' (fr. 19).

eodemque respicit Cicero de fin. II 29, 94, ubi Epicuri illud impugnat magnum dolorem esse brevem, longinquum levem: 'huic (Philoctetae) Epicurus praecentet, si potest, cui 'e uíperino . . . cient'. sic Epicurus: Philocteta! si gravis dolor, brevis'. at iam decimum annum in spelunca iacet'. deinde Philoctetae lamentantis sunt verba, quae leguntur Tusc. II 14, 33 et de fin. II 29, 94:

[iaceo] in tecto úmido,
quod éiulatu, quéstu, gemitu, frémitibus
resonándo mutum flébilis uocés refert (fr. 11)

et ad fam. VII 33, 1:

. . . . pinnigero, nón armigero in córpore
tela éxercentur haéc abiecta glória (fr. 10),

quae l. c. sic transtulit Cicero in res suas, ut de declamationibus, quas adflicta re publica instituebat cum Cassio, Hirtio, Dolabella, haec scriberet a. 708/46 ad P. Volumnium: 'nos enim plane aut nihil sumus, aut nobis quidem displicemus . . . . . ut etiam, si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus, ingemiscamus, quod haec 'pinnigero, nón . . . . . tela éxerceantur', ut ait Philoctetes apud Accium 'abiecta glória'. fortasse ad eandem Philoctetae scaenam spectat quod Cicero profert de fin. V 11, 32. item illi Ribbeck etiam ea verba tribuit, quae sunt Tusc. I 28, 68, quibus Philocteta se potius

sub áxe posita ad stéllas septem, unde hórrifer
aquilónis stridor gélidas molitúr niues (fr. 20)

velle dicit vitam agere summis circumsaeptum malis quam in Graecorum castra proficisci. denique Ciceroni etiam placuisse videtur quae ipsi initio huius fabulae inserta erat Lemni insulae descriptio. ad hanc enim revocat legentes et Tusc. II 10, 23 (fr. 2) et de nat. deor. I 42, 119 (inc. inc. f. 37).

Iam agere nobis liceat de versibus, quos usurpavit Cicero Tusc. I 16, 37. ex eis enim, quibus adferuntur verbis, concludi potest fabulam illam, in qua hi versus inerant, Ciceronem ipsum actam vidisse. sic enim loquitur: 'frequens . . . consessus theatri, in quo sunt mulierculae et pueri, movetur audiens tam grande carmen:

ádsum atque aduenio Ácherunte uíx uia alta atque árdua,
pér speluncas sáxis structas ásperis, pendéntibus,
máxumis, ubi rígida constat crássa caligo ínferum (inc. inc. f. 38).

qui versus num sint ab Accio profecti, hoc quidem tempore vix potest diiudicari. Ribbeck coll. Sophocl. fr. 478 verba illa in Troadibus (Trag. Rom. fr. 197 sq., Roem. Trag. p. 416 sqq.) Achillis umbram locutam esse censet, qui, Polyxena ut immolaretur, petierit. mihi quidem magis quadrare videntur in versus, quos legimus in Eur. Hec. 1 sq., quam ob rem potius eos adsignem seu Accii seu Ennii Hecubae. quod tamen in medio relinquam.

Neque multo aliter res se habet in versibus, quos legimus apud Tullium ad Att. II 19, 3. scripsit enim hanc epistulam a. 695/59, postquam Pompeius summa rerum potitus est. neque tamen is, quo modo rem publicam gubernaret, rectam poterat ingredi viam, qua re civitas in summam incidit miseriam. [1]) itaque Ciceronem et Pompei miseret et rei publicae. 'Pompeius' inquit 'nostri amores, quod mihi summo dolori est, ipse se adflixit . . populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est . . ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium petulanter invectus est:

nóstra miseriá tu es Magnus . . . . .

miliens coactus est dicere.

eándem uirtutem ístam ueniet témpus cum grauitér gemes'

totius theatri clamore dixit itemque cetera. nam et eius modi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompei scripti esse videantur.

sí neque leges [té] neque mores cógunt (inc. inc. f. 63)

et cetera magno cum fremitu et clamore sunt dicta.' [2]) quos versus Ribb. p. 545 sq. ariolando Prometheo (Trag. Rom. fr. p. 187, Roem. Trag. p. 543 sqq.) studuit vindicare, qui, sicut apud Aeschylum 907. 939. 955 sqq. de Iovis queratur tyrannide, ita in fabula Acciana potuerit in Iovis dominatum libidinosum invehi. atque ad eandem fabulam revocanda videntur verba, quae legimus ad Att. I 18, 1 (inc. inc. f. 84), tum quae sunt de off. II 4, 13 et de nat. deor. II 60, 151 (inc. inc. f. 85).

Longius porro fragmentum ex Medea vel Argonautis (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 187 sqq., Roem. Trag. p. 528 sqq.) desumptum profertur de

[1]) Cf. Mommsen Hist. Rom.[7] III 305 sqq.

[2]) Cf. Val. Max. VI 2, 9.

nat. deor. II 35, 89, ubi Balbus stoicorum exponit disciplinam: philosophos primo quidem mundi adspectu conturbatos esse, postea autem, cum vidissent motus eius finitos atque aequabiles, intellegere eos debuisse inesse aliquem eius rectorem et moderatorem. atque similem rationem in aliis etiam rebus posse inveniri. ad quam rem demonstrandam exemplum praemittitur ex Medea petitum: 'atqui ille apud Accium pastor, qui navem numquam ante vidisset, ut procul divinum et novum vehiculum Argonautarum e monte conspexit, primo admirans et perterritus hoc modo loquitur:

. . . . . tánta moles lábitur,
fremibúnda ex alto, ingénti sonitu et spíritu.
prae se úndas uoluit, uórtices ui súscitat:
ruít prolapsa; pélagus respergít, reflat . . . .
. . . . érigit (fr. 1)

dubitat primo, quae sit ea natura, quam cernit ignotam; idemque iuvenibus visis auditoque nautico cantu:

sicút lasciui atque álacres rostris pérfremunt
delphíni, item alto múlcta Siluaní melo
consímilem ad auris cántum et auditúm refert' (fr. 2. 3)

certe haec pastoris stupentis descriptio navis numquam antea visae summa excellit pulchritudine poetica, quam etiam Cicero probe sensisse videtur, cum totum paene locum huc transtulerit. atque eiusdem Ribbeck suspicatur esse fabulae, quae in eodem Ciceronis opere III 26, 67 leguntur. sunt enim versus, quibus Medea, ut pater in persequendo retineretur, fratrem se obtruncasse narrat membraque articulatim dispersisse (inc. inc. f. 93): unde Cicero Cottam facit argumentum petentem, quo demonstretur rationem prorsus non esse beneficium a dis hominibus tributum.

Ex reliquis autem fabulis haud ita magnus versuum numerus invenitur in scriptis Ciceronianis, quamquam concedendum est ex una alterave fabula plures quam nunc putantur, versus posse sumptos esse. cum enim multis locis, quibus versus a Cicerone citantur, neque poetae neque fabulae nomen adiciatur, difficillimum est versus dispersos in certas digerere tragoedias. itaque primum eas persequamur fabulas, ex quibus versus a Cicerone adhibitos ab Accio esse profectos constat: ex Melanippo (Trag. Rom. fr. 190 sqq., Roem. Trag. p. 521 sqq.) exemplum illud verbi invidendi constructionis Tusc. III 9, 20 (fr. 1), ex Aegistho fortasse (Trag. Rom. fr. p. 138 sq., Roem. Trag. p. 464 sqq.) illud 'uideó sepulchra dúo duorum córporum' (inc. f. 5), quod propter genetivi 'duorum' formam adfertur Or. 46, 156 (cf. p. 298). tum tragoediae, cui nomen erat Epinausimache (Trag. Rom. fr. p. 176 sqq., Roem. Trag. p. 355 sqq.) videtur esse versus, qui legitur Tusc. I 44, 105 (inc. f. 13), Nyctegresiae (Trag. Rom. fr. 198 sqq., Roem. Trag. p. 362 sqq.) verba illa, quae

dicuntur de Agamemnone ob Graecorum cladem vehementer adflicto Tusc. III 26, 62:

'sçindéns dolore idéntidem intonsám comam' (inc. f. 19),

quem plangorem Cicero adludens simul ad Hom. Il. X 15 sq. dicit plane perversum esse atque inutilem. ex Phoenissis autem (Trag. Rom. fr. p. 211 sqq., Roem. Trag. p. 476 sqq.) locum illum Ciceroni in or. Cat. I 5, 10 ante oculos versatum esse Lange Vind. p. 34 monet, quo Eteocles fratrem ex urbe egredi iubet:

égredere, exi, ecfér te, elimina úrbe! (fr. 7).

Iam vero qui praeterea inveniuntur apud Ciceronem ex tragoediis versus, certo quidem Accio nequeunt attribui, quamquam Ribbeck multos ex eis versibus suo iure singulis Accii fabulis dedisse mihi videtur. ac primum quidem ex Armorum Iudicio (Trag. Rom. fr. p. 154 sqq., Roem. Trag. p. 368 sqq.) sumptos esse arbitratur versus, quos Cicero citat de off. III 26, 98. neque enim dubium est, quin Aiacis atque Ulixis orationes, quibus sua uterque de Graecis merita enumeravit, alterius autem facinora imminuere atque infringere studuit, summa adfecerint Tullium delectatione (cf. Pacuvii Arm. Iud. p. 296). itaque ex Aiacis oratione depromptus est locus, quo ille Ulixem incusat simulatae insaniae. demonstrat enim Cicero honestatem saepe certare cum utilitate, quam rem primum ex fabulis ipsis comprobandam suscipit. 'utile' inquit 'videbatur Ulixi . . . . sed insimulant eum tragoediae simulatione insaniae militiam subterfugere voluisse . . . . quid enim auditurum putas fuisse Ulixem, si in illa simulatione perseveravisset? qui cum maximas res gesserit in bello, tamen haec audiat ab Aiace:

cuius ípse princeps iúris iurandí fuit,
quod ómnes scitis, sólus neglexít fidem:
furere ádsimulare, né coiret, ínstitit.
quod ní Palamedi pérspicax prudéntia
istíus perspexet málitiosam audáciam,
fidé sacratae iús perpetuo fálleret' (inc. inc. f. 31).

eodemque modo Ciceroni sine dubio vel maxime placuit certamen illud de feminarum virtutibus, quod in ipso Meleagri initio (Trag. Rom. fr. p. 193 sqq., Roem. Trag. p. 506 sqq.) fuit inter Atalanten, fortissimam viraginem, et Cleopatram, Meleagri uxorem, molliore praeditam natura. qua in controversia Atalante Spartiatarum virginum mores leviter potuit attingere. huius loci igitur Cicero videtur mentionem facere Tusc. II 15, 36, ubi quanta sit utilitate corpus laboribus adsuefacere ostendit: 'itaque illi' ait 'qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, corpora iuvenum firmari labore voluerunt; quod Spartiatae etiam in feminas transtulerunt,

quae ceteris in urbibus mollissimo cultu 'parietum umbris occuluntur' (Ribb. umbris ócculuntur párietum). illi autem voluerunt nihil horum simile esse:

ápud Lacaenas uírgines,
quibus mágis palaestra, Euróta, sol, puluís, labos,
milítia studio est quám fertilitas bárbara' (inc. inc. f. 111).

atque eiusdem fortasse fabulae versus est, quem legimus de off. I 18, 61:

uós enim, iuuenes, ánimum geritis múliebrem, illa uiragó uiri' (inc. inc. f. 113).

Denique ex Telepho (Trag. Rom. fr. p. 215 sqq., Roem. Trag. p. 344 sqq.) petiti videntur esse anapaesti, qui leguntur de fin. II 6,18 (inc. inc. f. 18), ex Athamante (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 160 sq., Roem. Trag. p. 526 sqq.) versus, qui adfertur ad fam. VIIII 22, 1 (inc. inc. f. 69). Phoenicis in Myrmidonibus (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 137 sq., Roem. Trag. p. 349 sqq.) verbis, quae ille 'senior magister' ad Achillem videtur fecisse, ut eius auxilium Graecis oppressis reciperaret, iure fortasse tribuitur versus, quo utitur Cicero pro Mur. 29, 60 (inc. inc. f. 28). accedunt duo loci Acciani, qui cui fabulae inserendi sint plane dubium est: de nat. deor. II 38, 90 (inc. f. 7), et ibid. 16, 41 (inc. f. 17); cf. etiam de fin. IIII 25, 68 (inc. f. 32).

Restat, ut agamus de Bruto fabula praetexta (Ribb. Trag. Rom. fr. p. 283 sqq., Roem. Trag. p. 586 sqq.), quam Ciceroni propter ipsum argumentum, cum ex Romanorum rebus gestis sumptum esset, valde gratam fuisse veri simile est. huc accedebat, quod ipsius tempore haec fabula in scaena agebatur (cf. ad Att. XVI 5, 1). de anno quidem 697/57 constat. acta est eo praeter Eurysacem fabulam Brutus, cum nuntius de senatus consulto, ut Cicero restitueretur, in theatrum est adlatus (cf. p. 302 sqq. et pro Sest. 56, 120). itaque Aesopus, Ciceronis amicus, quos poterat harum fabularum versus, ad Ciceronem ipsum convertit. neque dubitandum est, quin in primis altera fabula, in qua Brutus inducebatur regem illum superbum expellens patriamque vindicans in libertatem, haud paucos exhibuerit locos, quibus Cicero ut patriae pater ac liberator celebrari posset. itaque Tullius ipse de ea re pro Sest. 58, 123 haec dicit: 'utrum igitur haec Aesopum pro me aut Accium dicere oportuit, si populus Romanus liber esset, an princeps civitatis? nominatim sum appellatus in Bruto:

Túllius, qui líbertatem cíuibus stabíliuerat (fr. 4).

miliens revocatum est'. erant autem verba illa de Servio Tullio rege.[1]) quanto opere autem Cicero hac fabula delectatus sit, inde potest perspici, quod de div. I 22, 44 sq. Quintum fratrem viginti duo ex hac citantem facit versus de eo, quod Tarquinius Superbus habuerit, somnio. ac videtur rex ipse

---

[1]) Cf. schol. Bob. ad h. l.

vatibus narrasse (cf. Cic. l. c.: 'cuiusnam modi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto Accii loquitur ipse?') se ex duobus eximia pulchritudine arietibus, quos pastor ad se adpulisset, unum immolasse, ab altero autem graviter vulneratum concidisse (fr. 1). adicitur statim visorum explicatio: ('eius igitur somnii a coniectoribus quae sit interpretatio facta videamus':) citantur versus decem (fr. 2), ex quibus potest intellegi coniectores arietem alterum ita esse interpretatos, ut eo L. Iunium Brutum, qui hebeti animo habebatur, significari dicerent.

Sed haec quidem hactenus. reliquum est, ut fabularum addam conspectum, quae Ciceroni notae fuisse videntur:

Aegisthus	—	1	—	Myrmidones	—	—	1
Armorum Iudic.	—	—	6	Nyctegresia	—	1	—
Athamas	—	—	2	Philocteta	19	—	4
Atreus	26	1	2	Prometheus	—	—	5
Clytemestra	—	1	5	Telephus	—	—	2
Epigoni	—	—	4	Troades	—	—	3
Epinausimache	—	1	—	Brutus	23	—	—
Eurysaces	6	—	3	Inc. f.	5	—	—
Medea	15	—	7		95	5	50
Melanippus	1	—	—		100		(+ 50)
Meleager	—	—	4				

Erant igitur, id quod ex eis, quae supra disseruimus, adparet, Accii fabulae Ciceronis tempore universo populo valde gratae atque acceptae, neque dubium est, quin Tullius ipse magnam ex eis perceperit voluptatem, quippe qui circa C versus ex eius fabulis in scripta sua receperit, poetae autem ipsius locis XXXXIIII fecerit mentionem. quamquam negari non potest eum longe non tanta imbutum fuisse Accii admiratione, quanta amplexus est Ennium (cf. p. 284).

Nunc, priusquam ad poetas comicos eorumque Ciceronis studium explicandum transeo, liceat mihi, quoniam ex reliquis poetis tragicis nullus fere extat, quantum video, apud eum versus — solius Atilii, de quo inter comoediarum scriptores nobis agendum erit, uno loco commemoratur Electra (cf. Ribb. Roem. Trag. p. 609); de Quinti fratris autem poetica facultate (cf. Ribb. Roem. Trag. p. 617) suam Cicero cohibet Academicorum more sententiam — illos locos congerere, quibus versus quidem tragici adferuntur, sed tales, quorum neque origo neque fabula, cui erant inserti, hoc tempore constitui potest. sunt igitur loci hi: inc. inc. f. 24: ad Q. fratrem II 10, 3; fr. 58: Tusc. IIII 16, 35; fr. 59: Tusc. I 5, 10; fr. 61: de or. III 39, 158; fr. 62: de or. III 38, 154, Or. 49, 164; fr. 74: de or. III 41, 166; fr. 76: Or. 49, 164; fr. 80: de fin. II 22, 71; fr. 82: pro Rab. Post. 10, 28; fr. 86: or. Phil. XIII 21, 49; fr. 88: pro rege Deiot.

9, 25; fr. 92: Or. 49, 163; fr. 100: de off. I 39, 139; or. Phil. II 41, 104; fr. 104: Or. 47, 157; fr. 107, 108: Or. 49, 166, Top. 13, 55; fr. 110: ad Att. XII 51, 3, XIIII 21, 3, Top. 13, 55; fr. 112: Tusc. II 14, 34; (fr. 153: ad Att. VI 9, 6; fr. 154: ad Att. IIII 1, 8; 2, 1; ad Brut. I 10, 2, quos versus dubitat Ribbeck utrum tragoediae an comoediae tribuat). sunt igitur versus XXV (+ II), qui neque poetae certo neque fabulae possunt vindicari.

Sed iam de Ciceronis poetarum comicorum studiis nobis exponendum est. atque quam ille in universum de comoedia inierit sententiam, ex loco illo de re publ. IIII 11, 13 potest perspici, quem Donatus servavit de com. et trag. p. LVII Terent. ed. Westerh.: 'comoediam esse Cicero ait imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.' eademque fere sententia extat pro S. Rosc. Am. 16, 47: 'haec (in comoedia) conficta arbitror esse a poetis, ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem vitae cotidianae videremus.' quamquam igitur saepius poetae comici a Cicerone notantur, quod fabulis suis flagitia et scelera spectantibus ante oculos ponant, hoc tamen eis licere Tullius concedit, cum vitae cotidianae effigiem exprimant, cf. de re publ. IIII 10, 11: 'numquam comoediae, nisi consuetudo vitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent'. atque idem iudicium legitur Tusc. IIII 32, 69, ubi citatis aliquot ex Caecilio de amore versibus haec profert Cicero: 'o praeclaram emendatricem vitae poeticam! quae amorem, flagitii et levitatis auctorem, in concilio deorum conlocandum putet. de comoedia loquor, quae, si haec flagitia non probaremus, nulla esset omnino.' quae vero videatur comoediam Latinam in universum aestimanti atque cum Graeca componenti illius natura, recte mihi videtur Cicero intellexisse eodem de re publ., quem supra pro posui, loco. respicit enim ibi veterem quae dicitur Atticorum comoediam, cuius princeps fuit Aristophanes. hunc autem non minus quam ceteros illius aetatis comicos Ciceroni non fuisse ignotos ex eis, quae Lange disseruit p. 47 sq., adparet. quamquam ille audacius quam verius dicere mihi videtur veri simillimum esse aut omnino nullam aut perpaucas Aristophanis comoedias Ciceroni notas fuisse. quod si ita esset, qui potuisset Cicero tot locis comoediae Atticae praedicare facetias? (cf. de off. I 29, 104; ad fam. VIIII 15, 2; de or. II 54, 217; Brut. 62, 224). itaque eum fugere non potuit poetas illos non solum rei publicae statum depinxisse fabulis suis et, ubi eis videretur, perstrinxisse, sed etiam vivos tum homines, seu qui ad rem publicam gubernandam accessissent seu qui rei militaris aut litterarum essent studiosi, in scaenam nominatim induxisse eorumque vitia castigasse. quae ratio a poetarum Romanorum fabulis, quippe

qui plerumque mediae et novae quae dicitur Atticorum comoediae se adplicaverint, prorsus est aliena. itaque in universum recte Cicero Africanum facit haec disputantem: 'quem illa (vetus comoedia) non attigit vel potius quem non vexavit? cui pepercit? esto: populares homines improbos, in re publica seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit. patiamur, etsi eius modi cives a censore melius est quam a poeta notari: sed Periclem, cum iam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et exagitari in scaena non plus decuit quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Cn. Scipioni aut Caecilius Marco Catoni maledicere.' haec servata sunt ab Augustino de civ. dei II 9, qui haec addit: 'dicit deinde alia et sic concludit hunc locum, ut ostendat veteribus displicuisse Romanis vel laudari quemquam in scaena vivum hominem, vel vituperari.' quamquam statuamus necesse est Ciceronem non satis accurate haec exposuisse, cum Naevium sciamus ob assiduam maledicentiam et probra in primores civitatis (Gell. III 3, 15; cf. Plaut. Mil. Glor. II 2, 57 sq.) in vincula esse coniectum, denique patria expulsum. potuit sane eam rem Cicero attingere in eis, quae sequebantur, et eo ipso, quod principes civitatis tanta severitate in Naevium animadverterant, demonstrasse eius modi comoedias illis prorsus non fuisse probatas. sed quia in Naevii fabulas Ciceronem haud ita magnum impendisse studium constat, fieri etiam potuit, ut haec plane omitteret.

Iam vero sequitur, ut ad singulos poetas ac primum quidem ad fabularum palliatarum scriptores accedamus,[1]) atque ex Livii, Naevii (cf. p. 256), Ennii comoediis nullus extat apud Ciceronem locus. itaque statim ad Plautum mihi liceat transire. de cuius aetate quid senserit Cicero, supra docui p. 253. raro autem eius praeter illas, quae ad aetatem Plautinam spectant, rationes (Brut. 15, 60; 18, 73; Tusc. I 1, 3; de sen. 14, 49) pro fabularum numero fit mentio. neque enim Cicero, quamquam amantissimus erat facetiarum leporisque urbani (cf. de or. I 34, 159) et ipse, ut Ennii utar verbis, flammam facilius ore in ardente opprimeret quam bona dicta teneret,[2]) Plauti fabulas videtur contrivisse lectitando. quamquam non negaverim eum adulescentem operam quandam dedisse fabulis Plautinis, ex quibus haud paucas etiam locutiones in ipsius orationes, in primis in eas, quas iuvenis habuit, receptas esse videmus. sed annis volventibus Cicero animum a Plauto avertisse videtur ad Terentium, quem in comicis praecipue adamavit. etsi enim Plauti sermonem incorruptum laudibus tollat (de or.

---

[1]) Cf. I. Schaefler 'Ciceros Verhältnis zur altrömischen Comoedie', B. f. B. G. 20, p. 285 sqq.

[2]) Cf. Quint. VI 3, 8 sqq.

III 12, 45), is tamen erat sermo, qui prorsus antiquitatem resiperet neque oratorem elegantiae studiosissimum posset aliqua ex parte iuvare. atque Tullium re vera minus fuisse versatum in comoediis Plautinis, vel locus ille de off. I 29, 104 prodere mihi videtur. 'duplex' inquit ibi 'omnino est iocandi genus: unum inliberale, petulans, flagitiosum, obscenum, alterum elegans, urbanum, facetum. quo genere . . . Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia . . . referti sunt.' verum haud scio an multae Plauti fabulae vel earum loci quidam, quibus 'spúrcidici insunt uórsus inmemorábiles' (Capt. Prol. 56), etiam ad prius illud iocorum genus sint referenda. sane quidem iudicium illud et inde potest explicari, quod Cicero hac in re eodem studio ductus est, quo Naevii causam contra Ennium suscepit acerrime defendendam (v. p. 260): ut enim ibi non passus est quicquam detrahi de poesis Romanae laudibus, sic hoc loco ut homo Romanus palliatam veteri Atticorum comoediae parem esse contendit[1]). qua de re prorsus aliter iudicat Horatius A. P. 270 sqq.[2]). multas autem Plauti fabulas Ciceronis tempore vel doctis hominibus minus notas fuisse ex ep. ad fam. VIIII 16, 4 videtur concludi posse, ubi Ciceronem in eruditissimis habuisse adparet eos, qui Plauto darent operam. fortasse eodem loco, quamquam de Servio loquitur (cf. p. 246), Varronem habuit in mente, quem fabulas Plautinas recensuisse scimus (cf. Ritschelii Parerg. p. 73 sqq.). scripsit enim Cicero 708/46 haec ad L. Papirium Paetum: 'sed tamen ipse Caesar habet peracre iudicium, et, ut Servius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret: hic versus Plauti non est, hic est.'

Ex fabulis ipsis, ad quas nunc accedam, haud ulla Ciceronis aetate magis videtur nota fuisse quam Trinummus. hanc enim persaepe commemorat Cicero. veluti de inv. I 50, 95 initium adfert huius fabulae ut exemplum infirmae rationis: 'aut si infirma (ratio reddetur), ut Plautus:

amícum castigáre ob meritam nóxiam
inmoénest facinus, uérum in aetate útile
et cónducibile. nám ego amicum hodié meum
concástigabo pró conmerita nóxia' (I 1, 1 sqq.);

qua in re Ciceronem falsum esse Brix ad h. l. luculente ostendit. porro ex omnibus fere huius fabulae partibus extant apud Tullium versiculi: e scaena (II 2), qua Lusiteles Philtonem patrem orat atque obsecrat, ut sine dote sibi liceat ducere uxorem Lesbonici amici sororem, petitus est

1) Cf. Lorenz. in praef. Mostell. p. 32.

2) At vestri proavi Plautinos et numeros et
laudavere, sales nimium patienter utrumque,
ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
scimus inurbanum lepido seponere dicto
legitimumque sonum digitis callemus et aure.

versus ad Brut. I 2, 5 et ad Att. XII 38, 2. dicit enim Philto ad filium, qui vitam probam, quam omni tempore egerit, praedicat:

'quíd exprobras, bene quód fecisti? tíbi fecisti, nón mihi:
míhi quidem aetas áctast ferme, túa istuc refert máxume' (II 2, 37 sq.).

quorum versu posteriore Cicero in eis quas dixi epistulis de se utitur ut sexagenario. proverbialem autem habere videtur naturam, quod eodem loco Lusiteles profert de patris praeceptis:

'sárta tecta túa praecepta usque hábui mea modestia' (II 2, 36);

quam ob rem vix pro certo dici potest Ciceronem huc adlusisse ad fam. XIII 50, 2: 'hoc mihi da atque largire, ut M. Curium sartum et tectum, ut aiunt, ... conserves.' idemque cadit in alios Trinummi locos quosdam, veluti IIII 2, 57 'e mánibus dédit mi ipse ín manus,' cf. Cic. ad fam. VII 5, 3, 'totum denique hominem tibi ita trado de manu, ut aiunt, in manum tuam istam.' at quae inter Lesbonicum et Stasimum servum instituuntur pecuniae profusae rationes II 4, Ciceroni certe ante oculos versatae sunt in Pis. 25, 61. sentiens enim adulescens se esse a servo emunctum haec dicit:

'nequáquam argenti rátio comparét tamen'.

tum ridicule servus:

'ratió quidem hercle adpáret: argentum οἴχεται' (II 4, 16 sq.),

quod Stasimi responsum Cicero facete adhibet de rationibus, quas Piso dederit provinciae administratae: 'ita enim sunt' inquit 'perscriptae scite et litterate, ut scriba, ad aerarium qui eas rettulit, perscriptis rationibus secum ipse caput sinistra manu perfricans commurmuratus sit: 'ratió ... οἴχεται.' sed eundem Trinummi locum Ciceronem in mente habuisse ad Att. VI 1, 1 ('qua re non οἴχεται tua industria, quod vereris, sed praeclare ponitur'), id quod Brix censet ad Trin. 418, propter solam vocem οἴχεται ego quidem contendere non ausim, quia illud οἴχεται in populi ore videtur fuisse, quem ad modum nos dicimus 'ist pfutsch'. iam ex iucundissima totius fabulae scaena (III 2; cf. Brix. in Trin. praef. p. 27) versiculus citatur de or. II 10, 39. est enim locus ille, ubi Lusiteles et Lesbonicus adulescentes eximia animi magnitudine officiis inter se certant: Lesbonicus, qui suam rem familiarem profuderat, sorori agrum, quem habet ultimum, doti relinquere vult, neque tamen Lusiteles illius sororem ducturus quicquam accipit ab amico: inde controversia, quam interpellat Stasimus, quasi sit certaminis arbiter, his verbis:

'nón enim possum quín exclamem: euge, eúge, Lusitelés, πάλιν.
fácile palmam habés: hic uíctust: uícit tua comoédia (III 2, 79 sq.).

hunc igitur locum Cicero respicit ita, ut arte dicendi ab Antonio summis laudibus elata sic faciat Catulum loquentem: 'etsi, Antoni, minime impedi-

endus est interpellatione iste cursus orationis tuae, patiere tamen mihique ignosces. 'nón enim possum, quín exclamem,' ut ait ille in Trinummo; ita oratoris mihi vim cum exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime...'— denique de sen. 14, 50 obiter fit duarum Plauti fabularum mentio, quas poetam senem scripsisse refert Tullius. 'si vero' inquit 'habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute iucundius ... quam gaudebat ... Truculento Plautus, quam Pseudulo!' quarum posteriorem Ciceronis etiam aetate actam esse ex oratione pro S. Rosc. Com. 7, 20 adparet. invehitur enim Cicero eo loco in Fannium Chaeream, hominem impurissimum, atque huius morum descriptione praemissa sic pergit: 'cuius personam praeclare Roscius in scaena tractare consuevit neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. nam Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem cum agit, agit Chaeream; persona illa lutulenta, impura, invisa in huius moribus, natura vitaque est expressa' (cf. etiam ibid. 17, 50). Ballio autem, ut Phormio et Gnatho parasiti Terentiani hominis sordidi exemplar habebatur; cf. or. Phil. II 6, 15: 'hodie non descendit Antonius? cur? dat nataliciam in hortis. cui? neminem nominabo: putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni.' cuius nominis commemoratio eo maioris in hoc sententiarum conexu erat momenti, quod cuivis audientium certe in memoriam est revocata scaena illa, ubi Ballio diem natalem celebraturus omnium se praebet impurissimum.[1])

Haec sunt omnia, quae ego quidem de Plauto eiusque fabulis invenire potui apud Ciceronem. sunt igitur loci XV, quibus hoc de poeta fit mentio, versus autem a Cicerone citantur non plus VII.

Deinceps dicatur de Caecilio Statio, cuius fabulas mediam tenuisse quasi viam inter Plautinas et Terentianas iure monuit Ritschl Parerg. p. 145. qui cum Menandri praecipue comoedias sibi proposuerit imitandas (cf. de opt. gen. or. 6, 18; de fin. I 2, 4, Teuffel 'Caec. Stat., Pacuv. ..' p. 4), cuius magnam fuisse in Cicerone admirationem Lange p. 51 sq. recte contendit, non mirabimur, si saepius huius poetae nomen nobis occurrit in scriptis Ciceronianis. quamquam Langio ea in re prorsus non possum adsentiri, quod omnes fere laudes, quibus Cicero comicos cumulavit Latinos, ad Menandrum quoque referri vult, qua de re accuratius infra disputabitur. nunc ad rem ipsam redeundum. ac primum quaerendum est, quid de poetica Caecilii facultate senserit Tullius. de qua paulo dubium profert iudicium de opt. gen. or. 1, 2: 'itaque licet dicere Ennium summum epicum poetam

---

[1]) I 2, 1—92; cf. v. 30 sqq.:

'Haéc, quom ego a foró reuortar, fácite ut offendám parata,
uórsa sparsa térsa strata laúta structaque ómnia ut sint;
nám mi hodiest natális dies: eum decét omnis uos cóncelebrare.'

. . . . et Caecilium fortasse comicum.' qua in re haud scio an pendeat ex Varronis amici de Caecilio iudiciis, qui tamen huius poetae virtutes angustioribus circumscripsit finibus. etenim Caecilium dicit in argumentis palmam poscere, sicuti Plautum in sermonibus (Non. 374), tum πάθη illum facilius movisse quam Terentium (Charis. Gr. Lat. I 241, 27 K.). haec igitur fortasse respiciens Cicero summum dicit Caecilium poetam comicum, ut qui animi motus aptissime potuerit depingere.[1]) neque id praetereundum esse censeo iam ante Ciceronem Volcacium Sedigitum hoc tulisse de Caecilio iudicium: 'Caecílio palmam Státio do cómico'.[2]) sed quamquam omnes fere veterum scriptores consentiunt Caecilio primas quodam modo esse deferendas,[3]) tamen Ciceronem videbimus multo minus studii et operae in eius fabulis collocasse quam in Terentianis. cuius rei causa in obscuro esse non potest. fuit enim Caecilius natione Insuber, neque mirum est, quod non penitus perceperat linguae Latinae proprietates. itaque Ciceronis illud: 'nam illorum aequales, Caecilium et Pacuvium male locutos videmus' (Brut. 74, 258) non sine ratione positum esse facile concedemus.[4]) huc etiam altero loco redit Cicero, ad Att. VII 3, 10, ubi de nomine Piraeei eiusque usu grammatico loquitur: 'venio ad Piraeea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus 'Piraeea' scripserim, non 'Piraeum' — sic enim omnes nostri locuti sunt — quam quod 'in' addiderim . . . nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco, secutusque sum, non dico Caecilium — malus enim auctor Latinitatis est — sed Terentium'. ex his autem plane perspicitur, cur Cicero Terentii fabulis magis delectatus sit quam Caecilianis. neque vero quae praeterea apud eum inveniuntur iudicia, ut de sen. 8, 25: 'et melius Caecilius', ibid. 'illud vero idem Caecilius vitiosus' ullius sunt momenti, quia non spectant ad Caecilii ingenium poeticum, sed ad singulas tantum sententias ab eo prolatas.

Iam in eo est, ut nos ad fabulas ipsas convertamus, quas magna ex parte Ciceronis tempore actas esse inde potest conici, quod saepe numero a Cicerone in orationibus versiculi Caeciliani adferuntur neque poeta ipso nominato neque fabula, ita ut satis eos notos fuisse putandum sit audientibus. quid quod nonnullae Caecilii fabularum personae typicae, ut ita dicam, sunt

---

[1]) Atque eandem Caecilii virtutem Horatius quoque videtur in mente habuisse Epp. II 1, 59, ubi gravitatem illi attribuit.

[2]) Hertz 'mimico'; Gell. XV, 24; cf. Teuffel l. c. p. 3; Th. Ladewig 'Ueber d. Kanon des Volc. Sed.,' Neustrelitz, 1842, p. 19.

[3]) Cf. Quint. X 1, 99.

[4]) Cf. Teuffel l. c. p. 3, a. 20 et quae Engelbrecht de Caecilii elocutione congessit in stud. Ter. p. 78).

factae ad depingendum atque illustrandum totum aliquod hominum genus, unde potest intellegi auram popularem certe secutam esse Caecilii fabulas.[1]) ceterum eius fabulas in multorum hominum manibus fuisse ex Cic. de opt. gen. or. 6, 18 'iidem Andriam et Synephebos nec minus Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt,' et de fin. I 2, 4, '. . . Synephebos ego' inquit 'potius Caecilii aut Andriam Terentii quam utramque Menandri legam?' adparet.

Atque quoniam Synephebos attigi, hinc mihi liceat exordium capere.[2]) qua in fabula (Ribb. Com. Rom. fr. p. 69 sq., Schluet. p. 19 sq.) duo adulescentes aequales inducti esse videntur, quorum alter habebat patrem facilem et liberalem, meretricem contra fastidiosam, alter hanc promptam et paratam, patrem difficilem. has igitur condiciones prorsus contrarias Cicero habuit in mente de nat. deor. III 29, 72 sq., quo loco Cottam facit Stoicam disciplinam impugnantem: rationem non esse munus a dis hominibus tributum. quod cum exemplis e tragoedia petitis (v. p. 272. 299. 306) demonstrare studuisset, hoc modo pergit: 'Medea modo et Atreus commemorabantur a nobis, heroicae personae . . . ille vero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui 'in amore summo summaque inopia suave esse' dicit,

paréntem habere auárum inlepidum, in líberos
difficilem, qui te néc amet nec studeát tui.

atque huic incredibili sententiae ratiunculas suggerit:

aut tu íllum furto fálles aut per lítteras,
auértas aliquod nómen aut per séruolum
percútias pauidum: póstremo a parcó patre
quod súmas quanto díssipes libéntius.

idemque facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat,[3])

quem néque quo pacto fállam nec quid inde aúferam,
nec quém dolum ad eum aut máchinam commóliar,
scio quícquam: ita omnis meós dolos fallácias
praestrígias praestrínxit commoditás patris (fr. 1).

quid ergo isti doli? quid machinae? quid fallaciae praestrigiaeque! num sine ratione esse potuerunt?' deinde ad illam meretricem promptam paratamque spectant verba, quae novitate rei obstupefactus sive servus aliquis sive alter ille adulescens, cui amica erat 'vorax', fundit:

---

[1]) Cf. Ter. Hec. prol. II 6 sqq., in primis 12 sq. 'perféci ut spectaréntur: ubi sunt cógnitae | placitaé sunt . . .' (Caecilii comoediae).

[2]) In fragmentis distribuendis secutus sum I. Schlueteri commentationem de Caec. Stat. fab. fragm. Andernaci 1884.

[3]) Versum hic latere suspicatur Schlueter.

'pró deum, populárium omnium, ómnium adulescéntium
clámo postulo óbsecro oro plóro atque inploró fidem!
. . . . in ciuitáte fiunt fácinora capitália:
[nám] ab amico amánte argentum accípere meretrix noénu uolt (fr. 3),

quos versus in usum suum Cicero facete convertit de nat. deor. I 6, 13, postquam in medio se positurum esse philosophorum de natura deorum sententias promisit. 'itaque' inquit 'mihi libet exclamare, ut in Synephebis 'pró . . . fidem!' non levissima de re, ut queritur ille 'in ciuitáte . . . uolt', sed ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid de religione . . . existimandum sit.[1]) denique illud de sene 'serit arborés, quae alterí saeclo prósint' (fr. 2), quod eiusdem est fabulae, duobus recurrit locis: de sen. 7, 24 et Tusc. I 14, 31.

Sed celebrior etiam fuisse videtur Hypobolimaeus vel Subditivus fabula (Ribb. Com. Rom. fr. p. 47 sqq., Schluet. p. 11 sq.), id quod ex Quint. X 1, 70 et ex eo potest colligi, quod satis magnus versuum numerus ad hanc aetatem pervenit. Cicero autem uno loco huius fabulae facit mentionem ita, ut omnibus eam esse notam putasse videatur: pro S. Rosc. Am. 16, 46: 'ecquid tandem tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, senex ille Caecilianus minoris facere Eutychum, filium rusticum, quam illum alterum Chaerestratum? — nam, ut opinor, hoc nomine est — alterum in urbe secum honoris causa habere, alterum rus supplicii causa relegasse?[2])

Similia autem inter se argumenta habuisse veri simile est Asotum et Hymnida fabulas (Ribb. Com. Rom. fr. p. 37 sq., Schluet. p. 4 sq., Ribb. l. c. p. 45 sqq., Schluet. p. 10 sq.). in utraque enim adulescens inductus videtur esse, quem pater tristis ac morosus ob vitam eius luxuriosam vehementer increpat. qui pater tamquam exemplum senis duri atque difficilis vulgo notus videtur fuisse (cf. Quint. XI 1, 39). itaque Cicero in oratione pro Cael. 16, 37 dicere potuit: 'redeo nunc ad te, Caeli, vicissim, ac mihi auctoritatem patriam severitatemque suscipio: sed dubito, quem patrem potissimum sumam: Caecilianumne aliquem, vehementem atque durum

núnc enim demum mi ánimus ardet, núnc meum cor cumulátur ira (inc. f. 1),

aut illum

o infélix, o sceléste . . . (inc. f. 2).

ferrei sunt isti patres.' tum citantur versus circiter octo ex oratione patris

---

1) Fortasse etiam illis verbis 'adsint . . . animadvertant' versiculus subest Caecilianus; cf. Schluet. p. 20.

2) Ad quem locum schol. Gronov. p. 429 haec adnotat: 'apud Caecilium comoediographum inducitur pater quidam, qui habebat duos filios, et illum quem odio habebat, secum habebat, quem amabat ruri dedit . . .' videtur autem ille, qui in urbe habitabat, subditivus fuisse, alter genuinus (cf. Schluet. p. 11 sq., Teuffel p. 5).

illius vehementis, qua invehitur in filium. habuit hoc loco videlicet Cicero in mente duas vel adeo complures Caecilii fabellas: nemini enim ignotum est poetas comicos id in primis adamasse, ut patres parcos ac difficiles inducerent, qui a filiis servi alicuius opera emungerentur. praecipue autem Caecilius insigni duritate patres induxisse videtur. versus autem ille prior 'núnc . . . ira' etiam legitur de fin. II 4, 14, illum vero Hymnidis

míhi sex menses sátis sunt uitae, séptimum Orco spóndeo (fr. 4)

quasi proverbium usitatum fuisse ex eis, quae leguntur de fin. II 7, 22, adparet (cf. etiam Lucil. ap. Non. 526, 13): 'atque reperiemus asotos (v. Gell. N. A. VI 11, 2) primum ita non religiosos, ut edint de patella, deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide: 'míhi . . . spóndeo'.

Neque vero dubium est, quin Plocium fabula (Ribb. Com. Rom. fr. p. 58 sqq., Schluet. p. 15 sqq.) propter compositionem vel maxime placuerit et per longum temporis spatium non solum acta, sed etiam ab hominibus doctioribus lectitata sit. Gellius quidem hanc fabulam cum Graeca Menandri comparat et pluribus disputat de utriusque argumentis (II 23). Cicero autem de sen. 8, 25 Catonem facit impugnantem quas in hac fabula senex quidam protulerat de senectute querelas: 'et melius Caecilius de sene alteri saeculo prospiciente (cf. p. 317), quam illud idem:

edepól, senectus, sí nil quicquam aliúd uiti
adpórtes tecum, cum áduenis, unum íd sat est,
quod diú uiuendo múlta quae non uólt uidet (fr. 9).

et multa fortasse quae volt! atque in ea, quae non volt, saepe etiam adulescentia incurrit!' quae autem eodem loco subiunguntur versus Caeciliani:

'tum equidem ín senecta hoc députo misérrimum,
sentíre ea aetate eúmpse esse odiosum álteri' (vv. 28 sq.)

ex Ephesione (Ribb. Com. Rom. fr. p. 40, Schluet. p. 7) sunt petiti.

Tum Epicleri (Ribb. Com. Rom. fr. p. 40 sq., Schluet. p. 7 sq.), i. e. filiae heredis ditissimae, versus sunt duo, qui citantur de am. 26, 99: 'quid autem turpius quam inludi? quod ut ne accidat ut in Epiclero:

[ut me] hódie ante omnes cómicos stultós senes
uersáris atque elússeris lautíssime (inc. f. 3).

haec enim etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum.' eodemque respicit Cicero de sen. 11, 36, ubi, postquam senum animos dixit exercitando levari, ita pergit: 'nam quos ait Caecilius

'comicos stultos senes', hos significat credulos, obliviosos, dissolutos, quae vitia sunt senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae senectutis.' [1])

Ceteris, qui apud Ciceronem inveniuntur, Caecilii versibus certa sedes adsignari non potest, quamquam Schlueter comparatis praecipue Menandri fabularum fragmentis, quibus idem erat ac fabulis Caecilianis nomen, hic illic non sine veri specie ad quas fabulas singuli referendi sint divinasse videtur, veluti de eis, qui leguntur Tusc. IIII 32, 68 de amore versus:

. . . deúm qui non summúm putet,
aut stúltum aut rerum esse ínperitum exístumem:
cui ín manu sit, quém esse dementém uelit,
quem sápere, quem sanári, quem in morbum ínici,
quem cóntra amari, quem éxpeti, quem arcéssier (inc. f. 15)

(cf. p. 310 'o praeclaram emendatricem . . .'), quos eum collato Menandri Synaristosarum fragmento quarto Caecilii fabulae eiusdem nominis (Ribb. Com. Rom. fr. p. 68, Schluet. p. 18 sq.) iure tribuisse puto.

Porro Fallaciae (Ribb. Com. Rom. fr. p. 42 sq., Schluet. p. 9) attribuit Schlueter versus, quos I. Caesar de or. II 64, 257 Scaurum stomachantem orationi alicui intexuisse dicit:

'ét, tacete: quíd hoc clamoris? quíbus nec mater néc pater,
tánta confidéntia? auferte ístam enim supérbiam (inc. f. 4).

Ad quas vero Caecilii fabulas adludatur ad Att. VII 3, 10 (inc. f. 14) et ad fam. II 9, 2, de fin. II 4, 13 (inc. f. 10), vix potest disceptari. neque enim quicquam Schlueteri iuvat sententiam, qui fr. 14 Andriae (Ribb. Com. Rom. fr. p. 37, Schluet. p. 4), fr. 10 Obolostatae (Ribb. Com. Rom. fr. p. 55 sqq., Schluet. p. 14) adsignavit. restant duo loci, quibus Caecilii versus respiciuntur: de or. II 10, 40 (inc. f. 25), et sententia illa praeclara, quae sane memoratu digna videtur Tusc. III 23, 56:

'saépe est etiam súb palliolo sórdido sapiéntia' (inc. f. 18).

---

[1]) Ad illud 'comicos senes', quod comicus senex ipse profert, Schlueter p. 7 conferri iubet Shakespearii Hamlet III 2., Pompon. in Praecon. Post. fr. 6, Caecil. in Plocii fr. 14, addere mihi liceat duos ex Plauto locos vel aptissimos: Rud. 1249 sqq.:

'spectáui ego pridem cómicos ad istúm modum
sapiénter dicta dícere atque is plaúdier,
quom illós sapientis móres monstrabánt populo.
sed quom índe suam quisque íbant diuorsí domum,
nullús erat illo pácto ut illi iússerant',

et Pseud. 1801 sq.:

'nugás theatri: uérba quae in comoédiis
solént lenoni díci, quae puerí sciunt . . .'

Hi sunt igitur, ut iam ad finem perveniamus, ex singulis fabulis versuum numeri:

Ephesione	2	—	
Epiclero	2	—	
Fallacia	—	2	
Hymnide	1	10	(ex Asoto?)
Plocio	3	—	
Synaristosis	—	5	
Synephebis	16	2	
ex fabb. inc.	4	—	
	28	19	
	47		

Commemorantur autem Caecilii nomen vel eius fabulae locis XX. quamquam igitur non potest negari Ciceronem magni aestimasse Caecilium et haud parvam ex eius comoediis percepisse voluptatem, tamen adparebit eum multo illi anteposuisse Terentium ob purum, qui huic proprius est, sermonem. itaque hi poetae comici eadem videntur a Tullio tractati esse ratione, qua Pacuvius et Ennius vel etiam Accius.

Sequitur, ut agam de Caecilii poetis comicis aequalibus, Trabea et Atilio. atque ex Trabea (Ribb. Com. Rom. fr. p. 31 sq.), quamquam a Varrone apud Charisium G. L. I 241, 27 K. idem de eo praedicatur ac de Caecilio, quod πάϑη facile moverit, sex tantum versus apud Ciceronem extant. Tusc. IIII 31, 67 enim gaudio illi Hectoris Naeviani Tullius opponit adulescentis amantis turpem laetitiam: 'aliter (gaudet) ille apud Trabeam:

léna delenita argento nútum obseruabít meum,
quíd uelim, quid stúdeam: adueniens dígito inpellam iánuam,
fóres patebunt, de ínprouiso Chrýsis ubi me aspéxerit,
álacris obuiám mihi ueniet cómplexum exoptáns meum,
míhi se dedet:

quam haec pulchra putet, ipse iam dicit:

fórtunam ipsam anteíbo fortunís meis' (fr. 1).

tum de fin. II 4, 13, ubi Cicero Epicureorum ἡδονήν nihil aliud esse quam quod Latine dicatur 'voluptas' exponit, ad poetarum huius verbi usum relegat legentes: 'nam et ille apud Trabeam 'voluptatem animi nimiam' laetitiam dicit, eandem quam ille Caecilianus, qui 'omnibus laetitiis laetum' esse (fr. 10) se narrat'. eodem respicit Cicero ad fam. II 9, 2 et Tusc. IIII 15, 35, quo loco versiculus ille Trabeae continuatur: 'quae (libido), si quando adepta erit, quod ei fuerit concupitum, tum fertur alacritate, 'ut nihil ei constet' quod agat, ut ille, qui 'voluptatem animi nimiam summum esse errorem' arbitratur.' unde Bentleius totum versum sic constituit:

égo uoluptatem ánimi nimiam súmmum esse errorem árbitror (fr. 2).

fortasse etiam illa 'ut nihil ei constet', quae plenius recurrunt de fin. II 4, 14:

'tánta laetitia áuctus sum, ut nihil cónstet' (inc. inc. 27),

Trabeae sunt reddenda.

Atilii autem (Ribb. Com. Rom. fr. p. 82 sq.), cuius tragoediam Electram iam supra commemoravimus, dictionem maxima laborasse duritia Cicero testatur ad. Att. XIIII 20, 3, quo loco postquam hunc Atilii versum citavit:

'suam cuíque sponsam, míhi meam: suum cuíque amorem, míhi meum (inc. fr. 1),

ita pergit: 'hoc enim Atilius, poeta durissimus.' atque simile de Atilio iudicium L. Porcius fecerat, cuius libros Ciceronem fortasse inspexisse dixi p. 246, unde suspicari licet et apud Ciceronem et Licinium agi de eodem Atilio. Porcii iudicium exhibet Tullius de fin. I 2, 5: ibi nominis Romani se amantissimum esse praedicans litteras Latinas qui oderint, eos a se probari negat. 'a quibus' inquit 'tantum dissentio, ut, cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem, de quo Licinius 'ferreum scriptorem' verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit.' at vehementer ego quidem dubito, num Cicero ipse durissimum illum poetam legerit. quamquam enim ei ut comico a Varrone laudes haud exiguae tribuuntur (ap. Charis. Gramm. Lat. I 241, 27 K.) et Electram tragoediam Ciceronis tempore vulgo notam et in scaena actam esse ex Suet. Caes. 84 adparet (cf. p. 295 a. 1), nusquam tamen praeter versiculum, quem supra citavi, ullus a Tullio commemoratur. obiter tantum Tusc. IIII 11, 25, ubi de animi morbis agitur, fabulae palliatae titulus adfertur: 'quae autem sunt . . . contraria, ea nasci putantur e metu, ut odium mulierum, quale in Misogyno Atilii est.'

Iam venio ad Terentium, cuius fabulas Ciceronem plurimi aestimasse maximeque semper admiratum esse constat. in primis autem sermo ille elegans, qui erat nobilium eius temporis hominum proprius, ab omnibus in Terentio summis est elatus laudibus. quo sermone Cicero quoque magno opere delectabatur, quam ob rem mirum non est, si saepissime ad huius poetae fabulas revocat legentes. itaque primum mihi liceat locos illos perlustrare, quibus de sermone Terentiano loquitur Cicero. atque Terentium Laelii familiarem fuisse de am. 24, 89 commemorat. qui autem fuerit illius aetates sermo, e Brut. 74, 258 potest perspici (cf. p. 286). sed cum Terentius Afer esset natione, facile fama potuit increbrescere eum adiutum esse in scriptis suis a Laelio et Scipione (cf. Suet. vita Ter. p. 30 Reiff.). quam rem etiam Cicero attingit ad Att. VII 3, 10, ubi se dicit secutum esse Terentium, 'cuius fabellae propter elegantiam sermonis putatae sint a C. Laelio scribi.' agitur enim ibi de eo, quod Cicero dixit in Piraeea,

quam rem ipse sic excusat, ut se locutum esse dicat non ut de oppido, sed ut de loco, cuius usus duo citantur e Terentii Eunucho exempla (I 2, 35; III 4, 1); cf. p. 328. praeterea respicitur dictio Terentiana Or. 47, 157, ubi Cicero novos oratores eorumque rationem his verbis impugnat: 'quid quod sic loqui 'nosse, iudicasse' vetant, 'novisse' iubent et 'iudicavisse'? quasi vero nesciamus in hoc genere et plenum verbum recte dici et imminutum usitate.' sequuntur ex Terentio ut bono auctore Latinitatis desumpta exempla duo (Phorm. II 3, 37 et 43). denique Terentius in Limone (cf. p. 244 sq.) summis cumulatur laudibus, quae, quanta fuerit in Cicerone eius admiratio, plane ostendunt:

> tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
> conversum expressumque Latina voce Menandrum
> in medium nobis sedatis motibus affers,
> quiddam come loquens atque omnia dulcia miscens.[1])

omnia autem, quae ad Terentii sermonem purum spectant, veterum iudicia vel testimonia diligentissime congesta examinat Engelbrecht in Stud. Terent. p. 3 sqq. atque ex fabulis ipsis, quantum re vera fuerit in Terentio elegantis sermonis studium, ostendit p. 13 sqq.

Iam ut transeamus ad ea, quae Cicero de poetica Terentii arte fecit, iudicia, in primis dicendum est de illo 'motibus', quod Barthius ingeniose restituit e codicum scriptura 'vocibus'. ac supra commemoratum est Varronem motus concitatiores i. e. πάθη attribuisse praecipue Trabeae, Atilio, Caecilio, Titinio autem tacitum abiudicasse et Terentio et Attae (ap. Charis Gramm. Lat. I 241, 27 K.). itaque Cicero recte potuit loqui de sedatis motibus, quae essent in comoediis Terentianis. contra eodem loco Varro Terentio dicit contigisse, ut hominum, qui inducerentur, naturam atque ingenium per totas fabulas bene depingeret atque, ut ita dicam, ἐναργῶς: 'ἤθη' inquit 'nullis aliis servare convenit quam Titino, Terentio, Attae.' haec igitur Varronis de Terentio iudicia Ciceroni non ignota fuisse videntur. namque ipse adfert exemplum, quo demonstretur, quam commode et vere Terentius personarum mores descripserit: de inv. I 19, 27: 'illa autem narratio, quae versatur in personis, eius modi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint.' tum citantur ex Micionis soliloquio versus quinque, quibus utriusque fratris ἤθη reapse quam optime significantur:

> uenit ád me saepe clámitans 'quid, Mício?
> quor pérdis adulescéntem nobis? quór amat?
> quor pótat? quor tu his rébus sumptum súggeris?

---

[1]) Cf. Ritschel. Opusc. III 263 sqq.

uestítu nimio indúlges, nimium inéptus es.'
nimium ípseest durus praéter aequomque ét bonum[1]) (Adelph. I 1, 35 sqq.).

deinde Terentii ars, quam praestiterit in narrationibus aptissime et suavissime instituendis, summis celebratur laudibus de Or. II 80, 326 sqq. etenim cum Antonius — ex Ciceronis nimirum sententia — brevitatem saepe obstare in narrando contenderit, non solum quod obscuritatem adferret, sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis esset maxima, ut iucunda et ad persuadendum accommodata esset, tolleret, ad Andriae Terentianae actus primi scaenam primam provocat, ubi Simo exorsus a filii moribus describendis, quae tum sit eius condicio, Sosiae servo explicat narratione quam suavissima (Andr. I 1, 24 sqq.). de hac igitur scaena hoc profert per Antonium Cicero iudicium:

'nam is póstquam excessit éx ephebis . . . (I 1, 24)

quam longa est narratio! mores adulescentis ipsius et servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma et lamentatio sororis, reliqua pervarie iucundeque narrantur. quodsi hanc brevitatem quaesisset:

ecfértur. imus . . . ad sepulcrum uénimus,
in ígnem imposita est (I 1, 90. 101 sq.),

fere decem versiculis totum conficere potuisset, quamquam hoc ipsum 'ecfértur, imus' concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati . . . et festivitatem habet narratio distincta personis et interpuncta sermonibus.' quas laudes Andriae Terentianae tributas Lange l. c. p. 51 sq. totas fere voluit revocare etiam ad Menandrum, qua in re paulisper mihi liceat subsistere. etenim existimo Langium, cum demonstrare studeat omnia fere Ciceronis de Terentii arte iudicia ad Menandrum quoque spectare, in errorem incidisse. dicit enim Tullii illud de Andria iudicium praecipue ob hanc causam posse ad Menandrum referri, quod de fin. I 2, 4 in fabulis Latinis ad verbum ex Graecis expressis etiam Andria numeretur. at primum illud 'ad verbum expressis' certe sic est accipiendum, ut fabulas satis libere conversas esse putemus. quid quod in Andria ipsa novas personas Terentius addidit fabulae, quae non erant apud Menandrum, dico Charinum et Byrriam.[2]) deinde id quod in scaena prima vel maxime laudatur, in Menandri Andria defuisse Donatus ad prol. 13 testatur. quod enim apud Terentium narratione interpuncta sermonibus Simonis et Sosiae inter se disputantium conficitur, id in Menandri Andria senis

[1]) Quantum ab hac parte valuerit Terentius, etiam ex Donati observationibus hic illic dispersis adparet, velut ad Adelph. v. 80; cf. etiam Spengel in praef. p. 14.

[2]) Cf. Donat. ad Andr. II 1, 1; Dziatzko 'Ueber die plaut. Prol., allg. Ges.', Luzern 1867, p. 15 sq.; Spengel in praef. ed. p. 12.

soliloquio fuit absolutum.[1]) alacritas autem et varietas illa, quam Cicero praedicat, servi demum percontationibus in hanc scaenam est illata. quibus de causis quas Cicero impertit Terentio laudes, integras ei concedendas esse censeo. atque alter etiam extat locus, quo eadem Andriae scaena demonstratur, quanta usus sit Terentius arte et diligentia in fabularum compositione: de inv. I 23, 33, quo loco de partitione loquens Cicero 'atque his' inquit 'de partitione praeceptis in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transgrediatur et omnibus explicatis peroratum sit; hoc modo, ut ne quid posterius praeter conclusionem inferatur. partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria quae cognoscere libertum velit:

eo pácto et gnati uítam et consiliúm meum
cognósces, et quid fácere in hac re té uelim' (I 1, 22 sq.).

itaque quem ad modum in partitione proposuit, ita narrat, primum gnati vitam (I 1, 24—130)

nam is póstquam excessit éx ephebis
liberíus uiuendi fúit potestas (I 1, 24 sq.),

deinde suum consilium (I 1, 130—140)

et núnc id operam do . . . (I 1, 130),

deinde quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit (I 1, 141 sqq.):

nunc tuómst officium' (I 1, 141).

ad has igitur praecipue virtutes, quae sunt in compositione narrationeque positae, illud etiam spectare mihi videtur Horatianum:

'dicitur . . .
vincere Caecilius gravitate, Terentius arte' (Epp. II 1, 59),

minus, id quod Hoelzer voluit 'De interpolationibus Terentianis,' Hal. Sax. 1878 p. 26, ad sermonis elegantiam.

Hi sunt igitur loci, qui ad illustrandum Ciceronis de Terentii praestantia iudicium alicuius sunt momenti. sequitur, ut ipsas recenseamus fabulas, quantam cuique is operam impenderit inquirentes. atque Terentii comoediae quin Ciceronis tempore saepius in scaena sint actae, non est dubitandum. quid quod nonnullae sententiae Terentianae in universi populi mente et ore fuisse et quasi proverbiorum vim habuisse videntur (cf. p. 328. 326). ac primum quidem Andriam, quam Terentii ipsius aetate

---

[1]) Tradidit quidem Donatus ad Andr. prol. 13 in Menandri Perinthia senem cum uxore ita loqui, ut apud Terentium cum liberto. sed Ihne in Quaestt. Ter. Bonnae 1848 p. 11 sq. iure mihi videtur ostendisse hoc non esse profectum a Donato, sed ab interprete aliquo inepto.

summo plausu actam esse constat,[1] a Ciceronis aequalibus multum et diligenter lectitatam esse ex locis illis de opt. gen. or. 6, 18 et de fin. I 2, 4 (v. p. 316) potest colligi. tum eandem fabulam Asturae se vidisse Cicero ad Att. scribit XIII 34. itaque hac ex fabula libentissime versus deprompsit scriptis suis inmiscendos. atque primi actus scaenam primam quam maxime videtur admiratus esse: ut enim duobus illis locis (de or. II 80, 326 sqq. et de inv. I 23, 33) summis eam laudibus praedicat, ita compluribus aliis huc amat redire. sic de or. II 40, 172 verbis Simonis utitur ut exemplo conclusionis ex minore ad maius. narrat enim senex, quam tristis fuerit post Chrysidis mortem filius. id sibi placuisse nihil tum suspicanti mali:

'sic cógitabam' inquit 'hic páruae consuetúdinis
causa húius mortem tám fert familiáriter:
quid, si ípse amasset? quíd hic mihi faciét patri?' (I 1, 83 sqq.).

eundemque respicit facete Cicero locum ad fam. VIIII 7, 1. de am. 24, 89 autem Laelium facit impugnantem verba, quibus apud Terentium Sosia mores comprobat filii erilis:

'sapiénter uítam instítuit: namque hoc témpore
obséquium amicos, uéritas odiúm parit' (I 1, 40 sq.).

'sed nescio', ait Laelius, 'quo modo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit: 'obséquium . . . parit'. molesta veritas . . . sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit.' quod autem de verbis Ciceronianis, quae sequuntur, 'in obsequio autem, quoniam Terentiano verbo libenter utimur' Quintil. VIII 3, 35 iudicat, in eo deceptus est. arbitratur enim Ciceronem putasse a Terentio primo dictum esse 'obsequium', atque ea de causa verbum illud ab Tullio nominari Terentianum. at Cicero 'Terentianum' dicit, quod versu illo citato inductus est, ut saepius 'obsequii' verbum adhiberet. neque dubium est, quin Tullius de am. 20, 71 versus habuerit in mente Terentianos.[2] 'odiosum sane genus' inquit 'hominum officia exprobrantium, quae meminisse debet is, in quem conlata sunt, non commemorare qui contulit.' nonne haec eodem sensu isdemque verbis sunt prolata atque illa apud Terentium a Sosia, cum Simo tamquam ab ovo incipiens liberto omnia quae ei tribuerit beneficia enumerat:

'sed hoc míhi molestumst. nam ístaec commemorátio
quasi éxprobratiost inmémori bénefici (I 1, 16 sq.).

---

[1]) Cf. quod Suet. in vita Terentii memoriae prodidit de Terentio Andriam Caecilio Statio recitante.

[2]) Cf. Spengel ad Andr. v. 44.

praeterea eiusdem scaenae versus ille 'nam . . . ephebis', ut qui totius Simonis narrationis faciat exordium, citatur de inv. I 19, 27, ubi exemplum adferre vult Cicero narrationis, quae in argumento, i. e. in re ficta est posita. eodemque modo actus I. scaenae II. saepius fit mentio: etenim Simo Davum, servum callidissimum, de filii consilio percontatur; ille autem variis ambagibus dominum studet effugere. itaque cum Simo dixisset: 'meum gnátum rumor ést amare', quasi hac re servum vellet opprimere, ille subicit: 'id pópulus curat scílicet' (I 2, 14). quod Davi responsum in suum convertit Cicero usum ad Att. XIII 34 ('tu velim . . . illud in primis cum Publilio me absente conficias, de quo quae fama sit scribe: 'id . . . scílicet'. non mehercule arbitror'). eiusdemque scaenae versum XVIII, quo Simo tempus esse dicit, ut filius uxorem ducat, aptissime commemorat ad fam. XII 25, 5: 'sed redeamus illuc, unde devertimus. accipio excusationem tuam de Sempronio. neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti (scripta enim est haec epistula a. 711/43)

nunc híc dies aliám uitam adfert, álios mores póstulat.'

denique pro Cael. 25, 61 versiculi pars citatur, quae in proverbium videtur abiisse,[1]) ita ut facile Tullius ad haec verba adludere potuerit. Simo enim, cum comperisset, quis esset virgo illa venustissima, quae in Chrysidis prodierat funus, se statim filii maeroris causam perspexisse ait:

. . . attat hoc íllud est,
hinc íllae lacrumae, haec íllast misericórdia (I 1, 98 sq.).

de aliis ex Andria locis, qui Ciceroni ob oculos versati esse videntur, paulo post agendum erit.

Sequitur, ut agam de **Eunucho**, quam adeo placuisse populo Suetonius tradit, ut eo die, quo in scaenam missa est, bis ageretur mereretque pretium, quantum nulla antea cuiusquam fabula, id est octo milia nummorum. neque dubitandum est, quin ea etiam Ciceronis aetate magnum excitaverit spectantium plausum. cui rei documento magnus est versuum numerus, quem inde petiit Cicero. maxime autem videtur delectatus esse nonnullis locis, qui aut insigni sunt pulchritudine poetica aut rem, de qua agitur, optime et commodissime absolvunt. atque initium ipsum, in quo Phaedriae amantis animus commotus quam verissime depingitur, Cicero in mente habuit de nat. deor. III 19, 72. sunt enim verba haec:

'quid ígitur faciam? nón eam? ne núnc quidem
cum accérsor ultro? an pótius ita me cómparem,
non pérpeti meretrícum contumélias?
exclúsit: reuocat: rédeam? non, si me óbsecret (I 1, 1 sqq.).

---

[1]) Cf. etiam Hor. Epp. I 16, 41.

huius igitur meditationis versum primum et ultimum Cicero Cottae tribuit de ratione disputanti. quam vero Parmeno servus amoris adfert descriptionem aptissimam, eam totam fere transtulit Cicero in locum Tusc. IIII 35, 76: 'maxime admonendus autem est, quantus sit furor amoris . . . nam ut illa praeteream quae sunt furoris, haec ipsa per sese quam habent levitatem, quae videntur esse mediocria?

. . . . iniúriae,
suspíciones, ínimicitiae, indútiae,
bellúm, pax rursum: incérta haec si tu póstules,
ratióne certa fácere, nihilo plús agas,
quam sí des operam ut cúm ratione insánias' (I 1, 14 sqq.).

porro scaenam illam (III 1), ubi Thraso cum parasito sermonem iungit, quo utriusque mores vel optime notantur, hic militis gloriosi semperque se iactantis, illic parasiti adsentientis et officiosi, magnam praebuisse veri simile est Ciceroni voluptatem: inde enim sumpsit versus III 1, 50—55, ubi Gnatho Thrasoni quo modo se gerat praecipit: nam si quando Thais militi, 'eum ut male urat', Phaedriam adulescentem laudet, Pamphila ut contra laudetur a Thrasone, suadet his verbis:

'ubi nóminabit Phaédriam, tu Pámphilam
contínuo: si quando ílla dicet 'Phaédriam
intró mittamus cómmissatum': Pámphilam
cantátum prouocémus. si laudábit haec
illíus formam: tu húius contra. dénique
par pró pari reférto, quod eam mórdeat' (III 1, 50 sqq.).

atque Cicero sese idem, quod parasitus suadeat, ait fecisse in P. Vatinio defendendo, quocum in gratiam se rediise ad Lentulum scribit (ad fam. I 9, 19). 'sed tamen' inquit 'defendendi Vatinii fuit etiam ille stimulus, de quo in iudicio, cum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi 'ubi . . . mórdeat'. sic petivi a iudicibus, quoniam quidam nobiles homines . . . nimis amarent inimicum meum . . . quoniamque illi haberent suum Publium (Clodium), darent mihi ipsi alium Publium (Vatinium), in quo possem illorum animos mediocriter lacessitus leviter repungere'. eiusdemque scaenae sunt verba illa, quae inter se loquuntur Thraso et parasitus de am. 26, 98. una enim, quam Gnatho subicit, voce parasitorum consuetudo adeo vere depingitur, ut Cicero, cum de eorum moribus loqueretur, inde potissimum petierit exemplum. Thraso enim ex Gnathone, quocum prodit in scaenam, quaerit, quo animo Thais donum a se missum exceperit, his verbis:

'magnás uero agere grátias Thaïs mihi?'

tum Gnatho:

'ingéntis' (III 1, 1 sq).

quo de loco sic facit Cicero Laelium disputantem: 'nec parasitorum in comoediis adsentatio faceta nobis videretur, nisi essent milites gloriosi. 'magnás . . . mihi?' satis erat respondere 'magnas'. 'ingéntis' inquit. semper auget adsentator id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse magnum'. neque vero minus apte notatur parasitorum natura Eun. II 2, ubi Gnatho longiore exponit soliloquio, quam viam ingressus lautissime vitam agat. huc quoque duobus Cicero locis respicit. Gnatho enim haec profert de sua ratione:

'ést genus hominum, qui ésse primos se ómnium rerúm uolunt,
néc sunt: hos conséctor . . . .
quídquid dicunt, laúdo; id rursum sí negant, laudo íd quoque;
négat quis: nego; aït: áio; postremo ímperaui egomét mihi
ómnia adsentári' (II 2, 17 sqq.).

quem locum Tullius in mente habet de am. 25, 93, ubi versus 'négat . . . adsentári' citantur ut exemplum orationis amicorum, quos eligere magnae sit levitatis. porro ex Gnathonis narratione sumptus est versus ille, qui legitur de off. I 42, 150

'cetárii, lanii, coqui, fartóres, piscatóres' (II 2, 26),

quos omnes Gnatho sibi obviam ire ait, quotienscumque in forum prodeat. denique huius persona, ut Phormionis, parasiti effigies expressa habita esse videtur; cf. or. Phil. II 6, 15 et p. 314. 333. proverbii more autem videtur esse usurpatum Terentianum illud, 'sine Cerere et Líbero frigét Venus' (IIII 5, 6), quod legitur de nat. deor. II 23, 60, itemque notissima fuisse verba illa veri simile est, quae IIII 4, 22 Phaedria loquitur in scaena illa facetiis plena, ubi Pythias Dorum eunuchum ab adulescente adductum non vult agnoscere ut illum, qui ad dominam erat perductus. tum Phaedria stomachans iam:

'hem' inquit 'quae haec est fábula?
eo rédiges me, ut quid émerim egomet nésciam' (III 4, 22 sq.).

itaque Cicero de homine stolido et suae rationis impotente sic scribit ad Att. I 19, 4: 'Metellus est consul sane bonus et nos admodum diligit. ille alter ita nihil est, ut plane quid emerit nesciat.'[1]) postremo ad Att. VII 3, 10 Cicero provocat ad duos locos Terentianos (Eun. I 2, 35 et III 4, 1), utpote ex quibus perspiciatur quorundam verborum usus grammaticus.

Iam vero transeamus ad Hauton Timorumenon fabulam, cui qui nomen indiderat, propter mores suos per longum tempus in omnium me-

[1]) Hoc loco Ciceronis ductus in versu illo Terentii 'emerim' restituendum esse censeo pro eo, quod habent omnes libri 'egerim'. neque enim hoc unum est exemplum emendandi ex eis, quae a scriptoribus citantur, textus Terentiani; cf. Steubing 'Analecta critica quae ad testimonia veterum Terentiana spectant', Marburgi Catt. 1872. et loco illo 'emerim' multo aptius poni concedendum est quam 'egerim'.

moria videtur haesisse. Cicero quidem permultis locis 'senis ipsius se poenientis' facit mentionem. quid quod Horatius quoque hanc fabulam respicit A. P. 93 sq., quae spectant ad H. T. V 4, 10 sqq.[1]) denique quanta etiam temporibus insequentibus huius fabulae fuerit apud populum gratia, vel inde posse perspici Wagner in praef. ed. p. 26 iure dixit, quod Menedemi nomen leviter mutatum in inscriptionibus Pompeianis quinquiens invenitur insculptum (C. I. L. IIII 1211. 1212. 1616. 1637. 1870). sed, ut ad Ciceronem ipsum redeamus, Tusc. III 27, 65, ubi de variis lugendi generibus disputat luctumque magis in opinione esse positum demonstrare studet, Menedemi adfert maerorem, cuius verba repetit: 'quid ille Terentianus ipse se poeniens i. e. *ἑαυτὸν τιμωρούμενος*.

decréui tantispér me minus iniúriae,
Chremés, meo gnato fácere, dum fiám miser (I 1, 95 sq.).

hic decrevit, ut miser sit. numquis igitur quicquam decrevit invitus?

maló quidem me quóuis dignum députem' (I 1, 83).

quae verba Cicero cum citasset, sic concludit quod voluerat ostendere: 'malo se dignum deputet, nisi miser sit. vides ergo opinionis esse, non naturae malum'. atque eadem Menedemi verba recurrunt de fin. V 11, 28 adiecto alio eiusdem personae versu. Menedemus enim, cum Chremes eum velit retinere, ne ipse se cruciet, satis dure et acerbe dicit:

'mihi sic est usus: 'tibi ut opus factóst, face' (I 1, 28).

quod ad monentes dicere mos esse eorum Cicero ait, qui cum in mala scientes irruant, se optime sibi consulere arbitrentur. denique huius scaenae, qua senes illi inter se disputantes inducuntur, alter perhumanus et consilium dare paratus, alter difficilis et in eo quod sibi proposuerat, perseverans, saepe numero meminit Cicero. ac versus fabulae primus, quo Chremes excusare se videtur, quod alterius rebus domesticis se interponat:

'quamquam haéc inter nos núper notitia ádmodumst' (I 1, 1)

a Cicerone commemoratur de fin. II 4, 14. ex eiusdem oratione petitus est versus, quem Tullius de fin. I 1, 3 inseruit loco illi, quo se defendit contra adversarios studiorum, quae impendebat in philosophiam. Chremetis ad opitulandum prompti sunt etiam verba illa, quibus Cicero Trebatio familiari omnibus in rebus auxilium suum promittit. sic enim concludit epistulam in Britanniam ad eum datam (ad fam. VII 10, 4): 'qua re omnibus de rebus fac ut quam primum sciam:

aut cónsolando aut cónsilio aut re iúuero' (I 1, 31).

Menedemi verbis autem, quibus is vicini bona consilia repudiat:

---

[1]) Fortasse eandem comoediam habuit in mente Serm. I 4, 48 sqq.

'Chremés, tantumne ab ré tuast otí tibi,
aliéna ut cures eá quae nil ad te áttinent?' (I 1, 23 sq.)

Cicero facete usus est ad Att. XII 6, 3: 'Chremés . . . tibi', ut etiam 'oratorem' legas? macte virtute! . . .' restat, ut tres commemorem locos Ciceronianos, quibus Hauton Timorumeni versus citantur celeberrimi, quos proverbiorum modo in omnium fuisse ore manifestum est, dico de off. I 10, 30 et de legg. I 12, 33, ubi respicitur Chremetis illud:

'homó sum: humani níl a me alienúm puto (I 1, 25),

qui versus Ciceroni etiam de fin. III 19, 63 videtur in mente fuisse, et de off. I 10, 33, quod apud Terentium his verbis continetur

'. . . ius summum saépe summa est málitia' (IIII 5, 48),

a Tullio paululum mutatum refertur hoc modo: 'summum ius summa iniuria.'

Neque vero Phormio minorem praebuisse videtur Ciceroni delectationem, quippe qui 'bonórum extortor, legum cóntortor' eadem arte a Terentio esset expressus qua Gnatho parasitus. atque Phormionis persona vulgo nota videtur fuisse eiusque nomen tamquam appellativum factum (cf. or. Phil. II 6, 15 'Phormioni alicui'), quo totum parasitorum procacium genus significaretur. Cicero quidem pro Caec. 10, 27 de S. Clodio argentario haec facit verba: 'argentarius S. Clodius, cui cognomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio.' neque dubium est, quin ibi Cicero recordatus sit verborum Getae servi, qui de Phormionis consilio Davo conservo narrat:

'quid fíat? est parasítus quidam Phórmio,
homó confidens: qui íllum di omnes pérduint' (I 2, 73 sq.).

ac Phormionem profecto tamquam hominem confidentem pictum esse a Terentio ex verbis illis elucet, quibus se in omnia paratum esse Getae timido et anxio confirmat:

'cédo senem: iam instrúcta sunt mi in córde consilia ómnia' (II 2, 7),

qui versus a Cicerone de nat. deor. III 29, 73 adicitur longiori e C. Statii Synephebis loco (cf. p. 316), quo demonstretur dolos et machinas cum ratione posse institui: unde sequi eam non esse munus deorum. deinde locus, qui singulari arte tractatus summae est festivitatis, Ciceroni erat in mente Or. 47, 157, dico scaenam illam (II, 3), in qua Phormio cum Demiphonte congressus clamitando aures eius obtundit, cognatum huic esse, ex quo filia sit Phanium. at nomen ei exciderat illius cognati; itaque cum Demipho hoc audire gestiat, Phormio in summis haeret difficultatibus. ex hac igitur scaena Cicero duos citat versus II 3, 37 et 43 eosque videlicet ex memoria: namque pro 'eho tú, sobrinum tuóm non noras?' minus accu-

rate 'cognatum tuum' profert. denique ex oratione Demiphontis ob filii nuptias irati verba aliquot Cicero duobus locis rettulit. ac primum eis, quae Demipho, cum facinus illud comperisset, in scaenam ingressus dicit:

'ítane tandem uxórem duxit Ántipho iniussú meo?
néc meum ímperium: ac mítto imperium: non simultatém meam
reueréri saltem!' (II 1, 1 sqq.)

iocose utitur in ep. ad Att. II 19, 1, ubi de Statii cuiusdam manu missione loquitur: 'sed mihi nihil' inquit 'est molestius quam Statium manu missum. 'néc meum . . . reueréri saltem!' nec quid faciam scio.' alter isque longior est locus, quo Demipho tanta calamitate tamque improvisa oppressus praecepta dat plena sapientiae II 1, 11 sqq.:

'quam ob rem ómnis, cum secúndae res sunt máxume, tum máxume
meditári secum opórtet, quo pacto áduorsam aerumnám ferant.
perícla, damna péregre rediens sémper secum cógitet
aut fíli peccatum aút uxoris mórtem aut morbum fíliae,
commúnia esse haec, né quid horum umquam áccidat animó nouom:
quidquíd praeter spem euéniat, omne id députare esse ín lucro'.

atque hos versus omnes magna cum Terentii laude Cicero transtulit in Tusc. III 14, 30: 'et nimirum haec est illa praestans et divina sapientia, et perceptas penitus et pertractatas res humanas habere, nihil admirari cum acciderit, nihil ante, quam evenerit, non evenire posse arbitrari. 'quam ob rem . . . ín lucro'. tum his finit hanc meditationem verbis: 'ergo hoc Terentius a philosophia sumptum cum tam commode dixerit, nos . . . non . . dicemus hoc melius . . .?'

Sequitur, ut dicamus de Adelphis. namque ex Hecyra, quam bis exactam esse e prologis ipsis cognoscimus, ne unus quidem invenitur apud Ciceronem versiculus. quamquam enim populus Hecyram primum non tam propter ipsum argumentum quam propter leviora spectacula, funambulos et gladiatores et pugiles, quae eodem tempore sunt data, sprevisse videtur,[1]) tamen haec fabula nec temporibus insequentibus magno opere placuisse videtur. quae cum ita essent, facile potest intellegi, cur nusquam illius mentionem fecerit Tullius. praeterea hac re ostendisse mihi videtur se probe sensisse huic praecipue fabulae deesse id, quod iam Caesar in Terentio aegre desiderabat, vim comicam. contra Adelphos fabulam, per quam totam Terentium artificis poetae laudem obtinere Donatus in praefatione contendit, per longum temporis spatium in scaena actam esse magnam habet veri speciem.[2]) cui rei patrocinari videntur et verba, quae Cicero

---

[1]) Cf. O. Amdohr 'Prologi Hecyrae Terent. grammatica, critica, historica ratione pertractantur', Francofurti ad Viadr. 1873, p. 11.

[2]) Cf. Dziatzko in praef. ed. p. 14.

tribuit Catoni de sen. 18, 65: 'quae tamen omnia dulciora fiunt et moribus bonis et artibus, idque cum in vita, tum in scaena intellegi potest ex eis fratribus, qui in Adelphis sunt. quanta in altero diritas, in altero comitas!' et ex eo, quod Amm. Marcell. XXVIII 4, 27 prodit de Micionibus soccatis. Micio enim eodem modo exemplar habebatur patris indulgentis lenisque, quo senes Caeciliani patrum difficilium atque durorum (cf. Quint. X 1, 39 et p. 317). haec enim est Micionis ratio, quam se profitetur sequi adversus filium adulescentem:

> 'obsónat, potat, ólet unguenta: dé meo;
> amat: dábitur a me argéntum, dum erit cómmodum.
> . . . .
> forés effregit: réstituentur. díscidit
> uestém: resarciétur' (I 2, 37 sqq.).

atque huius similem patrem Cicero pro Cael. 16, 38 opponit tristi ac deiecto Caeciliano (p. 317). 'leni vero' inquit 'et clementi patri, cuius modi ille est: forés . . . resarciétur' filii causa est expeditissima'. quibus vero Cicero laudibus Micionis verba illa I 1, 35 sqq. cumulaverit, ut quae personarum aperte prodant animos, supra docui p. 322. denique ad Att. XIII 33, 4 haec scribit de Varrone: 'de Varrone loquebamur: lupus in fabula. venit enim ad me . . .' atque eadem verba leguntur Adelph. IIII 1, 21, ubi, cum Ctesipho de patre fallendo disputat cum Syro servo, ille ipse eorum sermoni intervenit, ita ut Syrus exclamet: 'lupus in fábula'. neque dubitandum est, quin haec locutio proverbium fuerit tritum apud Romanos (cf. Plaut. Stich. 577), quam ob rem non ita est premendum, quod eo et Terentius utitur et Cicero.

Sed, ut haec iam absolvam, ex eis, quae disputavi, satis adparet, quanti habuerit Cicero Terentium, illum 'puri sermonis amatorem'. etenim locis XXXVII eum vel verba ex fabulis eius petita commemorat, versus autem Terentianos LXVII scriptis suis intexuit, petitos

ex Andria	16
„ Eunucho	22
„ Hauton Timorumeno . .	10
„ Phormione	11
„ Adelphis	8
	67

quos numeros si cum Caecilianis comparaveris, facile intelleges, quanto maiorem Tullius dederit operam Terentio, praesertim cum consideres e Caecilii manu prodiisse comoedias fere quadraginta, Terentium autem sex fabulis scriptis morte praematura esse abreptum. iam vero quanto opere Cicero in Terentii fabulis fuerit versatus, inde quoque potest perspici, quod locutiones quasdam Terentianas sui iuris fecerat, ita ut eas sciens insciens in scripta sua reciperet. ad quam rem comprobandam, quia aliquid valet

ad Ciceronis studia illustranda, locos aliquot mihi liceat congerere, in quibus videtur inesse poeticus color e Terentii fabulis sumptus: ad Att. IIII 8[b], 3 'percussit animum', pro rege Deiot. 5, 17 'hac sum suspicione percussus', cf. Andr. I 1, 98 'percússit ilico ánimum'; in Verr. IIII 3, 5 'recte admones', cf. Andr. V 4, 50 'recte ádmones'; de off. II 20, 69 'honesta oratio est', cf. Andr. I 1, 114 'seruáui. honesta orátiost': pro Cael. 18, 43 'quorum cum adulescentiae cupiditates defervissent', cf. Ad. I 2, 72 'sperábam iam deféruisse adulescéntiam'; Tusc. III 14, 30 'sint semper omnia homini humana meditata', cf. Phorm. II 1, 18 'meditáta mihi sunt ómnia mea incómmoda'. quem locum Terentianum Ciceronem certe habuisse in mente ex eis, quae sequntur, perspicitur. citantur enim e Phorm. II 1 versus VI (II 1, 11 sqq.). quae vero legitur dictio in Catil. or. III 6, 15 'atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est' et Andr. I 5, 13 'fácta, transacta ómnia', ea popularis fuisse videtur iuris vox ac deinde abiisse in proverbium. eandemque speciem proverbialem prae se ferunt nonnullae aliae locutiones: pro Caec. 29, 82 'aut tuo, quem ad modum dicitur, gladio, aut nostro defensio tua conficiatur necesse est', cf. Ad. V 8, 35 'suó sibi gladio hunc iúgulo'; Tusc. II 4, 11 'fortes enim non modo fortuna adiuvat, ut est in vetere proverbio', cf. Phorm. I 4, 25 'fórtis fortuna ádiuuat'; pro Sest. 27, 59 'vivus, ut aiunt, est et videns ... publicatus', pro Quinct. 15, 50 'huic acerbissimum vivo viventique funus ducitur', cf. Eun. I 1, 28 'uiuós uidensque péreo'. denique quod ad Att. XIII 19, 3 legimus: 'sed ita accurate, ut nil posset supra', itemque saepius apud Terentium: Andr. I, 1, 93 'ut níl supra', Eun. III 1, 37 'níl supra', Ad. II 3, 11 'nil póte supra', id e sermone cotidiano videtur sumptum esse. sed de Ciceronis studiis Terentianis hactenus.

Postremo dicendum est de S. Turpilio (Ribb. Com. Rom. fr. p. 85 sqq.), qui, Terentii aequalis natu maior, in comoediis palliatis aliquam gloriam sibi videtur etiam post Terentium peperisse (cf. Ritschel. Parerg. p. 188). atque eius fabulas Ciceronis aetate in scaena esse actas ex ep. ad fam. VIIII 22, 1 adparet, ubi de Turpilii Demiurgo (Ribb. p. 89 sqq.) haec scribit Cicero ad familiarem suum: 'itaque non modo in comoediis res ipsa narratur, ut ille in Demiurgo: 'modo fórte' — nosti canticum, meministi Roscium — 'ita mé destituit núdum ...' (fr. 5) totus est sermo tectus, re impudentior ...' praeterea fabula, cui nomen est Leucadia (Ribb. p. 97 sqq.) una ex gratissimis videtur fuisse, de cuius argumento cf. Serv. ad Verg. Aen. III 279, Ael. v. h. XII 18, Ribb. Ann. phil. LXVIIII, p. 34 sqq. inde enim a Cicerone sex fere adferuntur versus Tusc. IIII 34, 72 sq. (fr. 12), quibus insanus cuiusdam adulescentis amor vivis coloribus depingitur.

Haec de comoedia palliata. restat, ut addam versuum a Cicerone commemoratorum conspectum, qui cui fabulae (palliatae) cuique poetae tribuendi sint in dubio est: inc. inc. fr. 1: de or. II 59, 242; fr. 19: ad Att. II 1, 5; fr. 21: ad Att. X 2, 2; fr. 22: Or. 43, 147; fr. 24: de or. III 58, 219; fr. 28—30: ad fam. II 9, 2; fr. 32: Tusc. I 39, 94; fr. 33: de or. II 64, 257; fr. 36: ad fam. III 8, 8; fr. 46: ad Att. I 16, 1; fr. 49: ad Att. V 15; fr. 53: ad Att. IIII 3, 3; fr. 54: pro Cael. 15, 36; fr. 62: Parad. 5, 35; fr. 75: ad fam. VII 3, 4. habemus igitur versus XXI, quorum neque auctor certus est neque sedes.

Iam si transgredimur ad fabulam togatam, Ciceronem ex ea multo minorem percepisse voluptatem statuendum est quam ex palliata. neque enim Titinii neque Q. Attae apud eum usquam fit mentio. atqui eorum fabulas tum non fuisse a scaena remotas magnam habet probabilitatem. de eo quidem, qui inter togatarum poetas primum sine dubio obtinet locum, L. Afranio (Ribb. Com. Rom. fr. p. 164 sqq.; cf. Teuffel 'Caec. Pacuv. . . .' p. 37 sqq.) hoc constat; cf. infra Brut. 45, 167 'ut scitis', et pro Sest. 55, 118. eodemque modo loci, qui est Hor. Epp. II 1, 57, totius conexu proditur Afranii fabulas huius etiam tempore populo fuisse pergratas. quid quod Suet. Ner. 11 fabulam, cui Incendium titulus erat, narrat ludis a Nerone editis in scaenam missam esse. sed Cicero non multum versatus videtur in eius fabulis, aut si fuit, certe rarissime ex eis versus scriptis suis immiscuit. sane quidem Afranii fabulas non fuisse vacuas accipimus obscenis rebus, quales a palliatae ioco et lusu vel audaciore erant remotae (cf. Quint. X 1, 100, Auson. epigr. 67, 4 S. Teuffel l. c. p. 41). qua de causa fieri potuit, ut minus aptam praeberet Afranius Ciceroni materiem, ex qua petere posset, quod sibi conveniret. quamquam eum non plane respuisse Afranium ex duobus locis potest perspici: de fin. I 3, 7 sibi non ignotum fuisse ostendit, quanto opere pendeat ex Menandro Afranius: 'locos quidem quosdam . . . si videbitur, transferam . . . ut . . . Afranius a Menandro solet' i. e. accurate,[1]) et Brut. 45, 167, quo loco in genere dicendi arguto satis magnas tribuit Cicero Afranio laudes: 'quem (P. Titium) studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis disertus' (cf. Teuffel l. c. p. 37. 42 adn. 32. 40).

Iam vero ex fabulis ipsis Simulans (Ribb. Com. Rom. fr. p. 202 sqq. Teuffel. p. 40), cuius argumentum simile videtur fuisse Andriae Terentianae, Cicerone teste acta est isdem, quibus Accii Eurysaces ludis (cf. p. 302 sq.), atque locos videtur habuisse, qui ad rei publicae statum et ad singulos viros possent referri. Cicero quidem pro Sest. 55, 118 de Clodio haec

---

[1]) Cf. Hor. Epp. II 1, 57, et Macrob. Sat. VI 1, 4.

memoriae prodit: 'cui (Clodio) tum petenti iam aedilitatem, ne histriones quidem coram sedenti pepercerunt. nam cum ageretur togata, Simulans ut opinor, caterva tota clarissima concentione ori impuri hominis imminens contionata est:

haec, taetérrime,
sunt póstprincipia atque éxitus [malaé] uitiosae uítae (fr. 3).

sedebat exanimatus ....'

Tum ex Crimine (Ribb. Com. Rom. fr. p. 171; cf. Schopen. Mus. Rhen. 1827, p. 152; Duebner. Ann. phil. 1834, p. 273), ut videtur, petitus est versus ille, quem legimus de nat. deor. I 23, 65 et ad fam. VIIII 26, 2 (fr. 1). denique ab Afranio sunt profecta, quae a Cicerone citantur Tusc. IIII 20, 45: 'morderi est melius conscientia. ex quo est illud e vita ductum ab Afranio. nam cum dissolutus filius:

heú me miserum!

tum severus pater:

'dúm modo doleat áliquid, doleat quídlubet' (inc. f. 5).

atque illud 'dúm ... quídlubet', proverbii modo usurpatum esse veri simile est, quae res inde potest colligi, quod idem versus recurrit Tusc. IIII 25, 55 ('at commode dixit Afranius') et leviter mutatus ad Att. XVI 2, 3.

Respicit igitur Cicero VIII tantum locis principem togatarum poetam, unde adparet eum minoris fecisse hoc fabularum genus, id quod magis etiam cadit in fabulas Atellanas et mimum (cf. p. 244 a. 2), de quibus iam paucis agendum est.

Atque Atellanas excultas et ad artem quandam productas esse constat per Pomponium et Novium. quorum fabulas non solum Ciceronis tempore, sed etiam Caesarum aetate actas esse ex permultis testimoniis potest cognosci, veluti Suet. Ner. 39, Tib. 45, Calig. 27, Tac. Ann. IIII 14, Spart. Hadr. 26, 4. Tullius igitur (ad fam. VII 1, 3) ad Marium scribit de ludis a. 699/55 a Pompeio editis (de quibus v. p. 254 sq.). in quibus etiam 'Oscos ludos' i. e. Atellanas (cf. Liv. VII 2, 12, Diomed. Gramm. Lat. I 490, 20 K.) fuisse dicit. quos quam parvi habuerit, ex totius loci tenore facile intellegitur. nec minus verba, quae legimus ad Att. I 16, 3, produnt, quanto opere Cicero despexerit Atellanas. exponit enim de turpitudine iudicii, quo P. Clodius absolutus sit (693/61). 'non enim' inquit 'turpior in ludo talario consessus fuit. maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerati quam, ut appellantur, aerarii ...' ludus talarius autem nihil aliud significare videtur quam fabulas Atellanas aut simile aliquod fabularum genus. huc accedit locus de off. I 42, 150, ubi ludi talarii vanitas atque sorditas perstringitur. quae cum ita sint, non mirabimur, si parce adhibuit Cicero versiculos ex his fabulis petitos. atque ex Pomponii Atellanis (Ribb. Com. Rom. fr.

p. 225 sqq.) unum adfert ad fam. VII 31, 2: 'vides enim exaruisse iam veterem urbanitatem, ut Pomponius suo iure possit dicere:

'nísi nos pauci rétineamus glóriam antiquam Átticam' (inc. f. 8).

contra Novii (Ribb. Com. Rom. fr. 254 sqq.), cui hoc in genere primae sunt deferendae, tribus fit locis mentio, quorum primus, de or. II 70, 285, ostendere videtur Ciceronem Novii fabulas cognovisse, e scaena opinor. loquitur enim illo loco I. Caesar de ridiculi generibus: 'sed ex his' inquit 'omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter expectationem . . . huius generis est plenus Novius, et iocus est familiaris

sápiens si algebís . . . tremes (inc. fr. 12),

et alia permulta'. itaque, cum haec praecipue virtus in Novio praedicetur, plane est consentaneum, si ille in primis citatur, ubi de ridiculo sermo fit, de or. II 69, 279: 'me quidem hercule etiam valde movent stomachosa et quasi submorosa ridicula . . . in quo, ut videtur, persalsum illud est apud Novium

quid plorás, pater?
mirúm ni cantem? . . . condemnátus sum' (inc. fr. 10)

et de or. II 63, 255: 'ac scitis esse potissimum ridiculi genus, cum aliud expectamus, aliud dicitur . . . quod si admixtum est etiam ambiguum, fit salsius, ut apud Novium videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videns percontatur ita:

quánti addictust? — mílle nummum.

si addidisset tantummodo 'ducás licet', esset illud genus ridiculi praeter expectationem; sed quia addidit:

'níhil addo: ducás licet' (inc. f. 11)

addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimus.' quo de loco cf. Piderit. ad h. l. et in indd. p. 437 s. v. addictus.

Ex mimis autem quattuor tantum apud Tullium inveniuntur versiculi, quamquam exodio vice tragoediis in scaena addi solebant (cf. Cic. ad fam. VIIII 16, 7: 'secundum Oenomaum Accii non, ut olim solebat Atellanam, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti'). quanta autem fuerit mimi in Cicerone contemptio, ex compluribus locis potest intellegi: de or. II 59, 239: 'in quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam, si quid perridicule possis, vitandum est oratori utrumque, ne scurrilis iocus sit aut mimicus'; atque idem fere legitur de or. II 59, 242: 'atqui ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautissime tractandum sit. mimorum est enim . . . si nimia est imitatio, sicut obscenitas,' et Or. 26, 88: 'ridiculo sic usurum oratorem, ut . . . nec subobsceno (utatur), ne mimicum (sit)'; denique de or. II 61, 251: 'atque hoc etiam animadvertendum est,

non esse omnia ridicula faceta. quid enim potest esse tam ridiculum quam sanniost? ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso. salsum hunc possum dicere atque ita, non ut eius modi oratorem esse velim, sed ut mimum.' quae cum ita sint, statuendum est Ciceronem certe nullum studium convertisse ad has fabulas pernoscendas. quodsi or. Phil. II 27, 65 et pro Cael. 27, 65 ita loquitur, ut mimorum oeconomiam, quam dicunt, sibi plane notam fuisse indicet (cf. or. Phil. l. c. 'persona de mimo, modo egens, repente dives':[1]) et pro Cael. l. c. 'mimi est iam exitus, non fabulae: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis ex manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur'), eodemque modo pro Rab. Post. 12, 35 in eorum argumentis se ostendit versatum ('illinc omnes praestrigiae . . . omnes fallaciae, omnia denique ab eis mimorum argumenta nata sunt') — id eo referendum est, quod mimi non minus quam fabulae Atellanae rationem e scaena ipsa cognoverat. huc etiam spectat, quod de Tutore, mimo vetere, praedicat de or. II 64, 259: 'est etiam in verbo positum non insulsum genus ex eo, cum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare. ex quo uno genere est Tutor . . . oppido ridiculus.' atque alterius mimi nomen legitur ad Att. I 16, 13, cuius argumentum — 'Pythagorei de migratione animae dogmatis praeceptorumque ad victum pertinentium irrisio' — vulgo notum fuisse videtur. scribit enim Cicero ad Atticum: 'videsne consulatum illum nostrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, si hic factus erit, Fabam mimum futurum?' ex hoc igitur genere, quod Cicero de or. II 68, 274 levius esse iure dicit, quattuor eodem loco adponit versus, atque quamquam ibid. id genus nonnumquam etiam apud oratorem habere aliquid loci concedit, tamen perspicuum est ipsum eius modi carminibus, si ea ita licet nuncupare, operam non dedisse. quam rem etiam comprobare videtur, quod ne ex Laberii quidem Valeriique mimis (Ribb. Com. Rom. fr. p. 279 sqq.), qui hoc in genere ultimis rei publicae temporibus excelluerunt, usquam petit versiculum. utriusque autem ad fam. VII 11, 2 facit mentionem in epistula, quam dedit ad Trebatium in Britanniam (de quo v. p. 255): 'sed heus tu, quid agis? video enim te iocari per litteras . . . si cito te rettuleris, sermo nullus erit; si diutius frustra afueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium (cf. ad fam. I 10; III 1, 3) pertimesco. mira enim persona induci potest Britannici iure consulti.' extiterat enim Ciceronis tempore mos, ut in mimis homines etiam tum vivi compellarentur atque carperentur.[2])

---

[1]) Cf. pro Quinctio 17, 55: 'vetus est de scurra multo facilius divitem quam patrem familias fieri posse.'

[2]) Cf. Cornif. ad Her. I 14, 24; II 13, 19; Gell. N. A. XVII 14, 2.

denique nec Publilii Syri (Ribb. Com. Rom. fr. p. 303 sqq.) legitur apud Ciceronem versiculus ullus, quamquam ille, cum in Italiae oppidis mimos agere coepisset, omnes superavit, in quibus etiam Laberium (Macrob. Sat. II 7, 6 sq.). atque Ciceronem ipsum mimos eius vidisse in scaena actos ex ep. ad fam. XII 18, 2 sequitur: 'equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri aequo animo viderem T. Plancum, audirem Valerii et Publilii poemata' (a 709/45; cf. Macrob. l. c. s. 7). Publilium autem eodem quo Laberius modo non abstinuisse, quin res publicas in mimis attingeret, prodere videntur ea, quae legimus ad Att. XIIII 2, 1: 'duas a te accepi epistulas heri. ex priore theatrum Publiliumque cognovi, bona signa consentientis multitudinis. plausus vero L. Cassio datus etiam facetus mihi quidem visus est.' sed haec hactenus.

Nunc priusquam ad poetas epicos, qui post Ennium floruerunt, transeo, agatur de Lucilio, satirarum scriptore, quem Cicero vel ea de causa maxime admirabatur et diligentissime legebat, quod ille, ut Scipionis Laeliique familiaris,[1]) eodem modo puri sermonis erat studiosus atque Terentius, quamquam concedendum est eum pro illo quod tractavit genere saepius sermonis cotidiani imaginem expressisse.[2]) neque vero omittendum Lucilii satiras vulgo notissimas fuisse.[3]) quanto opere autem ille multorum mentes animosque ceperit atque per quantum temporis spatium eius gloria viguerit, a Quint. X 1, 93 et Tac. dial. de or. 23 edocemur. itaque, cum Lucilius populo Romano adeo esset gratus atque acceptus, hac ipsa re Ciceronis eius studium adiutum esse videtur. neque dubium est, quin Lucilii carmina, qui 'sale multo urbem defricuit', propter salsam illam festivitatem maximam Tullio praebuerint delectationem. in hoc enim genere amplissimas ei tribuit laudes ad fam. VIIII 15, 2: 'accedunt non Attici, sed Lucilii salsiores quam Atticorum Romani veteres atque urbani sales . . .' eodemque modo aliis locis, ubi ex eius satiris versus adfert, abstinere non potest, quin eandem virtutem quam maxime praedicet: de or. III 43, 171: 'in quo lepide soceri mei personam lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius . . .' de fin. I 3, 9: 'quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius . . .' Or. 44, 149: 'quod apud Lucilium scite exagitat . . .' atque cum Lucilius satiras composuisset ita, ut varia haberent argumenta, etiam artem rhetoricam eum attigisse

---

[1]) Cf. Hor. Serm. II 1, 71 sqq.; L. Mueller 'Leben und Werke des C. Luc.', p. 7 sq.

[2]) Cf. Mueller p. 24.

[3]) Suet. de gramm. 2.

veri simile est. ad huius enim de oratorum doctrina iudicium Cicero facit Crassum provocantem de or. I 16, 72: 'sed, ut solebat C. Lucilius saepe dicere (homo . . . et doctus et perurbanus), sic sentio neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus eis artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus.'[1]) denique saepius fit illius Lucilii dicti mentio, eum neque ab indoctissimis ut legeretur neque a doctissimis voluisse, quod alteri nihil intellegerent, alteri plus fortasse quam ipse: de or. II 6, 25, de fin. I 3, 7, Brut. 26, 99. cum Ciceronis autem verbis 'homo doctus', quae haud scio an referenda sint ad Lucilii studium grammaticae,[2]) conferas quod Quintilianus de eodem poeta dicit X 1, 94: 'eruditio in eo mira'.

Iam iuvat conspectum adponere locorum, quibus versus Luciliani citantur a Cicerone, in quibus significandis usus sum L. Muelleri editione:

		lib. IIII.
fr.	2 (vv. 3):	de fin. II 8, 24.
fr.	3 (vv. 3):	de fin. II 8, 24.
fr.	8 (vv. 2):	ad Att. XIII 52, 1; de fin. II 8, 24.
fr.	11 (vv. 4):	de opt. gen. or. 6, 17; Tusc. II 17, 41; ad Qu. fr. III 4, 2; Or. 48, 161.
fr.	12 (vv. 6):	Tusc. IIII 21, 48.
fr.	13 (vv. 2):	de or. III 23, 86.
		lib. XI.
fr.	7 (vv. 2):	ad Att. VI 3, 7; II 8, 1.
fr.	8	: Brut. 43, 160.
fr.	9	: Brut. 46, 172.
		lib. XXII.
fr.	2 (vv. 2):	de fin. II 8, 23.
		lib. XXVI.
fr.	2	: de fin. I 3, 9.

		lib. XXVIIII.
fr.	77	: de or. II 6, 25.
		huc accedunt ex libb. incert.
fr.	9 (vv. 7):	de fin. I 3, 8.
fr.	10 (vv. 2):	de or. III 43, 171; Or. 44, 149; Brut. 79, 274.
fr.	33	: de or. III 43, 171.
fr.	34 (vv. 2):	de nat. deor. I 23, 63.
fr.	37	: de or. II 62, 253.
fr.	122	: ad Att. XIII 21, 3.
fr.	141	: de fin. V 30, 92; Tusc. III 15, 31.
dub. fr.	10	: ad fam. II 8, 2 (Lucilio tribuit Orelli).
dub. fr.	9	: de div. II 64, 133 (ad Luc. rettulit Corpet).

commemoratur igitur Lucilius vel eius carmina locis XXVII, versus autem adferuntur XXXVIII, unde potest concludi Ciceronem haud exiguam dedisse operam satiris eius pernoscendis. quid quod omnia eum de Laelio et Scipione ex Lucilii libris hausisse Mueller p. 8 contendit. sane quidem erant, quae, qua erat omnino Lucilius popularitate, omnibus essent notissima, velut nobilissimum illud gladiatorum par, de quo Lucilius:

'Aeserninu' fuit, Flaccorum munere, quidam
Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoque;
cum Pacideiano componitur, optimu' multo
post homines natos gladiator qui fuit unus' (IIII fr. 11).

[1]) Itemque de or. II 6, 25 Lucilio tribuuntur epitheta 'doctus et perurbanus'.
[2]) Cf. Mueller p. 39 sq.

quorum certamen quam fuerit ridiculi plenum, ex Hor. Serm. I 5, 51 sqq. potes conicere, ubi ille Lucilium videtur imitatus esse. nomina ipsa autem paene appellativa sunt facta. certe ad Quint. fr. III 4, 2 Cicero haec scribit de Gabinio absoluto: 'non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen: in urbem introisset, ad inimicitias res venisset, cum Aeserníno Samnite Pacideianus comparatus viderer.' ac simili modo de opt. gen. or. 6, 17 Aeschinem Demosthenemque, quorum ad orationes (in Latinum eas tum converterat) audiendas concursus e tota Graecia esse factus dicitur, cum gladiatoribus illis comparat. 'a me autem' inquit 'ut cum maximis minima conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur, Aeschines, tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius, non spurcus homo, sed acer et doctus cum Pacideiano hic componitur, optimo longe post homines natos.' Or. 48, 161 autem illud 'vita illa dignu' locoque' non adiecto poetae nomine citatur ut exemplum ab antiquioribus litteram s in exitu vocabuli non esse pronuntiatam. atque eundem Cicero respicit locum Tusc. II 17, 41. tum ex eadem satira Tusc. IIII 21, 48 versus adfert VI (fr. 12), quibus Pacideianus, quanto flagret in Aeserninum odio exprimit; cf. etiam de or. III 23, 86 (fr. 13). deinde de fin. I 3, 8 verba, quibus Lucilius Scaevolam inducit T. Albucium irridentem, sic a Tullio commemorantur ut ei maxime haec placuisse facile cognoscas. fuit enim Albucius 'doctus Graecis litteris vel potius paene Graecus' (Brut. 35, 131; cf. Tusc. V 37, 108); itaque Lucilio aptissimus visus est ad multorum aequalium graecomaniam, ut ita dicam, castigandam. etenim ille 'primores populi arripuit populumque tributim' (Hor. Serm. II 1, 69) et directis nominibus, quos voluit perstringere, in carminibus suis nominavit. quam ob rem Cicero, ubi de domesticarum rerum fastidio loquitur, huc redit: de fin. I 3, 8: 'nisi qui se plane Graecum dici velit, ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius. quem quidem locum cum multa venustate . . . Lucilius, apud quem praeclare Scaevola:

'Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
municipem Ponti, Tritani, centurionum,
praeclarorum hominum ac primorum signiferumque
maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
id quod maluisti, te, cum ad me accedi', saluto:
χαῖρε, inquam, Tite! lictores, turma omni' cohorsque
χαίρετε, et hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus'. (inc. fr. 9).

atque Cicero, quanto opere cum Scaevola consentiat, statim adicit: 'sed iure Mucius'. eodemque modo Albucii sermo, in quo Latina cum Graecis erant permista, tamquam 'pavimentum variis tesserulis compositum', a Lucilio illuditur, cuius rei Cicero facit mentionem de or. III 43, 171; Or. 44, 149; Brut. 79, 274 (inc. fr. 10). neque aliter alios tum viventes nominatim

induxit Lucilius: Q. Granium praeconem (ad Att. VI 3, 7; Brut. 43, 160; 46, 172), Persium 'omnium fere Romanorum hominem doctissimum' (de or. II 6, 25; Brut. 26, 99), Licinium Crassum oratorem (de or. III 43, 171). luxuriam autem videtur Lucilius castigasse libro IIII, ex quo Cicero saepius deprompsit versiculos: de fin. II 8, 24 (fr. 2 et 3) ad Att. XIII 25, 1; de fin. II 8, 23 (fr. 8). atque G. Gallonii famosi nomen, qui primus accipenserem in mensa proposuit convivis, non minus innotuisse videtur quam gladiatores illi, quos supra memoravi: nam Cicero eum duobus commemorat locis de fin. II 8, 24 et II 28, 90; cf. Hor. Serm. II 2, 46 sq. sed haec sufficiant ad demonstrandum, quantum studii impenderit Cicero in Lucilium.

Age vero dicamus de poetis epicis, qui post Ennium extiterunt. atque Hostii, A. Furii,[1]) Varronis Atacini cum nusquam fiat apud Ciceronem mentio, statim ad T. Lucretium Carum transeamus. de cuius carminibus uno loco Cicero profert iudicium: ad Qu. fratrem II 9, 4, quem locum sane corruptum haec aetas tulit. sunt enim verba haec: 'Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt, multis luminibus ingenii, multae tamen artis.' sic habent omnes libri. sed offendit illud 'tamen', id quod iam Victorius sensit et post eum Ernesti, qui priori huius sententiae membro 'non' particula addita omnes se difficultates removisse sibi visi sunt. Bergk vero in Ind. lect. hib. Marburg 1847, p. 3 sqq. collatis aliorum scriptorum veterum de Lucretio iudiciis abiudicari illi summum ingenium posse recte mihi videtur negare. sed quod is hunc locum ita constituit, ut particulam 'non' alteri membro adiceret ('non multae tamen artis'), hac in re falsam ingressus est viam. id quod luculentissime explanavit Lachmann II 17 sq. itaque is ad lectionem, quam proposuerant Victorius et Ernesti, redeundum esse putat; nam cur pauca, 'ingenii lumina' in Lucretii carmine Cicero animadverterit, perspicuum esse: Ennium enim et Accium ea de causa ei 'ingeniosos' visos esse, quod oblectando docuerint et animis movendis correxerint mores. qua in re ne cum Lachmanno quidem facere possum. nullo enim pacto Lucretius ingenii expers dici potest, neque putandum est Ciceronem hoc fecisse iudicium tam iniustum. accedit quod illud 'ingeniosus' certe non ad id solum referendum est, quod Lachmann duos tantum locos Ciceronianos respiciens (pro Mur. 30 et pro Planc. 59) censet, Ciceronem Ennio Accioque laudem illam tribuisse, quod multum valerent ad mores corrigendos. immo et alios poetas et Accium saepius castigat, quod facinoribus in scaenam inductis spectantium mores corrumpant (cf. Tusc. IIII 32, 68 sq., de nat. deor. III 26, 66 sqq.). quae cum ita sint, illud 'non', quod codices

[1]) Praeter unum locum, ubi A. Furius Q. Lutatii Catuli familiaris dicitur (Brut. 35, 132).

ignorant, prorsus delendum et ad genuinam scripturam revertendum esse arbitror. quae vero in illo 'tamen' restat difficultas, haec facile tollitur, si pro 'tamen' scribimus 'etiam', ita ut totus locus hanc induat speciem: 'multis luminibus ingenii, multae etiam artis'. quod si hanc lectionem recipias, ne aliorum quidem iudicia a Ciceroniano discrepare videbis; cf. Gell. N. A. I 21, 5; Ovid. Am. I 15, 23; Quint. X 1, 87. quoniam autem nisi hoc loco nusquam Cicero de Lucretio loquitur, fuerunt, qui eum in Lucretii carmine fuisse versatum negarent. at magnam habet accuratius inspicientibus probabilitatem Ciceronem Lucretii librum diligenter perlegisse. nam quae a Forbigero ad hanc sententiam infirmandam prolata sunt argumenta, haec nullius sunt profecto momenti. et quod primum ab eo inducitur facile potest refelli: Ciceronem, si maiorem aliquam dedisset Lucretii carmini operam, certe saepius eius facturum fuisse mentionem. at primum non pauca Ciceronis scripta iniquitate temporum deperierunt; deinde ne tum quidem, si in eis nihil fuisset de Lucretio, ideo negari posset Ciceronem in eo versatum fuisse. nam Varronis, familiaris sui, ut exemplo utar simillimo, saturas Menippeas uno tantum loco in libro, quem ad illum mittit, paucis attingit, nullo alio loco commemorat. num vero quis erit, qui idcirco contendat Ciceronem familiaris atque amici carmina non legisse? et Lucretium per amicos suos, qui iidem erant Ciceronis amici, etiam cum oratore illo clarissimo quodam modo coniunctum fuisse Bergk p. 3 sq. recte exposuit, qui etiam reliqua Forbigeri argumenta, quae sunt levioris momenti, refutavit. quae etsi nuper repetiit Gneisse in dissert., cui inscripsit 'De versibus Lucretii repetitis', Argentorati 1878, p. 46 sq., tamen omnino perversa esse existimo. sed liceat mihi hoc loco paucis exponere, qua de causa Ciceronem Lucretio studium atque operam impendisse censeam. quamquam enim Tullius ut philosophus in alia atque Lucretius castra se contulit, tamen, cum in aliorum quoque philosophorum disciplinis satis se praebeat versatum — neque quicquam valet, quod saepius in errorem incidit — veri simile est eum diligentius legisse Lucretii de rerum natura libros, idque eo magis, quod ille multis locis Ciceronis Aratea videtur imitatus esse, quam rem Munro in edit., quae prodiit Cantabrigiae 1873, II 596 (l. V, v. 619) haud paucis exemplis ex utriusque carminibus congestis atque inter se comparatis demonstravit. itaque recte observationes suas mihi videtur concludere his verbis: 'it is evident, Lucretius had studied this translation of Cicero; other parts of which are imitated in other parts of his poem'. qua de causa nec ipsum Ciceronem neglexisse Lucretii carmen mihi quidem persuasum est. quodsi consideramus Lucretium hic illic Ciceronem sibi proposuisse imitandum, idque Tullio non ignotum fuisse, iam probabilitatem quandam

nanciscimur in eis, quae Hieronymus memoriae prodidit ad a. Abr. 1923 = 660/94, de M. Tullio Cicerone tamquam emendatore operis a Lucretio relicti cogitandum esse. quam sententiam quamquam improbarunt Forbiger et Gneisse, mihi tamen Bergk potius sequendus esse videtur, ut alia omittam, iam propterea quod ex loco, quem supra commemoravi, colligitur Tullium ad Quintum misisse carmen emendatum et Hieronymus, si non Tullium significare voluisset, sed Quintum, sine dubio adiecisset huius praenomen. ceterum ex eo quod Cicero scribit l. c. 'sed cum ad umbilicum veneris, virum te putabo' intellegitur magnas difficultates parasse Tullio eum laborem. cui cum impar esset et naturae suae mobilitate et otii inopia, officio suo haud diligenter functus est. unde iam quo modo factum sit ut saepius schedarum singularum in Lucretii carmine turbatus sit ordo neminem puto fugit.

Iam sequitur, ut agamus de ceteris poetis aequalibus, qui carmina cum epica scripserunt, tum lyrica, quorum principes sunt C. Helvius Cinna, C. Licinius Calvus, C. Valerius Catullus. sed priusquam ad hos accedam, paucis mihi liceat monere de Q. Lutatio Catulo, cons. a. 652/102, qui et clarus habebatur orator (cf. Brut. 35, 132; de or. III 8, 29; de off. I 37, 133), et scriptor historicus librum de consulatu et de rebus gestis suis (Brut. 35, 132) conscripsit itemque 'Communes historias'. sed etiam poeticen attigit et epigrammata composuit ut videtur amatoria. e quibus aliquot versus citantur apud Gell. XVIIII 9, 14 magnis cum laudibus Catuli ('. . . versus cecinit . . . Q. Catuli, quibus mundius, venustius, limatius, tersius Graecum Latinumve nihil quicquam reperiri puto'). atque haec Catuli carmina etiam Ciceroni videntur placuisse. adfert enim de nat. deor. I 28, 79 hos illius in Roscium comoedum versus:

'constiteram exorientem Auroram forte salutans,
cum subito a laeva Roscius exoritur.
pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra,
mortalis visust pulchrior esse deo.'

in universum autem dici potest Tullium eius modi carminibus, quae dicuntur lyrica, haud magno opere delectatum esse, quam rem et ipse quodam modo confitetur apud Senec. ep. 49, 5: 'negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus, quo legat lyricos' et ex eo potest intellegi, quod in eius scriptis rarissima inveniuntur vestigia studii, quo clarissimos amplexus sit Graecorum poetas lyricos, qua de re cf. Lange p. 39 sqq. accedit in Romanorum poetis, quod Cicero a tota illa sui temporis ratione, quam secuti sunt poetae illi, Alexandrinos imitantes, vel maxime abhorrebat (v. supra p. 243 sqq.), quam ob rem saepius illos irridet: ad Att. VII 2, 1: 'Brundisium venimus . . . usi tua felicitate navigandi: ita belle nobis

'flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites'. hunc *σπονδειάζοντα*, si cui voles *τῶν νεωτέρων,* pro tuo vendita'. atque eosdem novos poetas appellat Or. 48, 161, ubi priscam eamque bonam dictionem acerrime defendit contra oratores poetasque novarum rerum cupidos (cf. p. 261. 287). Tusc. III 19, 45 autem Ennio, poetae egregio, opponit sui temporis cantores Euphorionis. in quibus non dubium est, quin praecipue Cornelium Gallum in mente habuerit, quippe qui Servio teste (ad Verg. Ecl. X 50) Euphorionem verterit in sermonem Latinum et in scribendo eius colorem secutus esse videatur (cf. Prob. ad Verg. Ecl. X 50). atque unum ex poetis illis, quos Cicero despicit ut *νεωτέρους,* nominatim inducit Tusc. V 22, 63, quo loco totus sententiarum conexus is est, ut poetam illum pessimum tum habitum esse adpareat, Aquinum dico, eundem, cuius carmina tamquam venenum aliquod Catullus se Calvo missurum esse minatur (14, 18 sqq.). iam vero Helvii, ut ad primores veniam, nusquam fit a Cicerone mentio; de Calvo autem ut oratore fusius agitur Brut. 81, 279; 82, 283 sq.; carmina eius praeter unum locum nusquam commemorantur. est autem locus ille in ep. ad F. Gallum data (ad fam. VII 24, 1): 'eumque (Tigellium) addictum iam tum puto Licinii Calvi Hipponacteo praeconio'. qua denique cum Catullo Cicero fuerit coniunctus necessitudine, valde dubium est. nam apud ipsum nusquam legitur Catulli nomen; contra in huius carminibus unum extat, in quo explicando multum desudarunt interpretes, dico c. 49:

'disertissime Romuli nepotum,
quot sunt quotque fuerunt, Marce Tulli,
quotque post aliis erunt in annis,
gratias tibi maximas Catullus
agit, pessimus omnium poeta,
tanto pessimus omnium poeta,
quanto tu optimus omnium patronus'.

non mihi in animo est omnes, quae de hoc carmine a Ribbeckio, Schulzio, Schwabio, Woelfflinio, Suessio, Riesio, Baehrente prolatae sunt sententiae, recensere, cum rem iam uberrime expeditam videam ab O. Harneckero in lib. schol. gymn. Friedebergensis 1882 et Phil. XXXXI, p. 465 sqq. sed breviter liceat mihi exponere, quid de hac re sentiam. quamquam igitur Tullius nequaquam cum Valerio familiaritatem contraxisse videtur, tamen hic illic eos congressos et confabulatos esse veri simile est, praesertim cum communi uterentur amico Cornelio Nepote. iam cum Catullus aut audivisset ipse ex ore Tullii aut aliunde comperisset benignum quod ille de carminibus eius fecerat iudicium, viro clarissimo gratias egit eo quo utebatur more iocis seriis mixtis, ita ut blanditiis simul aculeos quosdam immisceret.

Sed iam perveni ad huius disputatiunculae finem. priusquam autem totius quaestionis summam breviter complectar, pauca mihi addenda sunt,

quae quanto Cicero in poetis studio versatus sit, alia ex parte demonstrant. iam supra p. 240 monui Ciceronem ipsum professum esse orationem suam crevisse e poetarum studiis. neque quod haud ita raro apud eum locutiones inveniuntur, quae sine dubio e poetis sunt petitae, exiguum videtur esse documentum, quanta diligentia Cicero legerit poetarum carmina. iam vero Seneca apud Gell. N. A. XII 2, 6 hoc observavit de Ennio: 'apud ipsum quoque' inquit 'Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intellegas illum non perdidisse operam, quod Ennium legit.' recentiorum temporum autem homines docti, quantum Cicero debuerit poetis, studuerunt ostendere. atque quae locutiones extare videantur apud Tullium ex Ennio haustae, F. Hoppe explanavit in progr. Gumbinnensi 1875 p. 5 sqq. neque dubium est, quin Cicero eo praecipue tempore, quo ad Asianum dicendi genus ferebatur, i. e. antequam Molonis Rhodii usus est institutione, poetarum scrinia, ut ita dicam, expilaverit (cf. p. 240. 311). quod quatenus ex orationibus pro P. Quinctio et S. Roscio Amerino habitis adpareat, accuratissime examinat G. Landgraf 'De elocutione in orationibus pro P. Q. et S. R. conspicua', Wirceburgii 1878, p. 14 sqq. et in commentario, quo orationis Roscianae editionem instruxit, Erlang. 1884, p. 124. quamquam equidem Ciceronem, ubi eadem habet verba ac Plautus vel alius poeta comicus, non omnibus locis ex illorum fabulis ea petiisse censeo. nam quae reapse ad poetas sint revocanda, usquequaque certioribus velle circumscribere finibus periculosae plenum opus aleae mihi videtur. permultas enim locutiones tritas fuisse in sermone cotidiano ac familiari in propatulo est; quas eodem pacto Tullius quo poetae in primis comici poterat usurpare: neque ideo statim suspicandum ei hunc vel illum poetae alicuius locum ante oculos versatum esse.

Haec habui, quae de Ciceronis poetarum Latinorum studiis dicerem. restat, ut in universum proponam meum iudicium. primum perspicuum est Ciceronem antiquioribus poetis operam dedisse, recentiores contempsisse. qua in re certe sanum quodam modo praestitit iudicium (cf. p. 244, adn. 2). illorum autem studia duabus praecipue rebus adiuvabantur: primum eorum et dignitas poetica et locutio a multis viris doctis erat diligenter pertractata, quorum praestantissimis Cicero usus est amicis. deinde carminum ipsorum cognitio apud universum populum in dies augebatur: namque et poemata epica publice recitabantur et pleraeque omnes poetarum clarissimorum fabulae in scaena agebantur.[1]) atque Cicero, ut eius studia omittam,

[1]) Ennii Andromacha, Medea exul, Telamo, Thyestes, Melanippa, Aiax, fortasse Alcumeo, Alexander; Pacuvii Iliona, Teucer, Chryses, Antiopa, Medus, Niptra; Accii Atreus, Clytemestra, Epigoni, Tereus, Eurysaces, Brutus, fortasse Philocteta. Plauti Trinummus, Pseudulus; Caecilii Statii Synephebi, Hypobolimaeus, Hymnis (vel

quae spectabant ad Ennii Annales et Lucilii satiras, tragoedias[1]) maiore amplexus videtur esse amore ac studio quam comoedias, cum hae levioris essent generis, illae et argumentis graviores et sermone sublimiores: ex illis enim versus in scriptis eius extant CCCCXXXXV, ex his CLXXXIII. fabulas togatas autem Cicero longe postposuit palliatis (v. p. 334 sq.), quod eum fecisse puto cum propter haud mediocrem praestantiam et urbanitatem, qua sunt fabulae palliatae, tum quod earum argumenta et rationem iam habuit magna ex parte cognita e Graecis exemplaribus. Atellanas autem et mimos suo iure contempsit. iam vero in tragoediis illi in primis loci ei videntur plaucuisse, qui, si argumentum respicimus, hominis vehementer commoti aut querelas exhibent, quae omnium excitent misericordiam,[2]) aut vaticinationes vel furibundi visa terribilia,[3]) aut duarum factionum aliquam controversiam,[4]) aut illi, qui animi magnitudinem produnt singularem,[5]) denique qui descriptiones continent seu locorum (p. 281. 304), seu alius alicuius rei, ut vehementis procellae, qua dissipati sunt Achivi in Pacuvii Teucro p. 290, aut navis, quam primum conspexit pastor in Accii Argonautis p. 306. quantam vero Cicero ex eius modi locis — etsi eos nonnumquam ut philosophus impugnet — perceperit voluptatem, vel inde potest perspici, quod eadem praeclare dicta saepius inveniuntur in eius libris citata, idque hic illic summis cum laudibus poetarum: velut Andromachae querelas septiens respicit, Alcumeonis quinquiens, Deiphili quinquiens, Thyestis septiens, Philoctetae sexiens. accedit, quod omnes illi loci, si eorum

---

Asotus), fortasse Plocium; Terentii praeter Hecyram omnes; Turpilii Demiurgus, fortasse Leucadia; Afranii Simulans, Pomponii, Novii Atellanae; Laberii, Valerii, Publilii mimi. en habes Cicerone auctore eius aetatis quod nos dicimus 'Repertoir'.

[1]) Cf. R. Wurzer 'De Cicerone tragoediae Romanae iudice', Czernowitz 1885; qui libellus cum publici iuris factus est, haec disputatio iam erat absoluta.

[2]) Andromachae Ennianae p. 269 sq., Alcumeonis p. 273, Thyestis p. 274; Deiphili in Pacuvii Iliona; p. 288 Thyestis in Accii Atreo p. 300, Philoctetae p. 303 sq.

[3]) Alcumeonis Enniani p. 273, Cassandrae in Ennii Alexandro p. 279 sq.

[4]) Agamemnonis et Menelai in Ennii Iphigenia p. 278, Telamonis et Teucri in Pacuvii Teucro p. 289 sq., praecipue Zethi et Amphionis in eiusdem Antiopa p. 292, Aiacis et Ulixis in Pacuvii et Accii Armorum Iudicio p. 296 et 307, Atalantes et Cleopatrae in Accii Meleagro p. 307 sq. (?)

[5]) Telamonis Enniani p. 274, Eurypyli in Ennii Achille p. 276 sq., Orestis et Pyladis in Pacuvii Chryse p. 291, Ulixis in eiusdem Niptris p. 294. quos locos quotienscumque apud Ciceronem legeram, in mentem mihi veniebat Bunsenii illud, quod Ritschl repetiit Mus. Rhen. XI 480 (Op. III 700). 'Es ist gerade jenes hellenisch Menschliche, was trotz aller Schwächen uns an Cicero fesselt, und seinen Schriften einen so unvergleichlichen Reiz verleiht, dass selbst die philosophischen angenehm werden. Er glaubte an die Wahrheit und liebte sie um ihrer selbst willen; er ehrte die Menschheit und suchte gerne das Menschliche auf.'

elocutionem inspicimus, ita sunt comparati, ut ubertatem quandam exhibeant verborum et plerumque orationis luminibus sint ornati (cf. p. 290), id quod maiore eum explevisse delectatione manifestum est. porro Tullium eos adamasse videmus locos, qui sententias, ut ita dicam, generales exhibent, dictione poetica inclusas, quas ille et ex tragoediis petiit et ex comoediis.[1] denique sententiae, quae ad deorum naturam eorumque curam rerum humanarum vel ad vates et coniectores pertinent, eum videntur tenuisse: has enim saepe numero scriptis suis inseruit.[2] maiorem vero habet difficultatem, quos ex comoedia Cicero petiit locos, in genera quaedam distribuere. etenim pro occasione oblata hoc vel illo versiculo promiscue utitur. in primis autem, ubi personas inducere volebat e vita cotidiana, ad comoediam rediit, quam ipse vitae esse imaginem dicit atque speculum. itaque e comoediis eum sumere videmus senes et clementes et duros a servis emunctos,[3] vel senectutis mala deplorantes.[4] deinde parasitorum et hominum in omnibus adsentantium personas hae ei suppeditarunt fabulae.[5] tum in comoedia non minus quam in tragoedia Cicero locos invenit, quos proverbii instar scriptis suis insereret.[6] denique hoc certe possumus observare tales eum praecipue elegisse locos, quales eximia sunt pulchritudine poetica, id quod in primis versus comprobant, quos delibavit ex poesis Terentianae fontibus.[7] de singulis autem poetis aestimandis quid senserit Tullius cum iam a me uberius expositum sit, hoc loco unum addam, Ciceronem, ubicumque de poetarum Latinorum aut facultate aut arte aut sermone locutus sit, rectam ingressum esse viam, plerumque aliorum secutum auctoritatem.[8] postremo eum quibusdam in rebus, quae ad poetas pertinent, magna diligentia et cautione usum esse, id prodere videtur, quod, ne in errorem incideret, vel antiquissimos inspexit commentarios.[9]

---

1) Cf. p. 276 'quod ab Ennio positum in una re transferri in permultas potest . . .', p. 299 'quae scripsit . . . poeta (Acc.) . . . ut nos et nostros liberos ad laborem . . . excitaret', p. 290 'ad omnes rationes Teucri vox accommodari potest'; et p. 331 Demiphonis Terentiani illud 'quam ob rem . . . .' cf. etiam Parad. 5, 65: 'cui etiam quae vim habere maximam dicitur fortuna ipsa cedit, sicut sapiens poeta dixit: suis ea cuique fingitur moribus' (Ribb. Com. Rom. fr. inc. inc. fr. 62).

2) Cf. p. 274, ubi Ennii illud 'áspice hoc sublímen . . .' in eodem scripto exiguis intervallis interpositis quater recurrit; p. 264 sq. 278. 292.

3) Cf. p. 316. 317. 318. 332.

4) Cf. p. 318.

5) Cf. p. 314. 327. 328. 330.

6) Cf. p. 326. 328. 330.

7) Cf. p. 323. 326 sq. 331.

8) Cf. p. 248. 252. 253. 286. 315. 321. 322.

9) Cf. p. 284. 253.

quae cum ita sint, neque Ciceronem ipsum mentitum esse evincitur, cum pro Sest. 58, 123 diceret se poetarum ingenia semper dilexisse, et Plinium in epistula ad Sil. Procillum data (III 15, 1) suo iure huic adsensum esse M. Tullium laudanti, quod mira benignitate poetarum ingenia fovisset.

Corrigenda.

Pagg. 1. 17. 33. in eo qui infra adiectus est plagularum indice (normam nunc dicunt typographi) per errorem scriptum est 'Kunst, De Theocriti versu heroico'. patet enim exarari debuisse 'Diss. phil. Vind. I'. praeterea p. 240 l. 26 'pro Arch. 6, 16' corrigas: 'pro Arch. 6, 13', p. 241 l. 18 'Tusc. II 11, 26': 'Tusc. II 11, 27', p. 263 l. 11 'Or. 21, 68' 'Or. 20, 68', denique p. 268 a. 2 'pro Arch. 6, 22': 'pro Arch. 9, 22'.

Vindobonae, Carolus Fromme, Typograph. C. et R. Aulae.